Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Becanus, Martinus

Analogia veteris ac novi testamenti

Duacum 1653
Exeg. 89
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10409931-5

10409931

10409931

Eccl. Pr. 89.

Collegij Societatis Jesv Monac.

ANALOGIA 1664

VETERIS
AC NOVI
TESTAMENTI:

IN QVA PRIMVM STATVS Veteris, deinde consensus, proportio, & conspiratio illius cum nouo explicatur.

AVTHORE

MARTINO BECANO
SOC. IESV THEOLOGO.



DVACI,
Typis BALTAZARIS BELLERI, sub Circino aureo Anno. 1653.

APPROBATIO.

HAnc *Analogiam Veteris ac noui Testamenti*, in qua status veteris, ac deinde consensus, proportio, & conspiratio illius cum nouo explicatur, authore R. P. MARTINO BECANO Societatis IESV Theologo vtiliter re imprimendum censui. Dacidic 19. Aprilis. 1632.

MATHIAS NAVIVS *S. Theol. Doctor, Canonicus Seclinienſis, ad S. Petri Parochus & librer. Cenſor Epiſcopalis.*

Bayerische Staatsbibliothek München

MARTINI BECANI

ANALOGIA VETERIS ac Noui Testamenti.

VETVS Testamentum differt à nouo. sicut figura Christi ab ipso Christo: (1. Corinth. 10. 6.) Sicut vmbra imaginis ab imagine: (Hebr. 10. 1.) Sicut promissio à donatione: (Actor. 3. 28. & Rom. 1. 2.) Sicut Epistola atramento scripta, ab Epistola spiritu Dei scripta: (2. Cor. 3. 3.) Sicut littera à spiritu, mors à vita: (ibidem v. 6. & 7.) Sicut seruitus à libertate, ancilla à Domina, Agar à Sara (Gal. 4. 22.) Sicut timor ab amore: (Rom. 8. 15.) Sicut sanguis hircorum, à sanguine Christi: (Hebr. 9. 12.) Sicut occultum à patefacto: (Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 26.) Sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore spica à frumento: (D. Thomas in 1. 2. quæst. 107. art. 3.)

Hinc sequitur primo, nos Christianos in nouo Testamento fœliciores esse, quàm fuerint Iudæi in veteri. Nam illi erant serui; nos liberi: Illi filij Agar; nos Saræ. Illi habebant solam figuram, nos rem figuratam. Illi vmbram imaginis; nos ipsam imaginem. Illis promissus erat Christus; nobis donatus. Illi timore ducebantur; nos amore. Illis occulta erant mysteria Incarnationis & Redemptionis; nobis patefacta. Illi offerebant sanguinem hircorum; nos Sanguinem Christi Redemptoris. Illi habebant litteram; nos spiritum: Illi semen; nos arborem: Illi

spicam; nos triticum: Illi testamentum inchoatum; nos perfectum: Illi mortem; nos vitam.

Secundo sequitur, cognitionem vnius Testamenti multum prodesse ad cognitionem alterius. Qui enim videt figuram Christi conspirare cum ipso Christo; & vmbram imaginis cum ipsa imagine, plenioremn habet cognitionem, quàm qui alterum sine altero cognoscit, nec vnius cum altero consensum & proportionem aduertit. Similiter, qui confert seruitutem cum libertate, timorem cum dilectione, mortem cum vita, semen cum arbore, spicam cum tritico; melius percipit veri ipsque naturam & conditionem; quam si alterum sine alterius collatione spectaret. Denique qui mysteria Incarnationis, Passionis, Mortis & Resurrectionis Christi, prout iam impleta sunt confert cum ijs ipsis, prout in veteri Testamento sub vmbra ac velamine occultabantur; magis confirmatur in fide ex illa collatione & consensu. quàm si vel sola mysteria sine vmbris, vel solas vmbras sine mysterijs, per se seorsim consideraret.

Ob hanc causam propositum mihi est, explicare doctrinam veteris Testamenti, vt ex ea plenior & perfectior habeatur doctrina noui Testamenti: Et ex consensu, conspiratione & analogia vtriusque doctrinæ inter se collatæ, certò constet, eam veram esse fidem & religionem noui Testamenti, quæ retinet consensum, conspirationem, & analogiam cum doctrina veteris Testamenti. Eam esse falsam & adulterinam, quæ non retinet. Porrò capita doctrinæ veteris Testamenti, de quibus potissimum acturus sum, erunt hæc.

CAPITA

CAPITA HVIVS LIBRI.

1. De Scriptura & Traditione veteris Testamenti.
2. De Fide & Symbolo.
3. De Spe, promissione, & oratione.
4. De Charitate, & præceptis Charitatis.
5. de lege Mosaica, quæ erat triplex, moralis, cæremonialis, & iudicialis.
6. De Synagoga.
7. De Ministris Synagogæ ordinarijs, qui erant Leuitæ, Sacerdotes & Pontifex.
8. De Ministris Synagogæ extraordinarijs, qui erant Prophetæ.
9. De Religiosis Synagogæ, qui erant Nazuræi, & Rechabitæ.
10. De Sectariis, qui erant Pharisæi, Sadducæi. Esseni.
11. De Iudice controuersiarum, Pontifex.
12. De instrumentis diuini cultus, quæ erant Tabernaculum, Templum, Arca fœderis, Propitiatorium, Candelabrum cum lucernis, Mensa panum propositionis, Altare thymiamatis, Altare holocausti, vasa sacra Synagoga & Cathedra.
13. De ipso diuino cultu: Ac primo de Sacrificiis Mosaicis, quæ erant multiplicia.
14. De Sacramentis, quæ erant Circumcisio, Agnus Paschalis, Purificationes, & Expiationes.
15. De

15. De obseruantiijs Legalibus, quibus Iudei discernebantur à gentilibus. Cuiusmodi erant. 1. Discretio ciborum mundorum ab immundis. 2. Abstinentia à sanguine & adipe. 3. Ieiunia. 4. Vota. 5. Iuramenta. 6. Solemnitates festorum. 7. Annus septimus, seu Sabbaticus. 8. Iubilæum. 9. Rasio ac tonsio capitis & barbæ. 10. Certus vsus vestium.
16. De Regno, Regibus, & Iudicibus.
17. De Bello, Castris, & munditia castrorũ.
18. De furto, & vsura.
19. De homicidio, & ciuitatibus refugij.
20. De Matrimonio.
21. De Polygamia.
22. De Zelotypia.
23. De Libello Repudij.
24. De adulterio & Stupro.
25. De seruis, ancillis, mercenarijs, peregrinis, pauperibus.
26. De Reformatione.

INDEX HORVM CAPITVM

CAPVT I.

De Scriptura & Traditione V. T.

1. Quinam sint libri canonici veteris Testamenti?
2. Qui fuerint primi Scriptores illorum librorum?
3. An omnes lingua Hebraica primum scripti sint?
4 An omnes perierint tempore captiuitatis Babylonicæ, & postea ab Esdra restaurati sint?
5. An

10409931

INDEX CAPITVM.

5. *An 70. Interpretes post captiuitatem Babylonicam traſtulerint omnes in linguam Gracam?*
6. *An, quando libri V. T. citantur in nouo, ſemper citentur in ſenſu proprio & litterali?*
7. *An in V. T. preter Scripturam, fuerint etiam aliqua Traditiones, & que?*

CAPVT II.

De fide veteris Teſtamenti.

1. *An fides ſit donum Dei, quo aſſentimur ijs, que à Deo reuelata ſunt?*
2. *Quid in V. T. reuelatum ſit de Deo?*
3. *Quid de Trinitate?*
4. *Quid de Chriſto?*
5. *Quibus nominibus in veteri Teſtamento appellatus ſit Chriſtus?*
6. *Quis primus crediderit in Chriſtum?*
7. *An fides in Chriſtum fuerit neceſſaria ad ſalutem?*
8. *An fides V. T. fuerit tam perfecta, quàm fides Euangelica?*

CAPVT III.

De Spe, promiſſione, & oratione.

1. *Quid ſit Spes?*
2. *Que bona in V. T. fuerint promiſſa à Deo?*
3. *An etiam vita eterna fuerit promiſſa?*
4. *An oratio fuerit neceſſaria ad impetrandum eiuſmodi bona?*
5. *Que fuerit formula orandi in V. T.*
6. *An in V. T. licuerit inuocare Sanctos?*
7. *An licuerit orare pro defunctis?*

APPROBATIO.

HAnc *Analogiam Veteris ac noui Testamenti*, in qua status veteris, ac deinde consensus, proportio, & conspiratio illius cum nouo explicatur, authore R. P. MARTINO BECANO Societatis IESV Theologo vtiliter re imprimendum censui. Dabacidie 19. Aprilis. 1632.

MATHIAS NAVIVS *S. Theol. Doctor, Canonicus Seclinienſis, ad S. Petri Parochus & librer. Cenſor Epiſcopalis.*

Bayerische Staatsbibliothek München

MARTINI BECANI

ANALOGIA VETERIS AC NOUI TESTAMENTI.

VETVS Testamentum differt à nouo. sicut figura Christi ab ipso Christo: (1. Corinth. 10. 6.) Sicut vmbra imaginis ab imagine: (Hebr. 10. 1.) Sicut promissio à donatione: (Actor. 3. 28. & Rom. 1. 2.) Sicut Epistola atramento scripta, ab Epistola spiritu Dei scripta: (2. Cor. 3. 3.) Sicut littera à spiritu, mors à vita: (ibidem v. 6. & 7.) Sicut seruitus à libertate, ancilla à Domina, Agar à Sara (Gal. 4. 22.) Sicut timor ab amore: (Rom. 8. 15.) Sicut sanguis hircorum, à sanguine Christi: (Hebr. 9. 12.) Sicut occultum à patefacto: (Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 26.) Sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore spica à frumento: (D. Thomas in 1. 2. quæst. 107. art. 3.)

Hinc sequitur primo, nos Christianos in nouo Testamento fœliciores esse, quàm fuerint Iudæi in veteri. Nam illi erant serui; nos liberi: Illi filij Agar; nos Saræ. Illi habebant solam figuram, nos rem figuratam. Illi vmbram imaginis, nos ipsam imaginem. Illis promissus erat Christus; nobis donatus. Illi timore ducebantur; nos amore. Illis occulta erant mysteria Incarnationis & Redemptionis; nobis patefacta. Illi offerebant sanguinem hircorum; nos Sanguinem Christi Redemptoris. Illi habebant litteram; nos spiritum: Illi semen; nos orborem: Illi

ſpicam; nos triticum: Illi teſtamentum inchoatum; nos perfectum: Illi mortem; nos vitam.

Secundo ſequitur, cognitionem vnius Teſtamenti multum proficere ad cognitionem alterius. Qui enim videt figuram Chriſti conſpirare cum ipſo Chriſto; & vmbram imaginis cum ipſa imagine, plenioremn habet cognitionem, quàm qui alterum ſine altero cognoſcit, nec vnius cum altero conſenſum & proportionem aduertit. Similiter, qui confert ſeruitutem cum libertate, timorem cum dilectione, mortem cum vita, ſemen cum arbore, ſpicam cum tritico; melius percipit vtriuſque naturam & conditionem; quam ſi alterum ſine alterius collatione ſpectaret. Denique qui myſteria Incarnationis, Paſſionis, Mortis & Reſurrectionis Chriſti, prout iam impleta ſunt confert cum ijs ipſis, prout in veteri Teſtamento ſub vmbra ac velamine occultabantur; magis confirmatur in fide ex illa collatione & conſenſu. quàm ſi vel ſola myſteria ſine vmbris, vel ſolas vmbras ſine myſterijs, per ſe ſeorſim conſideraret.

Ob hanc cauſam propoſitum mihi eſt, explicare doctrinam veteris Teſtamenti, vt ex ea plenior & perfectior habeatur doctrina noui Teſtamenti: Et ex conſenſu, conſpiratione & analogia vtriuſque doctrinæ inter ſe collatæ, certò conſtet, eam veram eſſe fidem & religionem noui Teſtamenti, quæ retinet conſenſum, conſpirationem, & analogiam cum doctrina veteris Teſtamenti. Eam eſſe falſam & adulterinam, quæ non retinet. Porrò capita doctrinæ veteris Teſtamenti, de quibus potiſſimum acturus ſum, erunt hæc.

CAPITA

CAPITA HVIVS LIBRI.

1. De Scriptura & Traditione veteris Testamenti.
2. De Fide & Symbolo.
3. De Spe, promissione, & oratione.
4. De Charitate, & præceptis Charitatis.
5. de lege Mosaica, quæ erat triplex, moralis, cæremonialis, & iudicialis.
6. De Synagoga.
7. De Ministris Synagogæ ordinarijs, qui erant Leuitæ, Sacerdotes & Pontifex.
8. De Ministris Synagogæ extraordinarijs, qui erant Prophetæ.
9. De Religiosis Synagogæ, qui erant Nazuræi, & Rechabitæ.
10. De Sectariis, qui erant Pharisæi, Sadducæi, Esseni.
11. De Iudice controuersiarum, Pontifex.
12. De instrumentis diuini cultus, quæ erant Tabernaculum, Templum, Arca fœderis, Propitiatorium, Candelabrum cum lucernis, Mensa panum propositionis, Altare thymiamatis, Altare holocausti, vasa sacra Synagogæ & Cathedra.
13. De ipso diuino cultu: Ac primo de Sacrificiis Mosaicis, quæ erant multiplicia.
14. De Sacramentis, quæ erant Circumcisio, Agnus Paschalis, Purificationes, & Expiationes.

15. *De obseruantiijs Legalibus, quibus Iudei discernebantur à gentilibus. Cuiusmodi erant. 1. Discretio ciborum mundorum ab immundis. 2. Abstinentia à sanguine & adipe. 3. Ieiunia. 4. Vota. 5. Iuramenta. 6. Solemnitates festorum. 7. Annus septimus, seu Sabbaticus. 8. Iubilæum. 9. Rasio ac tonsio capitis & barbæ. 10. Certus vsus vestium.*

16. *De Regno, Regibus, & Iudicibus.*

17. *De Bello, Castris, & munditia castrorũ:*

18. *De furto, & vsura.*

19. *De homicidio, & ciuitatibus refugij.*

20. *De Matrimonio.*

21. *De Polygamia.*

22. *De Zelotypia.*

23. *De Libello Repudij.*

24. *De adulterio & Stupro.*

25. *De seruis, ancillis, mercenarijs. peregrinis, pauperibus.*

20. *De Refomatione.*

INDEX HORVM CAPITVM

CAPVT I.

De Scriptura & Traditione V. T.

1. *Quinam sint libri canonici veteris Testamenti?*

2. *Qui fuerint primi Scriptores illorum librorum?*

3. *An omnes lingua Hebraica primum scripti sint?*

4 *An omnes perierint tempore captiuitatis Babylonicæ, & postea ab Esdra restaurati sint?*

5. An

5. An 70. Interpretes post captiuitatem Babylonicam traſtulerint omnes in linguam Græcam?
6. An, quando libri V. T. citantur in nouo, ſemper citentur in ſenſu proprio & litterali?
7. An in V. T. præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ Traditiones, & quæ?

CAPVT II.

De fide veteris Teſtamenti.

1. An fides ſit donum Dei, quo aſſentimur ijs, quæ à Deo reuelata ſunt?
2. Quid in V. T. reuelatum ſit de Deo?
3. Quid de Trinitate?
4. Quid de Chriſto?
5. Quibus nominibus in veteri Teſtamento appellatus ſit Chriſtus?
6. Quis primus crediderit in Chriſtum?
7. An fides in Chriſtum fuerit neceſſaria ad ſalutem?
8. An fides V. T. fuerit tam perfecta, quàm fides Euangelica?

CAPVT III.

De Spe, promiſſione, & oratione.

1. Quid ſit Spes?
2. Quæ bona in V. T. fuerint promiſſa à Deo?
3. An etiam vita æterna fuerit promiſſa?
4. An oratio fuerit neceſſaria ad impetrandum eiuſmodi bona?
5. Quæ fuerit formula orandi in V. T.
6. An in V. T. licuerit inuocare Sanctos?
7. An licuerit orare pro defunctis?

10409931

INDEX CAPITVM.

CAPVT IV.

De charitate & præceptis charitatis.

1. *Quid sit Charitas?*
2. *An in VT fuerint duo præcepta Charitatis: Vnum de diligendo Deo ex toto corde: alterũ de diligendo proximo, sicut seipso?*
3. *An prius præceptum, de diligendo Deo ex toto corde, sit possibile in hac vita?*
4. *An posterius, de diligendo proximo intelligatur tantum de amico, an etiam de inimico?*
5. *Quid sit diligere proximum, sicut seipsum?*

CAPVT V.

De Lege Mosaica.

1. *An lex Mosaica fuerit bona?*
2. *An utilis?*
3. *An perfecta & sufficiens ad salutem?*
4. *An à Deo data?*
5. *Vbi quando, & quomodo data?*
6. *An obligauerit solos Iudæos?*
7. *Quàm arctè obligauerit?*
8. *An nunc penitus abrogata sit?*
6. *An in eius locum successoris Lex Euangelica?*

CAPVT VI.

De Synagoga.

1. *An Synagoga fuerit visibilis?*
2. *An aliquando errauerit, vel defecerit à fide?*
3. *An fuerit figura Ecclesiæ Christi?*
4. *An fuerit tam perfecta, quam Ecclesia Christi est?*

CA-

INDEX CAPITVM.

CAPVT VII.

De Ministris Synagogæ, id est Leuitis, Sacerdotibus, Pontifice.

1. *Ex qua familia fuerit Pontifex?*
2. *Quæ fuerit successio Pontificum?*
3. *Quo ritu consecrati fuerint Leuitæ, Sacerdotes, Pontifex?*
4. *Quod fuerit illorum officium?*
5. *Quo vestitu & ornatu fuerint usi?*
6. *Quos & quantos reditus habuerint?*
7. *An aliquando debuerint seruare continentiam ab uxoribus?*
8. *Quanta fuerit illorum ac præcipuè Pontificis auctoritas apud populum?*
9. *Quæ utilitas hinc colligi possit?*

CAPVT VIII.

De Prophetis.

1. *Quinam fuerint veri Prophetæ in V. Testamento.*
2. *Quod fuerit illorum officium?*
3. *Quomodo probauerint se à Deo missos?*
4. *An omnes de Christo prophetauerint?*
5. *Quis illorum fuerit præcipuus, Moses, an Ioannes Baptista?*
6. *Quomodo verum sit illud Christi: Omnes Prophetæ usque ad Ioannem?*
7. *An verum sit, omnes Hierosolymis occisos esse?*
8. *Quinam fuerint falsi Prophetæ?*
9. *Quomodo veri à falsis discernebantur?*
10. *Quid de Pythonissa sentiendum?*
11. *An etiam in Nouo Testamento sint veri & c.*

& falsi Prophetæ?

CAPVT IX.

1. *De Nazaræis.*
2. *De Rechabitis.*

CAPVT X.

De Sectarijs Synagogę.

1. *De Phariſæis.*
2. *De Sadducæis.*
3. *De eſſenis.*

CAPVT XI.

De Iudice Controuerſiarum.

1. *An Pontifex in V. T. fuerit Iudex Controuerſiarum.*
2. *An fuerit infallibilis, ita vt non potuerit errare.*
3. *An etiam in N. T. ſit aliquis infallibilis Iudex, & quis?*

CAPVT XII.

De Inſtrumentis diuini cultus.

1. *De Tabernaculo & templo*
2. *De Arca fœderis.*
3. *De Propitiatorio.*
4. *De Candelabro & Lucernis.*
5. *De Menſa panum Propoſitionis.*
6. *De altari Thymiamatis.*
7. *De altari Holocauſtorum.*
8. *De Vaſis Sacris.*
9. *De Synagogis & Cathedris.*

CAPVT XIII.

De ſacrificijs Moſaicis.

1. *De Victimis, Immolationibus & Libaminibus.*

10409931

INDEX CAPITVM.

2. *De Holocaustis, hostijs pacificis, & hostijs pro peccato.*
3. *De Iugi Sacrificio.*
4. *De Agno Paschali.*
5. *De Sacrificijs aliarum solemnitatum.*
6. *De igne, quo vtebantur Sacerdotes in Sacrificijs.*
7 *De Sacrificio N Testamenti, quod per Sacrificia Mosaica fuit prefiguratum.*

CAPVT XIV.

De Sacramentis Mosaicis.

1. *Quæ, & quot fuerint Sacramenta Mosaica?*
2. *Quam vim & efficaciam sanctificandi habuerint?*
3. *An fuerint tam perfecta, quàm nostra Sacramenta?*
4. *Quid de singulis in particulari statuendum sit?*

CAPVT XV.

De obseruantijs legalibus.

1. *De discretione animalium mundorum ab immundis.*
2. *De abstinentia à sanguine & adipe.*
3. *De Ieiuniis.*
4. *De Votis.*
5. *De Iuramentis.*
6. *De Festis.*
7. *De anno Remissionis.*
8. *De Iubilæo.*
9. *De rasione & tonsione capitis ac barbæ.*
10. *De certo vsu vestium.*

INDEX CAPITVM.

CAPVT XVI.

De Regibus V. T.

1. *Quæ fuerit differentia inter Reges & Iudices?*
2. *Qui, & quot fuerint Iudices?*
3. *Qui, & quot fuerint Reges?*
4. *Qui fuerint boni, & qui mali Reges?*
5. *Quomodo creati fuerint Reges?*
6. *Quomodo inaugurati?*
7. *Quomodo uncti?*
8. *Quod fuerit officium Regum?*
9. *Quod ius in subditos?*
10. *An potuerint habere plures uxores?*
11. *An magnos diuitias?*
12. *An copiosum equitatum?*
13. *Quales fuerit ipsorum Consiliarii?*
14. *Quid hinc discere debeant Reges & Principes Christiani?*

CAPVT XVII.

De Bello.

1. *An bellum fuerit licitum in V. T?*
2. *Quænam fuerint leges belli à Deo præscriptæ?*
3. *Quæ iustæ causæ gerendi bellum?*
4. *An Iudæi potuerint bellum gerere contra Iudæos?*
5. *An contra quos suis gentiles?*
6. *An potuerint implorare auxilium à gentilibus?*
7. *Quinam Iudæorum Reges feliciter gressi rint bellum?*
8. *Quid in lege Mosaica statutum fuerit de mun-*

de munditia castrorum?

CAPVT XVIII.

De furto & vsura

1. *Quæ fuerint leges circa furtum?*
2. *An vsura Iudæis fuerit licita, necne?*

CAPVT XIX.

De Homicidio & ciuitatibus refugij.

1. *Quæ fuerint leges circa homicidium voluntarium?*
2. *Quæ fuerint ciuitates Refugii? Et qui potuerint eò confugere?*
3. *An etiam apud Christianos sint huiusmodi asyla?*

CAPVT XX.

De Matrimonio.

1. *An Matrimonium fuerit præceptum in V. T.*
2. *in quo to gradu licuerit vel non licuerit Matrimonium contrahere?*
3. *An Iudæi potuerint accipere vxores alienigenas seu gentiles?*
4. *An potuerint accipere vxores extra suam tribuum?*
5. *Quæ sit differentia inter matrimonium Veteris & noui Testamenti.*

CAPVT XXI.

De Polygamia.

1. *An Polygamia repugnet primæ institutioni matrimonii, quæ in paradiso facta est?*
2. *An aliquo modo repugnet legi naturæ?*
3. *An concessa fuerit post diluuium?*
4. *An hæc concessio in lege Mosaica fuerit confirmata?*

5. *An in lege Euangelica per Christum reuocata?*

CAPVT XXII.

De Zelotypia.

CAPVT XXIII.

De libello Repudij.

1. *Quo sensu permissum fuerit Iudæis, vxores dimittere?*
2. *Quibus de causis licuit illac dimittere, aut repudiare?*
3. *Quæ cæremoniæ adhiberi solebant? & quæ fuerit formula verborum, qua Libellus repudij scribebatur?*
4 *An sicut viri poterant repudiare viros, ita vicissim vxores potuerint repudiare viros?*

CAPVT XXIV.

De Adulterio.

1. *Leges de adulterio, incæstu, stupro, fornicatione, sodomia, bestialitate.*
2. *Quomodo hæc peccata fuerint punita in Vet. Testam.*

CAPVT XXV.

De Seruis, Ancillis, Mercenarijs, Peregrinis, Pauperibus.

CAPVT XXVI.

De Reformatione.

1. *De Reformatione circa cultum Dei.*
2. *De Reformatione circa iustitiam inter Iudæos.*
3. *De Reformatione circa bellum.*

CAPVT I.

De Scriptura & traditione Veteris Testamenti.

QVæritur 1. Quinam sint libri Canonici V. Testamenti? 2. Qui fuerint primi scriptores illorũ librorũ? 3. An omnes lingua Hebraica primum scripti sint? 4. An omnes perierint tẽpore captiuitatis Babylonicæ, & postea ab Esdra restaurati sint? 5. An septuaginta Interpretes post captiuitatem Babylonicam transtulerint omnes in linguam Græcam? 6. An quando libri V. Testamenti citantur in nouo, semper citentur in sensu proprio & litterali? 7. An in veteri Testamento, præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ traditiones?

QVÆSTIO I.

Quinam sint libri Canonici veteris Testamenti?

1. SVppono, libros Scripturæ vocari Canonicos à Canone. Canon autem duo significat. 1. Normam seu regulam, quam sequimur. 2. Catalogum seu numerum aliquarum rerum. Vtroque sensu libri Scripturæ vocantur Canonici. Priori quidem, quia continent normam seu regulam, quam in fide & moribus sequi debemus. Posteriori, quia in Catalogum librorum diui-

diuinorum relati sunt. Hoc posito, quæstio est, quinam libri V. T. sint Canonici, hoc posteriori sensu id est, quinam relati sint in catalogum seu Recanonem librorum Scripturæ V.T. Testamenti. Respondeo, Canon seu catalogus librorum V. Testamenti duplex est: Vnus Iudaicus, qui tempore Esdræ. seu ab ipso Esdra, vel à Concilio Sacerdotum, cui ipse interfuit, confectus est. In isto Canone consignati sunt hi libri: Pentateuchus Mosis, liber Iosue, Iudicum. Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ duo, Iob, Psalterium centum quinquaginta Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Prophetæ maiores quatuor, Prophetæ minores duodecim. Alter Christianus, qui authoritate Innocentij I. confectus est. In quo, præter libros iam enumeratos, continetur etiam hi: Tobias, Iudith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, & duo libri Machabæorum. Itaque tam hi, quàm illi priores, Canonici sunt. Et quidem de prioribus, qui continentur in Canone Iudæorum, non est disputatio. Omnes, tã Iudæi, quàm Christiani agnoscunt illos pro Canonicis. De posterioribus aliqua dissensio est. Iudæi, Lutherani, & Calvinistæ negant esse Canonicos. Affirmant Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium c. 7. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 8. Patres Cõcilij Carthaginensis, Gelasius in Concilio Romano, Concil. Florentinum apud Bartholomæum Carranzam in Summa Conciliorum, Concilium Tridentinum Sess. 4. & omnes Catholici, qui hoc Concilium secuti sunt.

2. Notandum tamen est, non satis constare, an liber Esther positus fuerit in Canone Iudæorum, necne, Magni authores negant, vt Melito apud Euseb. l. 4 hist. c. 26. Athanasius in Synopsi, & Gregorius Naz. in eo carmine, quod scripsit de genuinis scripturis. Affirmant Hieronymus in prologo Galeato, Liranus, & multi alij in Commentario illius libri. Nobis sufficiat, positum esse

esse in Canone Christianorum, & ab Ecclesia Catholica pro Canonico recipi & aprobari. Et maior debet esse apud nos autheritas Ecclesiæ, quàm Synagogæ: præsertim cum certò constet, qui libri sint Canonici iuxta definitionem Ecclesiæ; & tamen non certò constet, qui sint Canonici iuxta definitionem Synagogæ.

QVÆSTIO II.

Qui fuerint primi scriptores librorum veteris Testamenti?

1. Hic quędam certa, quædam dubia sunt. Primo certum est, Moysen scripsisse Pentateuchum, seu quinque libros, qui vulgo libri Mosis appellantur. Quorum primus dicitur Genesis. quia in eo describitur generatio cœli & terræ, & aliarum rerum. Secundus, Exodus, quia in eo describitur egressio filiorũ Israël de Ægypto. Tertius Leuiticus, quia in eo describitur officium Leuitarum circa tabernaculum sacrificia & alias cæremonias legales. Quartus Numeri, quia in eo numeratur multitudo filiorũ Israël per tribus & familias suas Quintus Deuteronomium, id est, Lex secunda, quia in eo repetitur & explicatur Lex Domini, quæ fuerat data in monte Sina. Quæ tamen in fide Deuteronomij leguntur de morte Mosis, vel à Iosue, vel ab aliquo alio addita sunt.

2. Secundo certum est, Dauidem scripsisse Psalterium. Est tamen dubium, an scripserit omnes Psalmos in eo contentos: Affirmant Chrysostomus, Theodoretus, Cassiodorus, Euthymius, Augustinus, & alij apud Bellarm. lib. de script. Ecclesiast. Negant Hilarius & Hieronymus apud eundem, afferentes compositos esse ab ijs authoribus, qui in titulis Psalmorum nominantur, vt sunt Moyses, Dauid, Salomon, Asaph. Chore, Idithum. Priorem sententiam sequitur Bellarm. loco ci-

loco citat. & Alphonſus Salmeron Tom. 1. prolog. 19. can. 5.

3. Tertio certum eſt, Salomonem ſcripſiſſe Prouerbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. De libro Sapientiæ quæſtio eſt. Aliqui tribuunt Philoni Iudæo. Alij plerique Salomoni quibus aſſentior. Nam auctor. c. 9. nu. 7. de ſeipſo ſic loquitur: Tu elegiſti me Regem populo tuo & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo. Quę verba non poſſunt intelligi, niſi de Salomone. Quãquã fieri potuit, vt omnes & ſingulæ ſententiæ, quæ continẽtur in illo libro, fuerint Salomonis; & poſtea ab aliquo alio, in vnum corpus redactæ ſint. Et ſic cenſet Bellarminus loc cit.

4. Quarto certum eſt, quatuor Prophetas maiores, & ſimiliter duodecim Prophetas minores, vel ſcripſiſſe, vel ſaltem dictaſſe ſuas Prophetias, quæ nunc extant: Ieremias dictauit; vt ipſemet fatetur c. 36. n. 1. & ſeqq.

5. Quinto certum eſt, Eſdram ſcripſiſſe librum primum Eſdræ. Dubium eſt de ſecundo. Iſidorus lib. 6. Originum c. 2. putat vtrumque ab Eſdra, Bellarminus & Salmeron, priorem ab Eſdra, poſteriorem à Nehemia conſcriptum eſſe.

6. Sexto certum eſt, librum Eccleſiaſtici ſcriptum eſſe à Ieſu filio Syrach, vt ipſemet teſtatur, tum in prefatione eiuſdem libri. tum c 50. v. 29. his verbis: Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto, Ieſus filius Syrach Hieroſolymita.

7. De alijs libris nihil certi eſt. Dicam, quod boni authores dicunt. Liber Ioſue ſcriptus eſt, vel ab ipſo Ioſue, vt multi colligunt ex c. vlt. v. 26. vel ab alio, vt contendit Auguſt. Torniellus in Annalibus. Liber Iudicum & Ruth, à Samuele, Duo priores, libri Regum ab eodem Samuele, Duo poſteriores, itemque duo libri Parali pomenon ab Eſdra, vel aliquo alio. Liber Iob, vel ab ipſo Iob, vel à Moyſe, qui poſt illum vixit. Liber Tobiæ, vel à Tobia ſeniore, vel à iuniore, vt

multi

multi colligunt ex c. 12. v. 20. Liber Iudith ab Eliachim magno Sacerdote. Liber Esther à Mardochæo, qui rei gestæ interfuit. Liber primus Machabæorum à Ioanne Hircano Pontifice. Secundus ab incerto authore, qui fatetur, se omnia compendiosè desumpsisse ex libris Iasonis Cyrenę (2. Mach. 2. 24.)

QVÆSTIO III.

An omnes libri V. T. primum scripti sint linguâ Hebraicâ?

1. SErarius in prolegomenis Bibliacis, c. 3. q. 2. dicit, omnes linguâ Hebraicâ scriptos esse, si nomen linguæ Hebraicæ sumatur latius. Bellar. l. 2. de verbo Dei c. 4. ait, vel Hebraicè, vel Chaldaicè, vel Græce scriptos esse. In re non dissentiunt. Pro quo notandum est, triplicem linguã (pręter Græcam) hoc loco distingui posse. Vnam purè Hebraicã: Alterã purè Chaldaicam: Tertiam mixtã ex vtraque, quã Syriacam vocant. Iudęi ante captiuitatem Babylonicã, vsi sunt linguâ purè Hebraicâ. At tempore captiuitatis Babylonicæ, cœperunt loqui Chaldaicè, nõ quidẽ perfectè, sed partim Chaldaicè, partim Hebraicè. Hinc orta est tertia lingua, quâ Iudæi post captiuitatẽ Babylonicam vsi sunt vsque ad Christũ, ac deinceps. Et hæc tertia vocabatur vel Syriaca, vt dixi, vel Hebraica, latè sumendo nomen linguæ Hebraicæ. Vnde patet, linguam Hebraicam dupliciter accipi posse. 1. pro purè Hebraica. 2. pro mixta ex Hebraica & Chaldaica. Priori modo sumitur Gen. 39. 14. & 4. Reg 18 26. & Dan. 1. 4. & Dan. 2. 4. Posteriori sumitur Ioan. 5. 2. & Ioan. 19. 13. vide authores citatos.

2. His positis, dicendum est, omnes libros V. T. qui habentur in Canone Iudæorum, scripros esse linguâ purè Hebraicâ: nisi quod in libro Esdræ & Danielis; quædam partes sermone Chaldaico

daico annexę sunt. De alijs libris, qui sunt extra Canonem Iudæorum, sic sentiendum est Liber Esther scriptus est purè Hebraicè, Libri Tobiæ & Iudith, purè Chaldaicè, vt cum D. Hieronymo docet Seratius in Commentario vtriusque libri & Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 3 Liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, & duo Machabæorum extant Græcè. An autem aliqui ex illis, primò Syriacè scripti sint, dubium est. Vide Bellarm. c. 4.

QVÆSTIO IV.

An omnes libri V. T. perierint tempore captiuitatis Babylonicæ & postea ab Esdra restaurati sint?

1 HOc intelligitur de ijs libris V T. qui fuerunt Hebraicè scripti ante captiuitatem Babylonicã Magni authores putãt, illos perijsse tempore captiuitatis, quando Hierosolyma fuit euersa, & templum Salomonis, in quo libri illi seruabantur, à Chaldæis in censum. Sed postea ab Esdra ex suggestione Spiritus S. fuisse restauratos, & ijsdem verbis, quibus antè, cõscriptos. Hæc sententia tribuitur Clementi Alexandrino. Theodoreto, Irenæo, Basilio, Tertuliano, Eusebio, Hieronymo, apud Augustinum Torniellum in Annalib. Anno mundi 34.47. n 4 Et nititur duplici fundamento: prius est, quod vnicum tantum fuerit exemplar Scripturæ V T quod in templo Salomonis seruabatur Si ergo illud exemplar in conflagratione templi perijt, necesse est, nullum aliud superfuisse. Ac proinde fuisse necessarium vt ab aliquo nouum exemplar conscriberetur. Posterius est, quia libro 4 Esdræ c. 14. legimus, Esdram diuino spiritu afflatũ per quadraginta dies dictasse multos libros, eosque à quinque viris, ipso dictante fuisse scriptos Quos verisimile est, non alios fuisse, quam libros veteris Testamenti, qui perierant in euersione templi.

2. Hanc

2. Hanc ſententiam refellit Bellarminus li. 2. de verbo Dei cap. 1. Torniellus loco cita o, & alij recentiores. Et merito, quia nititur infirmis fundamentis. Quod ſigillatim ſic oſtendo. Primo, incertum eſt, an exemplar Scripturæ perierit in conflagratione templi. Imo certius eſt, non periiſſe. Nam illud exemplar aſſeruabatur in Arca Domini, (Deut. 31. 26.) At Arca Domini fuit erepta ex incendio per Ieremiam Propheram (2. Machab. 24.) Ergo & exemplar Scripturæ fuit ereptum. Secundo, falſum eſt, præter illud vnicum exemplar, quod erat in Arca, non fuiſſe aliud. Nam Rex habebat aliud, quod exilio erat tranſcriptum (Deut. 17. 18.) Tercio vtrumque exemplar, tam illud, quod ſeruabatur in Arca, quàm aliud, quod habebat apud ſe rex, erat tantum exemplar Deuteronomij, ſeu legis Moſaicę, non autem aliorum librorum veteris Teſtamenti: Ergo ſaltem alij libri non perierunt in conflagratione templi. Quarto. Liber quartus Eſdræ, ex quo contraria ſententiia confirmatur, apocryphus & fabuloſus eſt. Et hæc ipſa fabula, de qua agimus, refelli poteſt ex libro ſecundo Eſdræ, qui Canonicus eſt. Nam c. 8. v. 1. ſic legimus: Congregatus eſt omnis populus, & dixerunt Eſdræ Scribæ, vt adferret librum legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iraëli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum. Vbi non dicitur conſcripſiſſe, ſed attuliſſe librum Deuteronomij, quem apud ſe, vt pote Sacerdos, aſſeruabat.

3. Neque obſtant citati Patres. Non enim aſſerunt, Eſdram ex memoria dictaſſe omnes libros veteris Teſtamenti, quaſi iam antea perijſſent; ſed diſperſos collegiſſe, & in ordinem redegiſſe: ac ſi quid in ijs fuiſſet depravatum, emendaſſe. Simile quid ſcribit Athanaſius in Synopſi: Narratur, inquit, & hoc de Eſdra. Cum libri ſacri per incuriam populi, & diuturnam captiuitatem perirent, ipſum, cùm eſſet vir induſtrius, & lector per-

perdiligens, verique ac recti ſtudioſiſſimus, eos omnes libros apud ſe cuſtodiuiſſe, & poſtea eos omnes libros apud ſe cuſtodiuiſſe, & poſtea eos in commune protuliſſe, atque ita ab interitu quodammodo vindicatos conſeruaſſe.

QVAESTIO V.

An ſeptuaginta interpretes. poſt captiuitatem Babylonicam, tranſtulerint libros veteris Teſtamenti in linguam Græcam & quomodo id factum ſit?

1. CErtum eſt, tempore Ptolomæi Philadelphi, qui vixit trecentis ferè annis ante Chriſtum, ſeptuaginta duos ſeniores Iudæorum in Ægyptum vocatos eſſe, ab eodé Ptolomæo, vt Scripturam V. T. ex Hebraica tranferrent in Græcam linguã. Ita refert Ariſtæus in hiſtoria de hac ipſa re, qui tunc præſens erat. Item Ioſephus l. 12. Antiquitat. cap. 2. Philo lib. 2. de vita Moyſis, Tertullianus in Apol. Athanaſius in Synopſi, Epiphanius de menſuris & ponderibus, Aug. l. 18. de Ciuitate Dei c. 42. de Doctrina Chriſtiana c. 15. & alij paſſim. Niſi quod Irenæus l. 3. c. 25. Et Clemens Alexãdrinus l. 2. Stromat. putent hoc factum eſſe ſub Ptolomæo Lagi filio, qui Philadelphum proximè anteceſſit.

2. At dubium eſt. 1. An iſti 70. ſeniores tranſtulerint omnes libros V. T. an tantum aliquos. 2. Quomodo id fecerint. 3. Quantæ authoritatis ſit hæc tranſlatio 4. An adhuc extet. Circa primum duplex eſt opinio. Vna, quod tranſtulerint ſolam legem Moſaicam. Ita Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis, & in c. 2. Exechielis, & in c. 2. Micheæ. Et probat ex Ariſtæo Ioſepho, & Philone, qui ſolius Pentateuchi mentionem faciunt. Altera, quod tranſtulerint omnes libros V. T. Ita Irenæus, Clemens, Epiphanius, & Auguſtinus locis citatis. Hanc ſententiam ſequitur Bellarminus l. 2. de verbo Dei cap. 6. & probat tripli

citer

citer. Primo, quia Apostoli in citandis testimonijs Prophetarum vsi sunt græca translatione. At tempore Apostolorum, nulla erat Græca translatio, nisi 70. interpretum. Secundo, quia verisimile est, Ptolomæum Regem, qui ex toto terrarum orbe comparabat libros pro sua Bibliotheca, habuisse etiam libros Propherarum, & consequenter curasse eos transferri. Tertio, quia omnes dicunt miraculosè factum esse, quod translatio spatio septuaginta duorum dierum fuerit absoluta. At nullum esset miraculum, si sola lex Mosaica fuisset translata.

3. Nec obstat quod Aristæus, Iosephus & Philo solius legis mentionem faciant. Nam Nomine legis sæpe intelligitur totum vetus testamentum. vt Ioan. 10. 34. Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi. Dij estis? quod tamen scriptum est in Psalmis (Psal. 81. 6.) & Ioan. 15. 25. Vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Quod etiam scriptum est in Psalmis (Psal. 24 19.) & 1. Cor. 14. 21. In lege scriptum est: Quoniam in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic. Quod scriptum est in Isaia (ca. 28. 11.)

4. Circa secundum, consentiunt quidem authores 72. senes Hebræos (videlicet sex ex vnaquaque tribu) vtriusque linguæ peritissimos spatio 72. dierum mirabili consensione, libros V. T. ex Hebraico sermone in Græcum transtuliisse: sed in eo discrepant, an singuli seperatim, an vero bini & bini, an denique omnes simul inter se conferentes, id fecerint? Triplex opinio est. Prima, singulos seperatim inclusos fuisse in singulis cellulis, & diuino miraculo factum esse, vt singulorum translationes non solum in sensu, sed etiam in rebus ipsis consentirēt: ita vt fuerint 72. exemplaria, ne in minimo quidem puncto discrepantia, Ita Iustinus in Orat. exhortatoria ad Gentes (vbi etiam asserit, se apud Alexandriam vidisse vestigia cellularum) Cyrillus catech. 4.

Irenęus,

Irenæus, Clemens, & Aug locis citatis. Altera, binos & binos in cellulis inclusos fuisse; ita vt fuerint 36. exemplaria, quæ mirè inter se conspirarent. Ita Epiphanius loco citato. Tertia, omnes simul in eadem basilica sedisse, & inter se conferentes, vnum exemplar confeciſſe. Ita Hieronymus præfatione in Pentateuchum. Et probat ex Aristæo & Iosepho. Nam Aristæus, qui fuit præsens, apertè scribit, eos simul contulisse singulis diebus vsque ad horam nonam. Et Iosephus, qui etiam narrat rem gestam, ne quidem meminit cellularum, quod tamen feciſſet pro honore suæ gentis, si putasset ita congitisse.

5. Circa tertium, omnes authores fatentur translationem 72. interpretum diuinitus factam esse, ac proinde, magnam habere authoritatem. Solus Hieronymus videtur aliter sentire. Nam præfatione in Pentateuchum asserit, non fuisse vates, sed tantum interpretes. Et alibi sæpè reprehendit illorum versionem præsertim in quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in Epistola ad Suniam & Fretellam & in commentarijs Prophetarum. Quanquam, vt verum fatear, non reprehendit ipsam versionem sed vitia, quæ postea in eam irrepserunt.

6 Nam præfatione prima in libros Paral. sic scribit: Si 70. interpretum pura, &, vt ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me interpellares, vt Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem. Nunc vero, cum pro varietate regionum diuersa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata. Et præfatione 2. Nec hoc 60. interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerunt, transtulerant, sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scripsitant, & sæpe tria nomina, subtractis è medio syllabis, in vnum vocabulum cogunt. Et præfat. in Esdram & Nehemiam. Si quis autem vobis 70. opposuerit interpretes, quorum exem-

exemplaria, varietas ipsa lacerata & inuersa demonstrat, mittite eum ad Euangelia, in quibus multa ponuntur de veteri Testamento, quæ apud 70. interpretes non habentur, velut illud, Quoniam Nazaræus vocabitur, &, ex Ægypto vocaui filium meum: &, videbunt, in quem compunxerunt: multaque alia, quæ latiori operi reseruamus: & quærite ab, eo vbi scripta sunt, cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus, quæ nuper à nobis edita, maledicorum linguis quotidie confodiuntur.

7. Circa quartum, aliqui putant Græcam versionem 70. interpretum planè periisse. Alij rectius non quidem periisse, sed valdè corruptam ac vitiosam esse. Hoc patet ex verbis Hieronymi iam citatis. Deinde, ex Iustino, qui in Dialogo cum Tryphone, ait, multis locis depranatam esse à Iudæis. Tertio, ex Philone & Aristæo, qui asserunt, primam versionem, quæ à septuaginta interpretibus facta est, non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba exactè consonasse cum Hebræo textu. Addit Aristæus, diligenter fuisse examinatam, antequam poneretur in Bibliotheca Regis & ab omnibus acclamatum, sanctè & singula esse translata, vt nihil addi, nihil demi possit. At versio Græca quæ nunc extat, in multis dissentit ab Hebræo textu Nam multa habet, quæ in Hebræo non sunt. Multa non habet, quæ in Hebræo sunt. Multa habet falsa Videatur Hieronymus locis citatis. & Bellarminus l. 1. c. 6.

QVÆSTIO VI.

An, quando libri Testamenti citantur in noue. citentur tantum in sensu litterali?

1. SVppono, testimonia Scripturæ tripliciter citari posse. Primo, in sensu litterali, qui à Spiritu sancto intentus est. Secundo in sensu mystico, qui etiam à Spiritu sancto intentus

est. Tertio, per quamdam accommodationem, quam quisquis pro suo arbitrio facere potest, modo pie ac prudenter id faciat, sine vlla falsitate vel absurditate. Vide Gabrielem Vasquez 1. p. disput. 13 c 2. in fine.

2. Nunc quæstio est, An CHRISTVS & Apostoli, quando citant testimonia Moysis & Prophetarum, citent ea in sensu tantum litterali? An aliquando etiam in sensu mystico, vel per accommodationem? Respondeo, quædam citant in sensu litterali; quædam in sensu mystico; quædam per accommodationem.

3. Exempla primi generis passim obuia sunt. Matthæi 16. 4. citatur illud Geneseis 1. 27. Masculum & fœminam fecit eos Et Actor. 3. 25. citatur illud Geneseis 12. 3. In semine suo benedicentur omnes familiæ terræ. Et Romanorum 4. 3. citatur illud Geneseis 15. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et Romanorum 13. v. 9. citatur illud Exod. 20. 14. Non adulterabis, non occides, non furtum facies Hæc & multa alia, citantur in sensu litterali, quem ipsa verba proximè & immediatè significant.

4. Exemplo secundum generis. Primum Gen 21. 10. Eijce ancillam hanc & filium eius: Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac. Hoc secundum literam intelligitur de Agar, quæ erat ancilli Abrahæ, & de filio eius Ismaële. At Apostolus (Gal. 4. 30.) citat in sensu mystico de Synagoga Nam quod in V. T. secundum litteram scriptum est, Abrahamum habuisse vnam ancillam, quæ erat Agar, & vnam liberam, quæ erat Sara: hoc mystice significabat Deum habitorum Synagogam, tanquam ancillam, & Ecclesiã Christi, tanquam liberam. Item quod in V. T secundũ literam scriptum est, Agar cum suo filio Ismaële fuisse eiectam & repudiatam: Saram vero cum suo filio Isaac mansisse cum Abrahamo: Hoc mysticè significabat, Synagogam iudæorum repudiandam, non item Ecclesiam Christianorum,

5. Se-

5. Secundum, Exod. 14. 46. & Num. 9. 12. Os illius non confringetis, quod ſecundum literã dictum eſt de Agno Paſchali, cui non frangebantur crura, cũ in ſacrificio mactabatur. At Euangeliſta cita in ſenſu myſtico de Chriſto, qui per Agnum Paſchalem fuit præfiguratus (Ioan. 19. 36.)

6. Tertium, Deut. 25. 4. Non alligabis os boni trituranti. Quod ſecundum literam intelligitur de vero boue, qui in area tritura, ſeu grana frumenti excutit. At Apoſtolus myſticè explicat de prædicatoribus Euangelij, quibus alimonia ſeu ſuſtentatio neganda non eſt. (1. Cor. 9. 9.) Quamquam aliqui putent per accommodationem illis applicari.

7. Quartum, Oſeæ 11. 1. Ex Ægypto vocaui filium meum Quod ſecundum literam intelligitur de populo Iſraël, qui ex Ægypto per Moyſen eductus eſt in terram promiſſionis. At Euangeliſta myſticè intelligit de Chriſto, qui cum Maria matre, & Ioſepho reuocatus eſt ab Ægypto per Angelum (Mat. 2. 15.)

8. in his & ſimilibus exemplis, notandum eſt, ſenſu myſticum eſſe, qui proximè ſignificatur, non per verba Scripturæ, ſed per res ipſis verbis ſignificatas. Quo pacto Synagoga, & Eccleſia myſticè ſignificantur per Agar & Saram: Chriſtus per Agnum Paſchalem: prædicatores Euangelij per boues triturantes. Reditus Chriſti ex Ægypto, per reditum filiorum Iſraël ex Ægypto, & ſic deinceps.

9. Exemplæ tertij generis, Primum Zach. 4. 3. Duæ oliuæ ſuper candelabrũ aureum Quod ſecundum literam intelligitur de Ieſu filio Ioſedech, & de Zorobabele Duce Iuda. At Apoſtolus per accommodationem applicat duobus teſtibus, Enoch & Heliæ, quia ab Antichriſto interficiendi ſunt. (Apoc. 11. 4.) Vide Vaſquez 1 part. diſp. 14. c. 1.

10. Secundum, Iſaiæ 29. 13. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Quod ſecundum literã intelligitur de illis Iudæis,

qui erant tempore Isaiæ. At Christus accommodat Scribis & Pharisæis sui temporis (Matth. 15. 6.) Vide Vasquez ibi c. 5.

11. Hic modus vtendi testimonijs Scripturæ per accommodationem, valdè frequens est apud Patres & Concionatores. Sic Ecclesia accommodat B. Virgini, quod scriptum est. Cant. 1. 4. Nigra sum, sed formosa. Sic Augustinus illud Apostoli 2. Cor. 3. 6. Littera occidit, spiritus autem viuificat; per accommodationem explicat de littera & sensu Scripturæ. Sic Bonifacius VIII. illud Lucæ 22. 38. Ecce duo gladij hic, accommodatè intelligit de duplici potestate Pontificis, spirituali & temporali. Sic Gregorius illud Genesis 1. 16, Fecit Deus duo luminaria magna, Intelligit de Pontifice & imperatore. Huiusmodi exempla propè infinita sunt.

QVÆSTIO VII.

An in veteri Testamento, præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ traditiones?

1. IVdęis præter Scripturam, habebant etiam traditiones. Et quidem duplices. Nam aliæ erant Phariſæorum, quas Christus in Euangelio reprehendit: Aliæ Mosaicæ, quæ erant laudabiles, & ad salutem necessariæ. Traditiones prioris ordinis erant hæ:

2, Prima, quod ante sumptionem cibi lauandæ essent manus. Matth. 15. 1 Accesserunt ad eum Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant.

3. Secunda, quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset reperenda. Marci 7. 3. Phariſæi & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum. Hinc in nuptijs Canæ Galilææ erant ſex hydriæ

hydriæ positæ secundum purificationem Iudæorum. (Ioan. 2. v. 6.) In quibus hidrijs erat aqua ad lauandas manus inter prandendum.

4. Tertia, quod venientes è foro non deberẽt cibos capere, nisi loti essent. Marci 7. 4. Et à foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

5. Quarta, quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus Matth. 9. 11. Et videntes Pharisæi, dicebant Discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Similia habentur Lucæ 5. 30.

6. Quinta, quod ne quidem permittendum esset, vt quis à peccatoribus tangeretur, Lucæ 7. v. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Vbi manifestè apparet. Pharisæum fuisse miratum, quod Christus à muliere peccatrice pateretur se contrectari, eo quod hoc esset contra morem & traditionem Pharisæorum, quorum vox erat hæc: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es Isaiæ 65. 5.

7. Sexta, quod in sabbato non liceret ægros sanare. Lucæ 6. 7. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret, vt inuenirent, vnde accusarent eum. Et Ioan. 9. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, quia sabbatum non custodit. Loquebantur de Christo, qui cæco visum restituerat in sabbato.

8. Septima, quod famelici non possint spicas pellere, & comedere in Sabbato, Matth. 12. 1. Abijt Iesus per sata Sabbato: Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.

9. Octaua, quod frequenter esset ieiunandum & orandum. Matth. 9. 14. Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; Discipuli autem tui non ieiunant? Et Lucæ 5. 35. Quare Discipli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt; ui autem edunt & bibunt?

10. Nona, quod omnium rerum, etiam minimarum decimæ afferendæ essent Deo. Matth. 23. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere Hic decimare, idem est, quod decimas dare Est ergo hic sensus Vos Pharisæi datis decimas omnium rerum etiam minimarũ, quod non facitis ex præcepto Dei scripto in lege Mosaica, sed ex vestra traditione non scripta. Et interim negligitis ea quæ vobis in lege præcepta sunt Hæc debebatis facere, & illa non omittere.

Vbi notandum est, triplici titulo potuisse dari decimas 1. Ex præcepto legis Mosaicæ. 2. Ex voto 3. Ex traditione Ex præcepto debebantur dari decimæ de frugibus, de pomis arborum, de bobus, ouibus, & capris. Leuit. 27. 30.) Ex voto poterant dari pro arbitrio vouentium. 2. Paralip. 31. 6. Ex traditione solebant Pharisæi dare decimas menthæ, anethi, cymini, & similium rerum minimarum, quas alij non dabant, nec ex præcepto legis tenebantur dare, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 87. artic. 2. ad 3. Iansenius in Concord. Euang. c. 84. Maldonatus in cap. 18. Lucæ v. 11. Franciscus Lucas in ca. 23. Matth. versu 23. Quo nomine gloriatur quidam ex Pharisæis in Euangelio, cùm ait: Non sum, sicut cæteri homines. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Quasi dicat: Hoc cæteri homines non faciunt. Dant quidem decimas vini, frumenti, & olei; sed non omnium bonorum, etiam minimorum, vt ego & reliqui Pharisæi facimus,

11. De-

11. Decima, quod qui iuraret per templum vel altare, non eſſet reus criminis: qui autem iurasset per aurum templi, vel per oblationes quę in altari fiebant, eſſet reus Matth. 23. 16. Væ vobis Duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cęci; quid enim maius eſt, aurum an templum, quod ſanctificat aurum? Et cuicumque iurauerit in altari, nihil eſt, qui autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud, debet, Cœci. Quid enim maius eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum?

12. Vndecima, quod filij non tenerentur reipſa parentes ſuos honorare, aut illis benefacere; Sed quod abundè ſufficeret, munus aliquod Deo offerre. Matthai 15 v. 3. Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Et quicumque maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri aut matri, munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum & matrem ſuam. Et irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram.

13. Hæc fuerunt præcipuę Traditiones Phariſæorum, quantum ex Euangelio licet colligere Et quanquam aliquę earum eſſent bonæ ex ſuo genere; aliæ malę; alię indifferentes aut inutiles; Phariſæi tamen propter omnes reprehendebantur à Chriſto, ob has cauſas Primo, quia ipſi ex earum obſeruatione quærebant inanem gloriam, & opinionem ſanctitatis apud homines, cum nihil minus, quàm ſancti eſſent. Matth. 23. 5. Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Hinc paſſim in Euangelio vocantur hypocritę, & ſepulchra dealbata

14. Secundo, quia ex quarundam obſeruatione ſectabantur etiam opes ac diuitias; præſertim ex longis oblationibus, quas in eum finem recitabant. Matth. 23. 14. Vę vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ

pocritæ, quia comedunt domos viduarum, orationes longas orantes. Et Marci 12. 14 Cauete à Scribis, qui deuorant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis. Vbi comedere seu deuorare domos viduarum, nihil aliud est, quàm spoliare seu exhaurire. Nam viduæ veniebant ad Phariſæos, tanquam ad homines ſanctos, (quippè ſanctitatem ſimulabant) & eorum orationes pretio emebant.

15. Tertio, quia ſuperſtitiosè minutiora quædam ſeruabant, & alia maiora negligebant, vt paulo ante dictum eſt. Dabant enim decimas rerum etiam viliſſimarum, & interim negligebant iudicium & miſericordiam in diiudicandi cauſis, quę ad ipſos deferebantur. Et hoc ſenſu accipi poteſt illud Mat. 23. 24 Excolantes culicem; camelum autem glutientes.

16. Traditiones poſterioris generis (de quibus potiſſimum hic agimus) erant tres præcipuè Prima, quod omnes & ſinguli libri, qui in Canone Iudæorum conſignabantur, eſſent verè diuini, & à Deo inſpirati. Hoc fide credebant Iudęi; & tamen nuſquam in Veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Secunda, quod femellę haberent aliquod remedium contra peccatum originale, non minus, quam maſculi; qualecumque tandem fuerit illud remedium. Nec hoc vlbi in V. T. ſcriptum eſt. Tertia, quod cruenta ipſorum ſacrificia ſignificarent mortem Chriſti. Hoc etiam erat dogma fidei; nec tamen in V. T. ſcriptum eſt.

17. Duas poſteriores traditiones ſic explico. Iudæi fide credebant femellas concipi in peccato originali, non minùs quàm maſculos. Nihil certius. Ergo fide credebant, illas ſaluari non poſſe, niſi per aliquod remedium à Deo inſtitutum. Debebant autem ſcire in particulari, quod & quale eſſet hoc remedium; alioqui omnes femellæ perijſſent ſine remedio. At nuſquam ſcriptum eſt in Vet. Teſt. quod & quale fuerit hoc reme-

remedium in particulari: ergo per ſolam traditionem hoc ſciebant. Hæc autem traditio erat ad ſalutem neceſſaria; quia ſine remedio non poterant ſaluari feminæ: qualecumque tandem fuerit illud remedium; ſiue fides parentum, ſiue aliquid aliud.

18. Similiter fide credebant quædam cruenta ſacrificia à Deo inſtituta eſſe pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant eiuſmodi ſacrificia per ſe, & propria virtute expiare peccata; vel virtute mortis & paſſionis Chriſti, quæ per illa ſacrificia ſignificabatur. Si prius putabant, erant hæretici ſi poſterius, erant fideles. Sed vnde habebant fidem hanc & firmam perſuaſionem, Non ex Scriptura, quia nuſquam in V. T. id ſcriptum eſt: Ergo ex traditione. Hæc autem traditio erat neceſſaria ad ſalutem: Non quod neceſſe fuerit ſingulos de populo credere, futuram Chriſti mortem per cruenta ſacrificia præfigurari; ſed quod neceſſe fuerit aliquos id credere præſertim Sacerdotes & Doctores, quibus incumbebat cura docendi & inſtruendi alios: alioquin tota Synagoga, in hoc quidem puncto, quod ſane erat grauiſſimum, fuiſſet ſine fide. Quod abſurdum eſt (Vide D. Thomam in 2. 2. q. 2. art. 7.)

19. Hinc ſequitur, Iudæos habuiſſe quædam per Scripturam, quædam per traditionem. Magis tamen vſi ſunt Traditione, quàm Scriptura, non ſolum in ijs rebus, quæ habebantur per ſolam Traditionem, ſed etiam in ijs, quæ erant ſcripta. Quod patet ex ſequentibus teſtimoniis. Exod. 13. 8. Narrabis filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt, quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto. Et erit quaſi ſignum in manu tua. Et Deut. 32. 7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos & dicentes tibi. Et Iudic. 6. 13. Vbi ſunt mirabilia eius quæ narrauerunt Patres noſtri, atque dixe-

runt,

runt, de Ægypto eduxit nos Dominus. Et Pſal. 43. Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Et Pſal. 77. 9. Quanta mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera; Filij qui naſcentur & exurgent, & narrabunt filijs ſuis.

20. Ex his teſtimouijs duo colliguntur. Primò, quod traditio fuerit Iudæis à Deo mandata ſeu præcepta. Secundò, quod multa ex ijs, quæ iubebantur docere vel diſcere per Traditionem, apertè habebantur in ſcriptura: Et tamen non remittebantur ad ſcripturam, ſed ad Traditionem. Cuius rei duplex eſt ratio. Vna, quia eo tẽpore, ſcriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis, ſed diſperſa in varijs chartis, & annalibus, vt commodè ab vnoquoque legi non poſſit. Primus, qui eam redegit in formam voluminis, fuit Eſdras poſt captiuitatem Babylonicam. Altera, quia liber Deuteronomij, qui erat præcipuus inter libros V. T. non habebatur paſſim in populo; ſed vnum exemplar à Rege, alterum à ſacerdotibus cuſtodiebatur in arca Domini, qui ſeptimo quoque anno (nempe anno remiſſionis) iubebantur illud populo prælegere. (Deut. 31. 9) Et hi ipſi ſacerdotes fuerunt tam negligentes in eo cuſtodiendo, vt longo tempore amiſſum fuerit, & tandem ab Helcia Pontifice (tempore Ioſiæ Regis) inuentum, ac populo prælectum (4. Reg 22. 7.) Vnde neceſſe eſt, populum in pleriſque vſum fuiſſe Traditione, de qua in præcedentibus teſtimonijs dictum eſt.

21. Quod contigit Iudæis, etiam contingit nobis Chriſtianis. Multa habemus per ſolam Traditionem, quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria ſunt. De quibus generatim Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 14. Itaq; fratres ſtate, & tenete Traditiones, quæ didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, Speciatim verò ſunt hæc, & ſimilia,

milia. Primò, quod tota scriptura Veteris ac noui Testamenti sit verè diuina & à Deo inspirata. Secundò, quod symbolum fidei sit verè Canonicum & Apostolicum Tertiò, quod infantes sint baptizandi. Quartò, quod baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi. Quinto, quod in baptismo pronunciari debeat hæc forma verborum: Ego te baptizato in nomine Patris, & Filij & Spiritu sancti Sextò, quod certus ac determinatus sit sacramentorum numerus in nouo Testamento.

CAPVT II.

De Fide & Symbolo.

1. TRes sunt virtutes Theologicæ, de quibus agendum est, Fides, Spes, Charitas (1. Cor. 13.) 13. Dicuntur autem Theologicæ, quia immediatè versantur circa Deum, in quo differunt ab aijs virtutibus. Et quidem Fides versatur circa Deum, quatenus est verax in dicendo seu reuelando. Spes circa Deum, quatenus est bonus respectu nostri; seu quatenus est sua rema & æterna nostra beatitudo, quam speramus. Charitas circa Deum, quatenus in se bonus est. Fides est in intellectus: Spes & Charitas in voluntate. De singulis dicam.

2. Ac primo de Fide, cuius mysteria nobis reuelata sunt, vel in scriptura, vel per Traditionem. E quæritur. 1. An fides sit donum Dei, quo assentimur ijs, quæ à Deo reuelata sunt 2. Quid in V. T. reuelatum sit de Deo. 3. Quid de Trinitate 4. Quid de Christo. 5. Quibus nominibus in Veteri Testamento appellatus sit Christus. 6. Quis primus crediderit in Christum 7. An Fides in Christum fuerit necessaria ad salutem. 8. An Fides Veteris Testamenti fuerit tam perfecta, quam est Fides Euangelica,

QVÆSTIO I.

Quid sit Fides?

1. REspondeo. Fides est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo, certò ac firmiter assentitur ijs, quæ à Deo obscurè reuelata sunt, & nobis ad credendum legitime proposita. In qua definitione aliqua notanda sunt.

2. Primo, quod Fides sit donum Dei (Eph. 2. 8.) De quo disputat Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum ca. 2. contra Pelagianos & Semipelagianos. Hi dicebant initium Fidei esse à nobis, non tamen fidem perfectam. Illi vtrumque attribuebant solis naturæ viribus. Vtrumque refellit Augustinus.

3. Secundo, quod Fides sit lumẽ. Solet autem distgui triplex lumen in intellectu hominis, 1. Lumen naturale. (Psal. 4. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui. Domine.) 2. Lumen Fidei (1. Petri 2. 9. Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum) 3. Lumen gloriæ Psal. 35. 10. In lumine tuo videbimus lumen.) Primum reperitur in quouis homine Secundum, in homine tantum fideli. Tertium, in homine beato, qui clarè videt essentiam diuinam.

4. Tertio, quod actus fidei sit assentiri vel credere. (Philip. 1. 29. & Hebr. 11. 6.) Possumus autem dupliciter rem aliquam credere. Primo, propter auctoritatem hominis asserentis. Et tunc est fides humana. Secundo, propter authoritatem Dei asserentis & reuelantis. Et tunc est Fides diuina, de qua hic agimus.

5. Quarto, quod materiale obiectum Fidei, quod credimus, sint res à Deo reuelate: formale, authoritas Dei reuelantis. Nam, vt dixi, nos fide diuina credimus vera esse mysteria, quæ nobis proponuntur; non ideo, quia ab homine, sed

quia

quia à Deo reuelata sunt, qui nec falli potest, nec fallere. Vnde etiam vocatur prima veritas. Hæc autem veritas includit duo attributa diuina; nempe infinitam bonitatem, & infinitam sapientiam. Nam Deus, quia infinitè bonus est, non vult fallere. Et quia infinitè sapiens est, non potest falli.

6. Quinto, quod actus fidei circa suum obiectum, id est, circa res à Deo reuelatas, habet duas proprietates, nempe certitudinem & obscuritatem. Certitudo oritur ex infinita Dei sapientia & bonitate: Obscuritas ex reuelatione. Quod sic explico. Actus fidei, quo credo mysterium Trinitatis, est certus & infallibilis, quia nititur certo & infallibili fundamento, nempe authoritate Dei reuelantis, qui nec falli potest propter infinitam sapientiam, nec fallere propter infinitam bonitatem. Idem actus est obscurus, quia nititur diuina reuelatione, quæ respectu nostri obscura est. Et quidem ex duplici capite. Primò ex parte Dei reuelantis. Non enim constat nobis clarè & euidenter, reuelationem mysterij Trinitatis, quæ facta est à Deo factam esse. Secundò, ex parte rei reuelatæ Nam reuelatio non ostendit nobis clarè & intuitiuè rem reuelatam, sed tantum obscurè & abstractiuè Hoc patet in simili exemplo. Quando enim Virgilius narrat mihi aliquid de rebus absentibus, quas nunquam vidi, non efficit per suam narrationem, vt clarè incipiam videre res ipsas, de quibus narrat; sed solum efficit, vt obscuram & abstractiuam de ijs habeam notitiam & cognitionem.

Sic etiam, quando Deus reuelat nobis mysterium Trinitatis, quod nunquam vidimus, non efficit per suam reuelationem, vt clarè & intuitiuè videamus hoc mysterium; sed solum, vt obscurè & abstractiuè credamus tale esse, quale à Deo reuelatur. Et hoc docet experientia Hinc Apostolus Heb. 11. 1. ait, Fidem esse argumentum rerum non apparentium; quia nimirum res illæ, quæ

tur à nobis clarè. Et 1. Cor. 13. dicit: Videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, id est, in hac vita obscurè cognoscimus mysteria fidei, in altera clarè intuebimur.

7. Vnde sequitur, actum fidei esse voluntarium & liberum, non autem necessaria. Vel, quod idem est, nos voluntariè & liberè assentiri rebus à Deo reuelatis; non autem necessario. Loquor autem de necessitate obiecti, non præcepti. Nam ex parte præcepti, quod nos obligat, necessario debemus assentiri rebus à Deo reuelatis, si volumus salui esse. At ex parte obiecti, non necessario, sed liberè. Quod sic probo. Tunc intellectus necessario assentitur alicui obiecto, vel propositioni, quando propter ipsius rei euidentiam conuincitur, & quasi necessitatur ad assensum; ita vt non possit non assentiri: Tunc autem voluntariè ac liberè assentitur, quando propter rei obscuritatem non conuincitur, aut necessitatur ad assensum; sed potest assentiri vel dissentire, prout voluntati visum est. Do exemplum. Quando quis clarè videt, Solem ortum esse, tunc intellectus, si aduertat, propter rei euidentiam, necessario conuincitur ad formandum hunc assensum: Sol ortus est. Quando autem non videt ortum esse, (vt si cœcus sit sed tamen ab alio audit ortum esse; tunc intellectus eius non necessario conuincitur. sed à libera voluntate ad assensum mouetur. Idem fit in mysterijs fidei. Beati in cœlo, qui clarè intuentur mysterium Trinitatis, necessario præbent assensum: Nos in hac vita, qui non intuemur liberè præbemus assensum. Et si voluntas pia est, credimus Deum esse trinum & vnum; si impia, non credimus, & infideles efficimur. Hæc omnia prolixè disputantur à Theologis in 2. 2. q. 1. & 2. Nos pauca diximus pro hoc loco & instituto.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quid in veteri Testamento fuerit reuelatum de Deo?

1. REspondeo. Hæc tria potissimnm: Primò, Deum esse Exod. 3. 14. Ego sum, qui sum. Secundò, Deum esse vnum. Deut. 6. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Et Deut. 32. 39. Videte, quod ego sim solus, & non alius Deus præter me. Tertiò, Deum habere prouidentiam circa homines, id est, saluare bonos, & punire malos. Sap. 6. 8. Æqualiter est illi cura de omnibus. Et Deut. 7. 9. Et scies, quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

2. Præter hæc tria, sunt multa alia, quæ ad illa reuocantur. Cuiusmodi sunt hæc. Deum esse bonum. (Et Psal. 72. 1.) Esse infinitum. (Psal. 144. 3.) Esse vbique præsentem. Psal. 138. 7.) Esse immutabilem. (Num. 23. 19.) Æternum. (Psal, 89. 2.) Omnia scientem. (1. Reg. 2. 3.) Omnipotentem. (Gen. 17. 1.) Creasse cœlum & terram. (Gen. 1. 1) Creasse hominem ad imaginem & similitudinem suam. (Gen. 1. 26) Dedisse illi præcepta, & promisisse vitam, si ea seruaret: mortem, si non seruaret. (Gen. 2 17. & alibi)

QVÆSTIO III.

Quid in Veteri Testamento fuerit reuelatum de Trinitate?

1. REspondeo. Nusquam in Veteri Testamento expressè reuelatum est. Tres esse perso-

nas

nas diuinas, vnius & eiusdem essentiæ; ac realiter inter se distinctas, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: sed tamen quibusdam locis obscurè & confusè insinuatum est, plures esse personas, quam vnam: Solent autem produci varia testimonia, quibus id insinuatum est, quæ breuiter recensebo.

2. Primum est, Geneſis 1. 1. In ptincipio creauit Deus cœlum & terram. Ac paulo post: Et. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Vbi aliqui putant, Patrem significari nomine Dei; Filium nomine principij; Spiritum Sanctum nomine Spiritus Dei. Ita Origenes & Rupertus in illum locum, quibus fauet Augustinus, libro de Genesi ad litteram imperfecto ca. 1. Et confirmari potest hæc expositio ex eo, quod Filius Dei de seipso dicit Psal. 39. 9. In capite libri scriptum est de me, id est, in initio libri Geneseos, Vide Hieronymum in quæstionibus Hebraicis in Genesim.

3. Secundum est. Geneſis 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Vbi Deus loquitur de se in plurali numero, propter pluralitatem personarum, vt notant Origenes, Basilius, Chrysostomus, & Ambrosius in illum locum: Item Athanasius in oratione contra idola, circa finem, Augustinus lib 6. de Ciuitate Dei c. 6 Concilium Sy mienſe Canone 13. & plures alij. Simile est illud Gen. 3 22. Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Et Gen 11. 7. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.

4. Tertium est, Geneſis 19 24. Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo. Vbi cum dicitur, Dominus à Domino, insinuantur duæ, vt minimum, personæ, vt sensus sit: pluit filius à patre. Ita Ignatius in Epistola ad Antiochenos, Iustinus in Dialogo cum Triphone, Athanasius in oratione contra

Græcos

Gregales Sabelli, Hilarius libro quinto de Trinitate: Concilium Sirmienſe Can. 15. & alij.

5. Quartum eſt, Pſal. 66 8. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Vbi nomen Deus ter ponitur: bis quidem abſolutè pro Patre & Spiritu ſancto: & ſemel cum pro nomine noſter, pro Filio, qui propter humanam naturam aſſumptam vocatur Deus noſter. Eodem ſpectat illud Iſaiæ 6. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. In quem locum ſic ſcribit Rabbi Simeon: Sanctus, hic eſt Pater: Sanctus, hic eſt Filius, Sanctus, hic eſt Spiritus ſanctus. Vide Galatinum libro ſecundo de arcanis capite nono, & Vaſquez 1. part. diſput. centeſima octaua capite ſecundo.

6. Quintum eſt; Zachariæ 2. 10. Landa & lætare filia Sion: quia ecce, ego venio, & habito in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum & habitabo in medio tui. Et ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te. Vbi bis ponitur nomen Domini: ſemel pro Deo mittente, & ſemel pro Deo miſſo, id eſt, ſemel pro Patre, & ſemel pro Filio, plura teſtimonia adducam quæſtione ſequenti.

7. Nota, Trinitatem perſonarum varijs modis cognoſci poſſe in hac vita. Primò, per reuelationem ſupernaturalem, factam in V. T. de qua iam dixi: Et hæc obſcura eſt Secundò, per reuelationem ſupernaturalem, factam in Nouo Teſtamento, de qua infra dicam, quęſtione decima. Et hæc quoad verba, clarior & apertior eſt. Tertiò, per congruentias naturales. Cuiuſmodi ſunt hæ. 1. Natura boni eſt, diffundere & communicare ſeipſum: Ergo, natura infiniti boni eſt, communicare ſe infinitè. At Deus eſt infinitum bonum: Ergo infinitè ſe communicat At non communicat ſe infinitè extra ſe per productionem creaturarum: Ergo debet ſe infinitè communicare intra ſe, per productionem perſonarum eiuſ-

dem

dem essentiæ & naturæ Secundo, Ad perfectam beatitudinem requiritur consortium aqualium personarum: At Deus est perfectissimè beatus: Ergo debet habere consortium æqualium personarum. Tertio, Melius est, Deus ab æterno Aliquid produxisse, quàm otiosum fuisse: At ab æterno non produxit creaturas extra se: Ergo produxit personas diuinas intra se.

8. Quarto potest cognosci Trinitas personarum per vestigia creaturis impressa. Nam omnes creaturæ propter ternerium numerum, quem in se habent à suo Creatore, videntur clamare à Trinitate creatas se esse. Quod aliquot exemplis demonstrabo. Primo, In vnaquaque creatura sunt tres passiones Entis, vnum, verum, bonum. Secundo, Tota vniuersitas creaturarum diuiditur in tria genera. Nam aliæ sunt spirituales, vt Angeli; aliæ corporales, vt cœli, elementa, lapides, plantæ, bruta animalia; aliæ mixtæ ex corpore & spiritu, vt homines. Tertio, Angeli diuiduntur in tres Hierarchias, supremam, mediam, & infimam. Et singulæ Hierarchiæ in tres ordines. Quarto, Vnusquisque Angelus, sicut etiam vnaquæque anima rationalis, habet tres facultates, memoriam, intellectum, voluntatem. Memoria repræsentat Patrem, qui habet ideas omnium rerum in se. Intellectus Filium, qui est Sapientia Patris. Voluntas Spiritum Sanctum, qui est amor procedens à Patre & Filio. Vide Augustinum lib. 9. de Trinitate & sequent. Bellarm. li. 2. de Christo ca. 6.

QVÆSTIO IV.

Quid in V. T. fuerit reuelatum de Christo?

1. REspondeo. Multa de Christo fuerunt reuelata. Et speciatim hęc. Primò, quod esset nasciturus ex semine Abrahę (Gen. 22. 18.) Secundo, quod ex familia Dauid.) Ieremię

niæ 23. 5) Tertio, quod ex Virgine. (Isaiæ 7. 14.) Quarto, quod in Bethleem. (Michææ 5. 2.) Quinto, quod certo tempore (Gen 49. 10. Et Daniel. 9. 24. Et Aggæi 2. 7.) Sexto, quod prædicaturus Euangelium salutis & pacis.) Isaiæ 61. 1.) Septimo quod facturus miracula. (Isaiæ 35. 1.) Octauo, quod redempturus genus humannm, & pro humano genere morituras. (Isaiæ 53. 4. Daniel. 9. 16.) Nono, quod descensurus ad inferos, & tertia die resurrecturus (Psalm. 15. 10. Et Ionæ. 2. 1.) Decimo, quod ascensurus ad cœlum (Ps. 67. 19. Vndecimo, quod sessurus ad dexteram Dei Patris. (Psal. 109. 1.) Duodecimo, quod missurus Spiritum sanctum. (Isaiæ. 44. 3. Et Ioelis 2. 28.) Decimotertio, quod iudicaturus viuos & mortuos. (Psal. 95. 13.) Hæc omnia clarius constant ex nouo Testamento.

2. Quæres, An etiam reuelatum fuerit in Veteri Testamento, Christum fore Deum simul & hominem? Respondeo. Clarè reuelatum fuit fore hominem, obscurè Deum. Prior pars patet ex dictis: quia clarè reuelatum fuit, Christum nasciturum & moriturum; quod non potest intelligi, nisi secundum humanitatem. Posterior colligitur ex varijs Scripturæ locis. Psalm. 2. 7. Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Ex quo loco probat Apostolus Hebr. 1. 5. Christum esse maiorem Angelis, quia ab æterno genitus est à Deo Patre per diuinum generationem. Item Psal. 96. 8 Adorate eum omnes Angeli eius. Quo etiam loco vtitur Apostolus ibidem. Item. Psal. 209. 1 Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Quem locum explicat ipsemet Christus Matthæi 22. 44. Item Isaiæ 35. 4. Deus ipse veniet & saluabit vos. Vbi apertè loquitur de Christo, vt ex contextu patet. Item Baruch. 3. 36. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Vbi etiam est sermo de Christo, quia sequitur: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Item Micheæ

cheæ 5. 2. Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: &, egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Vbi insinuatur duplex Christi generatio. Vna humana, cum dicitur: Ex te mihi egredietur. Altera diuina, cum additur: Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.

3. Hic obiter notandum est, hæc testimonia Veteris Testamenti, in quibus agitur de Christi diuinitate, per se quidem obscura esse; sed tamen, quia pleraque in Nouo Testamento clarioribus verbis explicata sunt, facilius intelligi à Christianis, quam olim intellecta fuerint à Iudæis: quia Iudæi non habuerant illam explicationem, quam Christiani habent. Quomodo autem hæc claritas noui, & illa obscuritas V. T. intelligenda sit, dicetur q. 9.

QVÆSTIO V.

Quibus nominibus fuerit Christus appellatus in Veteri Testamento?

RESpondeo, His potissimum. 1. Deus. (Isaiæ 35. 4. & Baruch. 3. 36.)
2. Emmanuel, id est, nobiscum Deus Isaiæ 7. 14.
3. Dominus Dauidis. Psal. 109. 1.
4. Dominus legifer noster, Rex noster, Iudex noster. Isaiæ 33. 21.
5. Christus. Dan. 9. 26.
6. Saluator & propugnator. Isaiæ 19. 20.
7. Redemptor. Isaiæ 59. 20.
8. Propheta. Deut. 18. 15.
9. Sanctus Sanctorum. Dan. 9. 24.
10. Desideratus pan&is gentibus. Aggæi 2. 8.
11. Expectatio gentium. Gen. 49. 10.
12. Brachium Domini. Isaiæ 59. 1.
13. Dominator. Malach. 3. 1.
14. Angelus testamenti. Ibidem.

15. Sol

17. Sol iuſtitiæ. Malach. 4 2.
16. Paſtor. Iſaiæ 40. 11, Et Ez. ch. 34. 23.
17. Agnus. Iſaiæ 53. 7.
18. Semen Abrahæ. Geneſis 22. 18. vt explicat Apoſtolus Gal. 3. 26
19. Stella oriens. Num. 24. 16.
20. Lux gentium. Iſaiæ 9 2.
21. Lumen Ieruſalem. Iſaiæ. 60. 1.
22. Sacerdos in æternum Pſal. 109. 4.

Multo luculentiora nomina ſortitus in nouo Teſtamento, cuiuſmodi fere ſunt hæc.

1. Deus.
2. Filius Dei.
3. Filius Dei vnigenitus. Ioan. 1, 18. & ca. 3. 16.
4. Imago Dei inuiſibilis. Coloſſ. 1. 15.
5. Agnus Dei. Ioan. 1. 37.
6. Figura ſubſtantiæ Dei Hebræorum 1. 3.
7. Sermo Dei, Hebr. 4. 12.
8. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Galat. 1. 2. & alibi ſæpius.
9. Mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. 5.
10. Mediator N. T, Hebr. 9. 15.
11. Saluator mundi, Ioan. 4 42. & alibi.
12. Redemptor, Act. 7. 35. &alibi.
13. Aduocatus noſter apud Deum 1. Ioan. 2. 1.
14. Meſſias. Ioan. 1. 41. & Ioan. 4. 25. non alibi
15. Paſtor bonus, Ioan. 10. 11.
16. Primogenitus omnis creaturæ Coloſſ. 1. 15.
17. Primogenitus ex mortuis, ibidem v. 18.
18. Caput Eccleſiæ, ibidem.
19. Hæres vniuerſorum Hebr. 1. 2.
20. Apoſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ. Hebr. 3. 1.
21. Pontifex magnus Heb. 4. 14.
22. Sacerdos in æternum. Heb. 5. 6.
23. Miniſter circumciſionis, Rom. 15. 8.

24. Lux

24. Lux mundi, Ioan. 8. 12.
25. Via, veritas, & vita, Ioan. 14. 6.
26 Ostium ouium, Ioan. 10. 7.
27. Magister bonus, Matth. 19. 16.
28. Propheta magnus, Lucæ 7. 16.
29. Oriens ex alto, Lucæ 1. 78.
30. Lapis offensionis & petra scandali, Rom. 9. 33 & 1. Petri 2. 8.
31. Radix Dauid, Apoc. 5. 5.
32. Leo de tribu Iuda, ibidem.
33. Principium & finis, alpha & omega, Apocal. 1. 8.
34. Princeps Regum terræ, Apoc. 1. 5.

QVÆSTIO VI.

Quis in veteri Testamento primus crediderit in Christum?

1. REspondeo Adamus in Paradiso, cum dixit, Gen. 2 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Nam his verbis, non solùm locutus est de præsenti suo matrimonio, cum Eua; sed etiam prophetauit de futura coniunctione Christi cum Ecclesia, quæ præfigurabatur, per coniunctionem Adæ & Euæ, vt interpretatur Apostolus, Ephes. 5. 32. Vbi explicans prædicta verba sic ait: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Vnde D. Hieronymus lib. 3. commentariorum in Epistolam ad Ephesios ait. Adamum fuisse, & primum hominem, quia primo creatus est; & primum vatem, quia primus de Christo & Ecclesia prophetauit. Similia habent alij Patres.

2. Sunt autem duæ partes prophetiæ ipsius, Vna quia prædixit fore, vt Christus relinquat patrem

Patrem ſuum, qui eſt Deus; & matrem ſuam, quæ eſt cœleſtis Hieruſalem, & veniens in hanc terram, adulteret vxori ſuæ, quę eſt in Eccleſia. Vide Hieronymum loco citato.

Altera, quia prædixit, fore, vt ſicut ipſe per carnale matrimonium coniunctus fuit cum Eua; ſic Chriſtus per ſpirituale matrimonium, coniungendus eſſet cum Eccleſia, iuxta illud Oſeæ 2. verſ. 19. Sponſabo te mihi in ſempiternum. Et hoc ſenſu, quem multi ſequuntur, matrimonium Adami & Euæ fuit figura ſeu typus coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Vide Cornelium de lapide in cap. 5. ad Epheſ. v. 32.

3. Quæres, de qua coniunctione Chriſti cum Eccleſia hoc intelligendum ſit? Aliqui putant, ſolum intelligi de illa qua Chriſtus, vt Deus coniunctus eſt Eccleſiæ per fidem & charitatem: non autem de illa, qua Chriſtus, vt homo, coniunctus eſt Eccleſiæ per incarnationem. Alij rectius dicunt vtraque intelligunt. Nam Chriſtus, etiam vt homo, dicitur caput Eccleſiæ, ſicut vir eſt caput mulieris. (Epheſ. 4. 23.) Vide Franciſcum Suarez, 3. part. q. 1 art. 3. in commentario.

4 Dices: Si Adam præſcriuit venturum Chriſtum, Ergo etiam præſcriuit ſe peccaturum; quia Chriſtus non erat venturus, niſi propter peccatum Adæ. Vnde eſt vulgatum illud Theologorum axioma: Si Adam non peccaſſet; Chriſtus non veniſſet. Reſpondeo. Non ſequitur, quia poteſt fieri, vt a iquis cognoſcat effectum, & non cognoſcat cauſam. Et hoc modo Adam præſcriuit venturum Chriſtum in hunc mundum, non tamen præſcriuit cauſam, propter quam eſſet venturus. Ita D Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 3. ad 6. & in 2. 2. quæſt. 2. art. 7. in corpore.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

An Fides in Christum fuerit necessaria ad salutem in Veteri Testamento.

1. REspondeo. Fuit necessaria. Omnes enim, vt minimum, tenebantur credere in venturum Christum, tanquam Redemptorem seu Mediatorem, per quem liberandi essent à peccatis. Ita docet Augusti Epist 89 ad Hilarium quæst. 3. & Epist. 157. ad Optatam, & lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c 7, vbi asserit, iustos veteris testamenti, non fuisse liberatos à peccatis, nisi per eandem fidem Christi, per quam & nos liberamur, Sicut enim nos credimus Christum venisse in hunc mundum, & per hanc fidem iustificamur; sic illi credebant Christum venturum in hunc mundum, & per illam fidem iustificabantur. Et probat variis Scripturæ testimonijs. Act. 4. 12 Non est in aliquo alio salus (nisi in Christo) Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et 1. Cor. 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et 2. Cor. 4. 13. Habentes autem eundem spiritum fidei. Et Gal 2. 16. Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et Gal. 3. 21. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

2. Et ratio est, quia Deus non vult nos saluare, sine nostro labore, & cooperatione, iuxta illud Augustini: Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te. Vult enim, vt quęramus & desideramus medicum. qui nos sanet à corruptione peccati. At homines in V. T. non poterant quærere & desiderare medicum, nisi aliquo modo illum cogno-

cognoscerent: Nec poterant illum certo cognoscere in hac vita, nisi per per fidem: Ergo hæc fides fuit illis ad salutem necessaria.

5. Quæres, Cum multa fuerint reuelata de Christo in V. T. vt supra dictum est; an necesse furit omnia credere, quæ erant de illo reuelata? Respondeo cum distinctione. Nam aliud est loqui de Prophetis & Patriarchis, quibus immediatè fuit facta reuelatio de Christo: aliud de alijs, qui à Prophetis & Patriarchis acceperunt reuelationem. Priores tenebantur explicitè credere ea omnia, quæ vnicuique erant releuata, vt Adam tenebatur credere futuram Christi coniunctionem cum Ecclesia: Abraham, Christum ex suo lemine nasciturum: Moyses, fore Prophetam suæ gentis: Dauid, descensurum ad inferos, resurrecturum à mortuis, ascensuram in cœlos, sessurum ad dexteram Patris: Isaias, nasciturum ex virgine, prædicaturum Euangelium salutis, facturum miracula, redempturum genus humanum per passionem & mortem, missurum Spiritum sanctum: Micheas, nasciturum in Bethlehem a Daniel; venturum tali tempore. Hæc enim ipsis erant explicitè à Deo reuelata, siue per externam vocem, siue per internam inspirationem, siue alio modo. Debebant igitur explicitè ea credere; alioqui magnam iniuriam feciſſent Deo, quasi non esset verax & fide dignus.

4. Reliqui, quibus non fuit immediatè à Deo facta reuelatio, erant duplices. Alij Sacerdotes & Doctores Synagogæ; Alij subditi. Has satis erat si crederent venturum Christum, qui ipsos liberaret, iuxta ea, quæ initio quæstionis dicta sunt. At illi vlterius tenebantur plura alia credere. 1. Quod Christus esset futurus Deus. 2. Quod per passionem & mortem redempturus esset humanum genus. Et quæ similia sunt. Cuius rei duplex est ratio. Vna, quia Sacerdotes erant Doctores populi, & iudices controuersiarum fi-

de: Ergo ratione officij tenebantur omnia scire & perscrutari, quæ à Moyse & Prophetis erant scripta de Christo; alioqui non potuissent alios instruere, nec in supremo Concilio, cui intererant, definire controuersias, quæ de venturo Christo ex Moyse & Prophetis solent proponi & disputari. Altera quia Sacerdotes tenebantur scire, cruenta sacrificia animalium quæ ipsi offerebant, esse figuras seu typos futuræ mortis Christi: Itemque, sanguinem animalium, qui effundebatur, non habere ex se vim remittendi peccata, sed omnem vim accipere ex sanguine Christi, cuius effusionem præfigurabat (Hebr. 9, 12.) Vide D. Thomam in 2. 2. q. 2. art. 7.

5. Ex dictis constat, tria potissimum spectari posse in Christo. 1. officium Redemptoris 2. Diuinitatem coniunctam cum humanitate. 3. Passionem & mortem. Sacerdotes tenebantur hæc omnia explicitè credere. Populus non item Satis erat, si explicitè crederet venturum aliquem prophetam, qui redempturus esset Israël. Hunc enim omnes exspectabant, clamantes cum Prophetis: Rorate cœli desuper: & nubes pluant iustum: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Quod autem is futurus esset Deus, & quod per passionem & mortem redempturus esset Israël; non necesse erat omnes explicitè credere. Vide D. Thomam loco citato.

QVÆSTIO VIII.

An sola fides in V. T. fuerit sufficiens ad salutem & iustificationem?

1. RAtio dubitandi est, quia scriptura insinuat, Abraham fuisse iustificatum per solam fidem. Gen. 15. 6. & Rom. 4. 3. & Gal. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam Respondeo, Contrarium docet scriptura.

pera, iustificatum esse, non solum per fidem, sed etiam per spem, obedientiam, & alia pia opera. Rom. 4. 18. Qui contra spem in spem credidit. Et Iacob 2. 21. Abraham Pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quomodo Fides cooperatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et Hebr. 11 v. 8. Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatem, & exijt, nescieus quò iret.

2. Ex quibus locis colligitur, fidem, qua Abraham iustificatus est, non fuisse nudam & solitariam, sed coniunctam cum spe, obedientia, & alijs pijs operibus. Illud porro, contra spem in spem credidit, sic debet intelligi: Contra spem naturæ, credidit in spem gratiæ, & promissionis, Vel latius: Credidit se generaturum filium, quod quidem non poterat sperare, spectando cursum naturæ; quia iam erat senex, & habebat vxorem sterilem; sed tamen sperabat, spectando gratiam & promissionem Dei, quę non fallit.

3. Quod dixit de Abraham, dicendum est etiam de alijs, qui in veteri Testamento iustificati sunt. Non enim per solam fidem, sed etiam per alia bona opera iustificati sunt; vt colligitur ex illo Iacobi 2. 25. Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eijciens? Et causam addit, cur non ex sola fide: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Vbi illa particula, fides sine operibus mortua est, conferri debet cum illa, superius posita: Fides cooperabatur operibus. Quam alius Apostolus expressit quidem alijs verbis, sed simili ferè sensu. Galat. 5. 6. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed fides, quę per charitatem operatur.

4. Vt res tota fiat clarior, repeto, quod alij

dixi, duplicem esse iustificationem: Primam, & secundam. Prima est, qua quis ex impio fit iustus & Deo gratus: Secunda, quæ ex iusto fit iustior & Deo gratior. In prima acquiritur iustitia; in secunda augetur. Itaque fides & alia bona opera, non eodem modo concurrunt ad primam & secundam iustificationem. Ad primam concurrunt dispositiuè; ad secundam meritoriè. Nam homo impius seu peccator, non potest acquirere iustitiam & remissionem peccatorum, nisi prius sit dispositus per actum fidei, timoris, spei, dilectionis, & contritionis Eccli. 1. 28. Qui sine timore est, non poterit iustificari. Prou. 28. 25. Qui sperat in Domino, sanabitur. 1. Ioan. 3. 14. Qui non diligit, manet in morte. Act. 3. 19. Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. At, postquam iustificatus est, tunc per similes actus meretur augmentum iustitiæ; & fit Deo gratior. Vnde sequitur, supra dictos actus dupliciter spectari posse 1. Quatenus præcedunt iustitiam. 2. Quatenus sequuntur. Priori modo dispositiuè; posteriori modo meritoriè se habent. Vide Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. & 10.

QVÆSTIO IX.

An fides V. T. fuerit tam perfecta quam est fides Noui Testamenti?

1. REspondeo: Essentialiter fuit æquæ perfecta; non tamen accidentaliter. Prior pars patet, quia essentia assensus fidei in eo consistit, vt credamus aliquid propter authoritatem Dei reuelantis. At tã Iudæi in Veteri, quàm Christiani in nouo Testamento, quidquid credunt fide diuina, hoc credunt propter authoritatem Dei reuelantis: Ergo assensus vtrorumque est eiusdem rationis & essentiæ. Posterior probatur,

batur, quia fides noui Testamenti perfectior est in *duobus*. Primo, quia ad plura obiecta se extendit. Nam multa mysteria fidei sunt expressè reuelata in N. Testamento, quæ non erant expressè reuelata in Veteri, vt mysterium Baptismi, Eucharistiæ, vocationis Apostolorum, abrogationis cæremoniarum, & similia. Secundo, quia ea mysteria, quæ in vtroque Testamento reuelata sunt, multo clariius & perfectius reuelata sunt in Nouo, quàm in Veteri; vt mysterium Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Vocationis gentium. Hæc enim obscurè reuelata sunt in Veteri, clarè in Nouo.

2. Obijcies: supra dictum est, diuinam reuelationem semper esse obscuram; nunquam claram. Respondeo: Semper est obscura ex parte Dei reuelantis, & ex parte rei reuelatæ, vt q. 1. explicatum est. At ex parte verborum, quibus fit, aliquando est obscura aliquando clara. Et hoc sensu hic loquimur. v. g. Reuelatio Trinitatis in Nouo Testamento est clara ex parte verborum, Matth. 28. 29. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et 1. Ioan. 5. 7 Tres sunt, qui Testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt. Tres, quoad personam, vnum, quoad essentiam. At in Vet. fuit obscura, vt q. 3. ostensum est Idē dico de mysterio Incarnationis, & vocationis Gentium. Hoc enim obscurè fuit reuelatum Iudæis; clarè Christianis, iuxta illud Ephes. 3. 5. Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est S. Apostolis eius & prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.

Nota in mysterio vocationis gentium duo spectari posse. 1. Quod gentiles essent vocandi

ad fidem Christi. 1. Quod essent saluandi sine onere circumcisionis & legis Mosaicæ. Prius fuit reuelatum in V. Testamento per Isaiam & alios Prophetas: Posterius non item. Et ex hac parte. Apostoli habuerunt pleniorem cognitionem vocationis gentium, quam antiqui Prophetæ. De hoc mysterio dicam iterum capite 15. de obseruantijs legalibus, §. 10.

3. Ratio autem, cur mysteria fidei in nouo Testamento sint clarius explicata, quam in Veteri, patet ex supra dictis; quia serui non tam perfectè sciunt & consilia & secreta Patris familias, quàm filij, iuxta illud Christi Ioan. 15. 4. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. At Iudæi erant serui, nos filij. Illi ex ancilla, nos ex libera (Galat. 4. 31.) Ad hoc significandum Moyses cum loqueretur ad populum, faciem velabat. Nobis autem Christus, reuelata facie locutus est; teste Apostolo, 2. Corinth. 3 13.

4. Quæres, An Apostolus loquatur de Fide Veteris & noui Testamenti. cum ait, Rom. 1. 17. Iustitia Dei in eo (Euangelio) reuelatur ex fide in fidem. Magni authores id affirmant, vt Origenes, Chrysostomus. & alij, quos citat & sequitur Tolerus in illum locum Et aiunt, hunc esse sensum: Ex obscura fide V. Testamenti in claram fidem Noui Testamenti. Itaque iuxta hos authores sententia Pauli sic est explicanda: Non erubesco Euangelium: Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, &c. Quasi dicat: Non erubesco prædicare Euangelium, quia tametsi appareat vile (est enim gentibus stultitia, Iudæis scandalum, 1. Corint 1. 23.) tamen habet vim & efficaciam conferendi salutem omni credenti, tam gentili, quàm Iudæo. Nam in Euangelio manifestatur nobis, quod non aliter possumus salui & iusti esse,

esse, nisi per fidem. Non iam amplius per fidem Vet. T. sed per fidem Euangelicam. Si ergo salui esse volumus, transeundum est ex fide Iudæorum, qua credebant, Christum venturum; ad fidem Euangelicam, qua credimus, Christum iam venisse. Et sic mutandus est status fidei. Iudæi quidem in Vet. T. poterant saluari per fidem venturi Christi, sed iam per eam amplius saluari non possunt, sed necesse est, vt relicta sua fide, amplectantur fidem Euangelicam, & credant Christum iam venisse. Vide Riberam in cap. 2. Habac. v. 4.

5. Hinc iterum colligitur, quod ante dixi, fidem Euangelicam perfectiorem esse fide Vet. T. Nam Euangelica supponit Christum iam venisse, & omnia mysteria redemptionis impleta esse; At fides Vet. T. exspectabat Christum adhuc venturum, & supponebat mysteria redemptionis nondum esse inchoata. Et ob hanc causam fit, vt fides V. T. aliquando non mereatur nomen fidei, sed tantum fides noui Test. vt Galat. 3. 23. Prius autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.

CAPVT III.

De Spe, Promissione, & Oratione.

SIcut fides duplex est: vna diuina, quâ credimus Deo; Altera humana, quâ credimus homini. Ita Spes duplex est. Vna diuina, quâ speramus aliquid à Deo; alia humana, quâ speramus aliquid ab homine. De diuina hic agimus. Et quia quæ speramus à Deo, solent etiam promitti à Deo, & per orationem impetrari, agam simul de Promissione & Oratione. Idque hoc ordine. 1. Quid sit Spes, 2. Quæ bona in Vet. Testament. fuerint promissa à Deo. 3. An etiam

vita æterna fuerit promissa. 4 An Oratio fuerit necessaria ad impetrandum eiusmodi bona 5. Quæ fuit formula orandi in Veteri Testamento. 6. An in Vetere Testamento licueri invocare Sanctos 7. An licuerit orare pro defunctis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Spes?

1. REspondeo: Est donum à Deo infusum, quo confirmatus homo, certa cum fiducia exspectat ea bona, quę à Deo promittuntur. Hic aliqua notanda sunt. 1. Quod spes sit donum Dei, sicut fides 2. Quod actus spei sit sperare seu exspectare 3. Quod obiectum spei sint bona à Deo promissa, & ab eo obtinenda. In quo multum differt à fide. Nam fides versatur circa prętcrita, pręsentia & futura. Credimus enim Christum natum esse, quod est prętcritum: Christum sedere ad dexteram Patris, quod est pręsens: Christum venturum ad iudicium quod est futurum. At spes versatur tantum circa futura. Non enim speramus præterita aut præsentia, sed futura: quę nondum habentur. (Rom. 7. 24.) Nec quęcunque futura, sed tantum bona: Nec quęcumque bona, sed à Deo promissa & obtinenda. Vnde sequitur, non esse actum spei Theologicæ, seu diuinę, de qua hic agimus, si speres te obtenturum aliquod bonum à Principe vel Imperatore; sed actum spei humanę, quę sępè vana est.

QVÆSTIO II.

Qua bona in V. T. fuerint promissa à Deo?

1. REspondeo: Hæc tria principaliter. Primo terra sanctafluens lacte & melle. (Gen. 12. 7. Et Exod. 13. 5. & Exod. 33. 1. Et Deut.

Deut. 19. 8.) Secundo, affluentia bonorum temporalium. (Leuit. 26. per totum, & Deuteron. 28. per totum.) Tertio, Christus Saluator. (Deuteron. 18. 5.)

2. Duo priora promittebat Deus sub hac conditione: Si populus seruaret legem Dei: Sin secus contraria mala ipsi minabatur. Hoc patet Deut. 10. 8. Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est, si tamen custodieris mandata eius, & feceris, quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius omni tempore (Et Deut. 28. 1.) Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius. quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra: venientque super te omnes benedictiones istæ & apprehendent te: Si tamen præcepta eius audieris. Et Leuit. 26. 3. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.

3. Hinc factum est primò, vt nullus Israëlitarum ex tot millibus, qui egressi erant ex Ægypto cum Moyse & Aarone, perueniret ad terram sanctam, quæ ipsis erat promissa, nisi Caleb, & Iosue: quia omnes præter hos duos, murmurauerant contra Deum, Num. 14. 27. Vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israël audiui. Die ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: Sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes, qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contrame, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem,

præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun. Et Numer. 32. 10. Qui iratus iurauit, dicens: Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis & ſupra terram, quam ſub iuramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac & Iacob: & noluerunt ſequi me, præter Caleb filium Iephone Cenezerum, & Ioſue filium Nun: Iſti impleuerunt voluntatem meam.

4. Secundo factum eſt, vt illi, qui poſtea habitabant in Terra ſancta, quotieſcunque deſererent legem Dei, afficti fuerunt fame, bello & peſte. Et rurſum quotieſcunque per veram pœnitentiam rediirent ad Deum, habuerint pacem, fertilitatem, & ſalubritatem. Legantur libri Iudicum & Regum.

QVÆSTIO III.

An etiam vita aterna fuerit promiſſa in veteri Teſtamento?

1. REſpondeo: Non fuerit expreſsè promiſſa. Vnde hoc eſt diſcrimen inter nouum & vetus Teſtamentum, quod in veteri promitterentur bona terrena & temporalia; in nouo cœleſtia, & æterna. In veteri dicebatur Iſaiæ 1. 19. Si auſeritis me, bona terræ comeditis. In nouo dicitur, Matth. 5. 3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Hinc Auguſtinus in Pſal. 73. Deus, inquit, ſc vtriuſque Teſtamenti voluit eſſe authorem, vt & terrena promitteret in veteri, & cœleſtia in nouo. Quæ cauſa? Quia alia eſt conditio ſeruorum, alia filiorum. Serui accipiunt temporalem mercedem à ſuis Dominis, & ſic dimittuntur, Filij ſuccedunt in perpetuam hæreditatem. Hoc inſinuat Apoſtolus ad Gal. 4. 30. cum ait: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

2. Quod dixi de promissione dicendum etiam est opposita comminatione. In V. Testamento minabatur Deus pœnas & supplicia temporalia; in nouo æterna. In veteri dicebat Isa. 1. 20. Si me ad iracundiam prouocaueri is, gladius deuorabit vos. In nouo dixit Matth. 5. 23. Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Vnde hoc discrimen ex disparitate seruorum & filiorum, vt dictum est. Serui, qui male se gerunt, minis & flagellis coërceri solent: Filij, si degeneres sint, â paterna hæreditate Excludentur.

3. Obijci potest illud Leuit. 18. 5. Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Et Ezechielis 20. 11. Dedi eis præcepta mea & iudicia mea ostendi illis, quæ faciens homo viuet in eis. Vtroque loco promittit Deus vitã æternã seruantibus legem.

Respondeo. Non promittit vitam æternam, vt aliqui putant, sed etiam longam, quietam, & omnibus bonis affluentem in hoc mundo. Ita explicant magni authores, quos citabo. Et colligitur ex Apostolo Romanorum decimo versu quinto, vbi allegans prius testimonium, sic ait: Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, &c. Hic distinguit duplicem iustitiam: veram legalem seu Mosaicam, quæ consistit in obseruatione legis Mosaicæ. Alteram fidei, quæ consistit in fide Christi per charitatem operante. De priori dicitur: Homo qui fecerit iustitiam legis, viuet in ea, id est, non incurret pœnam mortis, quæ transgressoribus legis posita est. De posteriori dicitur: Si in corde tuo crediderit, quod Deus Christum suscitauit à mortuis; saluus eris (Romanorum 10. vi. 9.) Ita Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, Toletus, Cornelius & alij in Commentario illius loci.

4. Es

4. Et conformauit primo ex eodem Apost. Hebr. 8, 6. vbi expresse ait, nouum Testamentum melioribus repromissionibus sanctum esse quàm vetus. At hoc verum non esset, si in vtroque promissa esset vita æterna. Secundo ex alijs scripturis V. Testamenti, vbi Deus vitam temporalem promittit seruantibus legem, & mortem temporalem non seruantibus legem. Exod. 20. 12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Et cap 21. 17. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Et alibi sæpius.

QVÆSTIO IV.

An oratio fuerit necessaria ad obtinendum id, quod in V. T. promittebatur?

1. REspondeo fuit necessaria: Non quidem absolutè, sed quia Deus sæpè non volebat dare quod promiserat, nisi per orationem ab eo peteretur. Idque propter duplicem hominum vtilitatem. Vna est, vt frequens orando & impetrando, acquirerent maiorem fiduciam recurrendi ad Deum. Altera, vt cognoscerent & profiterentur, Deum esse bonorum omnium authorem, & ab eo solo vera bona obtineri posse. Ita D. Tho. in 2. 2. q 83. ar. 3. ad 3.

2. Exemplo rem demonstrabo: Deus promiserat populo Iudæorum pacem & tranquillitatem, & tamen non dabat nisi orantibus, Iudic. 5. 9. Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit illis Saluatorem, & liberauit eos. Et cap. 6. 6. Humiliatus est Israël valdè in conspectu Madian: & clamauit ad Dominum, postulans auxilium cõtra Madianitas. Qui misit ad eos virum Prophetam &c.

3. Similiter promiserat, se missurum Messiam: & tamen Prophetæ orabant, vt eum mitteret.

Exod,

Exod. 4. 13. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Et Isaiæ 45. 8. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet Saluatorem. Et cap. 64. 1. Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Imo, quod amplius est, Daniel suis precibus impetrauit, vt citius mitteretur, quam putabatur mittendus, Dan. 9. 23 Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, &c. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & delatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.

QVAESTIO V.

Quæ fuerit formula orandi Deum in veteri Testamento?

1. REspondeo: Fuit longè diuersa ab ea formula quæ est in N. Testam. Nam Iudæi, cum Deum orabant, vocabant illum Dominum nos ex mandato Christi, vocamus Patrem. Illi orabant, vt serui: Nos oramus, vt filij. Illi dicebant cum Nehemia: Quæso Domine Deus cœli, fortis, magne atque terribilis, fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie. (2 Esdr. 1. 5.) Nos dicimus cum Christo: Pater noster, qui es in cœlis. (Mat. 6. 9.) Quo nomine sæpissimè vtitur Apostolus, vt Rom. 1. 7. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro. Et Rom. 8. 15. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Et 2. Corinth 1. 3. Pater misericordiarum. Et alibi. Item Christus in Euangelio Matth. 5. 16. Sic luceat

luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glotificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et ibid. v. 44 Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Et v. 48. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester perfectus est, &c.

2. Hinc sequitur primò, verum esse, quod sæpè dixi, Iudæos fuisse in statu seruorum, nos autem in statu filiorum. Illos habuisse Deum pro Domino, nos pro Patre; Illos accepisse mercedem temporalem, nos æternam; Illos timore impulsos fuisse ad seruiendum; nos amore Secundo sequitur, nos esse fratres & cohæredes Christi, illos non fuisse. Quo spectat illud Rom. 8. 17. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et Hebr. 2. 11. loquens de Christo, ait; Non confunditur fratres eos vocare. Et ratio est, quia habemus eundem Patrem cum Christo.

3. Dices etiam in V. Testamento Deus vocabatur Pater Iudæorum vt Isa 63. 16. Tu enim Pater noster. & Abraham nescivit nos. Et Ier. 31. 9. Factus sum Israëli Pater, & Ephraim primogenitus meus est. Ergo ex hac parte, nullum est discrimen inter Iudæos & Christianos; nec inter vetus ac N. Testam. Respondeo; Magnum est discrimen Primò, ex parte legis seu præcepti. Nam Iudæi secundum legem Mosaicam non vocabantur nomine Patris, quando orabant Deum, sed nomine Domini, vt dictum est. At Christiani secundum legem Euangelicam; iubentur vsurpare nomen Patris. Iubentur enim sic orare: Pater noster qui es in cœlis. Secundo, ex parte consuetudinis. Nam in V. Testam. non erat consuetum, vt vel Sacerdotes, vel populus Deum appellaret Patrem: soli Prophetæ aliquando id fecerunt extraordinariè, & quidem duplici sensu,

4. Primò, prædicendo fore, vt Deus, qui tunc erat Dominus Iudæorum, futurus esset Pater Christianorum: Sic intelligendum est illud Ier. loco citat. Factus sum Israëli Pater & Ephraim primogenitus meus est. q. d. In N. T. qnando Iudæi conuertentur ad fidem Christianam, tunc ero pater Israëlis & Ephraim. Et sic explicat Apost. 2. Cor. 6. v. 18. citans testimonium Ier. his verbis: Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus. Vbi illæ, duę particulæ. Ero, &, Eritis, denotant tempus N. T. Porrò per nomen Israëlis possunt intelligi Iudæi, qui erant conuertendi ex tribu Iuda & Beniamin: Et per nomen Ephraim, qui erant conuertendi ex decem tribubus, quales fuerunt Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael.

5. Secundò, insinuando, Deum non quidem vocatum fuisse Patrem Iudæorum, potuisse tamen vocari, si seruassent legem à Deo præscriptam. Sic intelligendum est illud Isaiæ 1. 2. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Et Malach. 1. 6. Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et alia similia. Vide D. August. lib. 2. de sermone Domini c. 4. vbi hęc omnia persequitur.

6. Hic notandum est, Deum triplici titulo posse appellari Patrem. Primo, titulo creationis & conseruationis Sic omnium creaturarum potest dici Pater. Et sic vocatur Pater pluuiæ. (Iob 38. 28.) Secundo, titulo redemptionis. Tertio, titulo regenerationis & adoptionis. Vtroque titulo vocatur Pater iustorum noui Testamenti, iuxta illud Ioan 1. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

7. Quæres: Quare in V. T. vocatus sit Deus Deorum? vt Psal. 49. 1. Deus Deorum Dominus locutus est. Et Psalm. 135. 2. Confitemini Deo

Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia eius. Et Dan. 11. 36 Aduersus Deum Deorum loquetur magnifica. Respondeo; Illa pluralis dupliciter vsurpata fuit in Scripturis. Primo, à Iudæis, qui agnoscebant vnum Deum; Et tunc sensus est: Deus Deorum, id est, Deus noster, qui non solum est supra homines, sed etiam supra Deos gentilium qui sunt falsi Dij. Et sic intelliguntur testimonia citata. Idem sensus alijs verbis exprimitur, Psal 134. 5. Ego cognoui, quod magnus est Dominus, Deus noster præ omnibus Dijs. Secundo ab infidelibus, qui agnoscebant plures Deos. Et tunc sensus est: Deus Deorum, id est, præ ipsis inter Deos. Et sic videtur intellexisse Nabuchodonosor Rex, cum dixit Danieli: Verè Deus vester, Deus Deorum est. (Dan. 2. 47.) Vide Maldonatum in illum locum.

QVÆSTIO VI.

An in V. T. vsitatum fuerit inuocare Sanctos?

1. REspondeo: Vsitatum fuit inuocare Sanctos Angelos, non tamen Sanctos homines, qui ex hac vita decesserant. Prior pars probatur, ex varijs scripturæ testimonijs. Primo ex illo Gen. 48. 15. Deus, in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham & Isaac. Deus, qui pascis me ab Adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Vbi Iacob Patriarcha, primo quidem inuocat Deum; Deinde Angelum custodem, petens ab vtroque benedictionem pro filijs Ioseph, nempe pro Ephraim & manasse.

2. Secundo; ex illo Iob. 5. 1. Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere. Vbi nomine Sanctorum intelligit Angelos, vt exponit Augustinus in annotationi-

bus in

bus in Iob; Bellarminus libro de Sanctis c. 10. Emmanuel Sa in Notationibus. Similis est modus loquendi cap. 15. v. 15. Ecce inter Sanctos eius (id est, inter Angelos) nemo immutabilis. Est igitur hic sensus; Conuertere ad aliquem Sanctorum, id est, recurre ad aliquem Angelum, qui causam tuam defendat apud Deum. Et hoc fecit Iob, vt patebit ex sequenti testimonio.

3. Tertio, ex illo Iob. 19. vers. 27. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, qui manus Domini tetigit me, Vbi Iob, sicut illi suasum erat, inuocat amicos suos, id est, Angelos, vt authores citati interpretantur. Et colligitur ex cap. 33. v. 23. Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem: Miserebitur eius & dicet; Libera eum vt non ascendant in corruptionem; inueni in quo ei propitier. Sensus est; Si aliquis Angelorum (quos inuocabit Iob, dicendo, Miseremini mei) interceſſerit pro eo apud Deum, futurum est, vt Deus misereatur Iobi propter eiusmodi interceſſionem, & dicat Angelos interceſſori, Libera eum, &c.

4. Posterior pars probatur, quia nusquam legimus in V. T. quod aliquis directè inuocauerit Sanctos Patriarchas aut Prophetas, qui ex hac vita deceſſerant.

Dices; Moyses inuocauit Sanctos Patriarchas, Exod. 32. vers. 13 Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum tuorum. Respondeo. Hæc tria distinguenda sunt. Primò, directè inuocare Sanctos dicendo; Sancte Abraham ora pro me. Hoc nunquam factum est in veteri Testamento. Secundò, directe orare Deum, vt sit nobis propitius, propter merita Sanctorum. Hoc factum est in V. T. Nam Salomon orauit Deum, petendo ab illo subsidium, propter merita patris sui Dauid, iam defuncti, vt Psal. 131. 1. Memento Do-

to Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Et infrà vers. 10. Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui, id est, propter fidele obsequium, quod tibi præstitit Pater meus, cum in hac vita mortali esset, rogo te, ne confundas faciem meam, qui loco Patris mei vnctus sum in Regem. Tertio directè orare Deum, vt sit nobis propitius propter pactum cum sanctis initum. Hoc etiam factum est in V. T. loco supra citato. Recordare Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens; Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli; & vniuersam terram, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper.

5. Hinc sequitur; quæ sit differentia inter vetus & Nouum Testamentum, quod attinet ad inuocationem Sanctorum. Nam tametsi veteres soliti sint inuocare Angelos, sicut nos facimus; non tamen soliti sunt directè inuocare alios Sanctos. sicut nos facimus. Non enim dicebant. Sancte Abraham ora pro nobis: sicut nos dicimus; Sancte Petre ora pro nobis. Ratio est, quia Sancti in Veteri Test. non erant in cœlo & cælesti gloria, sed in loco subterraneo, quasi in carcere inclusi (1. Petri 3. 19) ac proinde non poterant ordinariè ac infallibiliter cognoscere viuentium preces & inuocationes. At Sancti in N. T. sunt in cœlo, vbi clarè vident diuinam essentiam; & in ea, tanquam in viuo speculo, nostras necessitates & orationes intuentur. Vnde, D. Gregorius li. 4 Dialogorum cap. 33. de illis sic scribit; Quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? De quo plura dixi in opusculo de Inuocatione Sanctorum.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

An in V. Testamento vsitatum fuerit orare pro defunctis?

1. REspondeo; Fuit vsitatum, vt colligitur ex libro 2. Machab. cap. 12. 42. Vbi Iudas Machabæus curauit offerri sacrificium pro mortuis. Textus sic habet. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quod facta sunt pro peccatis eorum; qui postrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui cecidetant, resurrecturos sperabat, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Vbi tria notanda sunt. 1. Quod Iudas curauerit orari pro mortuis. 2. Quod id fecerit ad exsoluenda illorum peccata. 3. Quod laudabiliter fecerit.

2 Dices 1 Libri Machabæorum non sunt Canonici, quia non habentur in canone Iudæorum. Respondeo, Sunt canonici, vt docet Innocentius. Augustinus, & alij passim, quos citaui cap. 1. quæst. 2. Nec obstat quod non sint positi in canone Iudæorum, quia ille canon factus est, antequam libri Machabæorum conscriberentur. Non ergo mirum est, si in illo canone non habeantur. Habentur tamen in canone Christianorum, vt patet ex authoribus citatis. Vnde Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 29. Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.

3. Dices,

3. Dicea Etiamsi constet, Iudam Machabæum curasse offerri sacrificium pro mortuis; non ideo sequitur, legitimè id factum esse. Nam multa narrantur in scriptura, quæ non legitime facta sunt. Respondeo. Sicut constat Machabæum id fecisse, sic etiam constat laudabiliter fecisse. Quod tripliciter probo. 1. ex verbis scripturæ: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 2. ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ imitatur factum Iudæ. 3. ex persona ipsius Iudæ. Fuit enim vir laudatissimus, & tantæ authoritatis apud Iudæos, vt instituerit festum Encæniorum (lib Machab. 4. v. 59.) quod adhuc tempore Christi publicè celebrabatur, & ap ipso Christo fuit cohonestatum (Ioan. 10. 22)

4. Dices 3. Illi, pro quibus Iudas curauit offerri sacrificium, erant sacrilegi, quia furati erant donaria idolorum, quod apertè pugnabat cum ipsorum lege, Deut. 7. vers. 25. Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quicquam, ne offendas propterea, quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathemacha, sicut & illud est. Vnde constat, mortuos fuisse in peccato mortali. At peccatum mortale non tollitur post hanc vitam. Respondeo: Hic aliqua sunt, aliqua incerta. 1 Certum est, eos, de quibus agitur, contra legem peccasse, sine mortaliter, sive venialiter; 2. Peccatum mortale, quoad culpam, non tolli post hanc vitam. 3 Si ergo aliqui ex illis mortui sint in peccato mortali, non profuisse illis sacrificium. 4 Si autem verè doluerint de peccato ante mortem, profuisse non ad tollendam culpam, quam suppono per contritionem sublatam esse, sed an pœnam temporalem expiandam. Hæc incerta 1. An omnes peccauerint mortaliter in illo facto, quia poterant aliqui excusari à peccato mortali,

vel

vel propter prauitatem materiæ, quam absſtulerant, vel ex alio capite. 2. An omnes, qui peccarunt mortaliter, mortui ſint in peccato mortali; quia aliqui fortè habuerunt veram contritionem ante mortem. Si ergo aliqui; vel non peccauerint mortaliter, vel certè doluerint de peccato mortali; rectè pro illis ſacrificium oblatum eſt. Et quamuis Iudas Machabæus id certo non ſciuerit, fecit tamen laudabiliter, pro omnibus ſacrificium offerendo: Sicut etiam nos, quando oramus pro abſentibus, ſæpe neſcimus in quo ſtatu illi ſint: an ſcilicet viuentes, an mortui; benè, an malè diſpoſiti, digni, an indigni, prædeſtinati, an reprobi: Et tamen non malè facimus, pro illis orando.

5. Habemus ſimilia exempla in ſcripturis. Certè Stephanus, cum oraret pro lapidantibus non ſciebat in quo ſtatu quiſque illorum eſſet: an ſcilicet ex eorum numero; quibus ad ſalutem pro futura eſſet oratio, ſicut profuit Saulo, an ex aliorum numero. quibus profutura non eſſet, cuiuſmodi erant plerique Phariſæi. Et tamen pro omnibus ſine exceptione orauit: Ne ſtatuas illis hoc peccatum. An ideo oratio illius culpanda? Abſit. Similiter Apoſtolus Paulus, dum Romæ eſſet in vinculis, ſcribebat Epheſijs & Coloſſen. vt inſtanter & omni tempore pro ipſo orarent (Epheſ. 6. 19. & Coloſ. 4. 3.) Nec dubium eſt, quin id fecerint. Et tamen, dum poſtea, elapſo temporis interuallo, pro abſente orarent, meritò poterant dubitare, in quo ſtatu ipſe tunc eſſet: an adhuc Romæ teneretur in vinculis, an capite iam plexus, aut aliò ablegatus eſſet, an ideo non rectè orabant? Idem ergo Indicium eſto de Iuda Machabæo. Neſcierit ſanè in quo ſtatu mortui eſſent illi, pro quibus ſacrificium offerebat: non ideo malè feciſſe putandus eſt.

CAPVT

CAPVT IV.

De charitate & præceptis Charitatis.

DVplex est Charitas. Vna naturalis, qua diligimus Deum & proximum, secundùm dictamen luminis naturæ. Altera supernaturalis, qua diligimus Deum & proximum secundùm dictamen luminis Fidei. Prior potest esse in Ethnicis, posterior tantum in fidelibus. Hic agimus de posteriori. Et quæritur. 1. quid sit charitas 2. An in V. T. fuerint duo præcepta charitatis: vnum de diligendo Deo ex toto corde: alterum de diligendo proximo, sicut seipso. 3. An prius præceptum de diligendo Deo ex toto corde, sit possibile in hac vita. 4. An posterius præceptum de diligendo proximo, intelligatur tantum de amico, an etiam de inimico. 5. Quid sit diligere proximum sicut seipsum.

QVÆSTIO I.

Quid sit Charitas.

1. REspondeo. Charitas est virtus à Deo infusa, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deũ. Hęc partim convenit cum Fide & Spe, partim discrepat. In eo convenit, quod sit supernaturalis, à Deo infusa, sicut Fides & Spes: In eo discrepat, quod sit perfectior Fide & Spe, iuxta illud 1. Corinth. 13. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas. Est autem ex duplici capite perfectior. Primò, quia Fides & Spes, sicut etiam aliæ virtutes, nihil prosunt sine Charitate, vt prolixe ostendit

Apos-

Apostolus loco cit. Et hoc sensu docent Theologi cum D. Thoma in 2. 2. qu 23. art. 8. Charitatem esse formam, animam & vitam aliarum virtutum. Nam sicut corpus humanum habet omnem vim & valorem operandi ab anima, quæ est vita & forma corporis: sic aliæ virtutes habent omnem vim ac valorem merendi à Charitate. Vnde Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. Ipsam fidem non facit vtilem, nisi Charitas. Sine Charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse. Secundò, quia Fides & Spes includunt quandam imperfectionem, Fides quidem, obscuritatem; Spes verò dilationem boni, quod speratur. At Charitas nullam includit imperfectionem. Hinc infert Apostolus, fidem & spem, quia imperfectæ sunt, non manere in beatis in cœlo, Charitatem, quia perfecta est, manere. (1. Corinth. 13. 7.)

2. Propter hanc perfectionem dici solet, Charitatem eminere inter virtutes, sicut aurum eminet inter metalla; ignis inter elementa; Sol inter Planetas; Cœlum Empyreum inter orbes cœlestes; Seraphin inter Angelos. Nam Charitas, qua diligimus Deum & proximum; est quasi aurum pretiosissimum, quo comparamus nobis bona cœlestia: est ignis cœlestis, quo accenditur & inflammatur animus: est Sol, qui illuminat, fœcundat, viuificat, est cœlum Empyreum, in quo habitat Deus cum beatis, est virtus Seraphica, quæ homines ardentes efficit.

QVÆSTIO II.

Quæ fuerint præcepta Charitatis in veteri Testamento?

1. REspondeo, Hæc duo principalia; Vnum, Deut. 6. vers. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima

ma tua, & ex tota fortitu line tua; Alterum, Leuit. 19. verſ. 18. Diliges amicum tuum, ſicut tè ipſum. Chriſtus vtrumque coniunxit in Euangelio, & expreſſit his verbis Matth. 22. 37. Diliges Dominum Deum tnum ex toto corde, & ex tota anima tua. & ex tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem eſt ſimile huic. Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis, vniuerſa lex pendet & prophetæ.

2. Pius præceptum, de diligendo Deo ex toto corde, iubebantur Iudæi ligare in manibus, collocare inter oculos, & ſcribere ſuper ianuas & poſtes domum ſuarum. Sic enim habetur Deut. 6. 4. Audi Iſrael. Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens Et ligabis ea. quaſi ſignum in manu tua: eruntque & mouebuntur ante oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtijs domus tuæ. Et infrà. cap. 11. verſ. 20. Scribes ea ſuper poſtes & ianuas domus tuæ.

3. Quæres, quo ſenſu hoc intelligendum ſit? Reſpondeo. Duplex eſt expoſitio. Vna veterum Iudæorum, qui propriè intelligebant, ſicut verba ſonant. Itaque apud illos erat conſuetudo, vt ſcriberent legem Dei in membrana, & affigerent fronti, brachio ſimbrijs, & oſtio domus ſuæ. Hinc Chriſtus Matth. 23. 5 de Scribis & Phariſæis ait: Dilatant phylacteria ſua, & magnificant ſimbrias. Vbi per phylacteria intelligit membranulas, in quibus lex Dei ſcripta erat, quas Phariſæi in fronte verſus vtramque autem, & in brachijs circa manus, & in ſimbrijs veſtimentorum geſtabant, vt perpetuò legem Dei ante oculos haberent.

berent. Dicta autem sunt à Græcis id est, conseruatoria, quod ad conseruandam legis memoriam instituta essent. Vide Maldonatum in Commentario illius loci.

4. Altera nostrorum Interpretum, qui non intelligunt propriè de externa scriptione legis in membranis. & affictione ad frontem, brachia, & ostia; sed de ingi memoria & recordatione illius præcepti. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Vt hic sit sensus: Ita constantem & continuam illus præcepti habebis recordatiónem, ac si frontalibus, dextralibus, ac liminaribus inscriptum esset, & tuis oculis perpetuò obijceretur, & obseruaretur. Ita Lyranus, Abulensis, Rabanus, Cornelius. Itaque secundum hos auctores, eadem res semel propriè, semel metaphoricè proposita est. Propriè, cùm dictum est: Eruntque verba hęc in corde tuo, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere. Metaphoricè, cum additum est: Et ligabis ea, quasi signum in manu tua; eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostijs domus tuæ.

5. Hæc posterior expositio passim recepta est: Prior tamen est valdè probabilis, & magis accommodata statui Iudæorum, & analogiæ V. ac N. Testamenti. Quæ, vt suprà dixi, in eo consistit, quod Iudæi fuerint serui, Christiani sint filij; Illi habuerint externam litteram; hi habeant internum spiritum; illi fuerint quasi carnales; hi spirituales. Itaque illi per externa & sensibilia signa debebant instrui ac doceri de rebus spiritualibus. Sic per mactationem bouum & ouium instructi sunt de futura Christi passione; per externam circumcisionem carnis, de interna cordis contritione; per transitum maris rubri, de effectu Baptismi. Ergo verisimile est, quod etiam per externam scriptionem legis, & affixionem

frontem, brachia, fimbrias, parietes, moniti fuerint de obseruanda lege. Et ita sentit D. Thom. in 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 7. vbi cum alteram nostrorum Interpretum expositionem proposuisse, postea subdit; Potest tamen dici, quod quia populus ille carnalis erat, & duræ ceruicis, oportuit etiam per huiusmodi sensibilia, eos ad legis obseruationem excitari.

QVÆSTIO III.

An primum præceptum de diligendo Deo ex toto corde sit possibile in hac vita?

1. NEgat Caluinus. Affirmant Catholici. Et probant exemplo Dauidis, & aliorum Sanctorum qui illud seruarunt. Psal. 118. 10. In toto corde exquisiui te. Et 3. Reg. 14. 8. Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitũ est in conspectu meo. Et 4. Reg. 23. 25. de Iosia; Similis non fuit ante eum Rex qui reuerteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi. Et rursus Ecclesiastici 47. vers. 10. de Dauide; De omni corde suo dilexit Deum. Hinc aperte vides, Dauidem & Iosiam dilexisse Deum ex toto corde iuxta præceptum Decalogi. nec dubium, quin idem fecerint Abraham, Moyses, Samuel, Helias, Elisæus, Hieremias, & alij Prophetæ. Et in nouo testamento B. Virgo, Apostoli, Stephanus, Timotheus, Titus, & alij non pauci, præsertim cùm de his prædictum sit, Deut. 30. 6. Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas eum in toto corde, & in tota anima, vt possis viuere.

2. Porrò, vt res tota clarius percipiatur. ex
plican

plicandum est, quis sit sensus illius præcepti, quo iubemur diligere Deum ex toto corde. Sic enim facilè constabit, an seruari possit, necne. Potest autem triplex esse sensus. Primus, vt diligamus Deum ex toto corde id est, vt totum cor nostrum, quantum quantum est, in eo solo diligendo occuparetur, nec aliud amemus aut diligamus quàm ipsum. Hoc sensu non præcipitur Dei dilectio alioqui non liceret proximum diligere, quod tamen facere iubemur. Alter est, vt diligamus Deum ex toto corde, non quod totũ cor nostrum in eo diligendo debeat occupari; sed quod tantò conatu in eum ferri debeat, quanto fieri potest. Nec hoc sensu præcipitur; quamus si præciperetur, seruari posset. Quis enim dicat impossibile esse, Diligere Deum tanto conatu, quanto diligere eum possit? Tertius est, vt diligamus Deum ex toto corde, id est, vt diligamus eum super omnia; vt præferamus illum rebus alij; vt nullius rei amorem Dei amore anteponamus; vt nullius creaturæ timere vel amore velimus Deum offendere, & ab illius amore recedere. Hic verus ac germanus sensus est. Hunc expressit Apostolus, Rom. 8. 39. Nulla creatura poterit nos separare à Charitate Dei, id est, nulla poterit efficere, vt ei postponamus dilectionem Dei. Et Christus Matth. decimo, vers. trigesimo septimo. Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus, id est, qui amorem parentum præfert amori Dei; non diligit Deum super omnia. Vnde è contrario, qui amori parentum (qui in filijs solet esse maximus) præfert amorem Dei, conuincitur diligere Deum super omnia.

3. Hoc sensu laudatur Abraham (Gen. 22.) quod cùm haberet vnicum filium Isaac, quem, intimè diligebat; eius tamen dilectioni præferret dilectionem Dei. Nam si inter omnes creaturas, nullam tantopere amabat, sicut filium suum vnige-

vnigenitum; & nihilominus hunc ipsum filium paratus erat offerre Deo in sacrificium; euidens signũ erat, eum diligere Deum super omnia, vel quod idé est, ex toto corde. Hinc concludo, hoc præceptum non esse impossibile, si eo sensu explicetur, quo iam explicatum est.

4. Sed obijcitur Augustinus in lib. de Spiritu & littera, cap. vltimo, & in lib. de perfectione Iustitiæ, Resp. 17. vbi ait, hoc præceptum non posse impleri in hac vita, sed in alia. At prompta est responsio. Nam duo nititur ostendere Augustinus; quæ seriissima sunt. Vnum est, præceptum illud, Diliges Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus; posse quidem impleri in hac vita, quoad obligationem, quam inducit; non tamen quoad verba, quibus proponitur. Alterum est, in hac vita non tam perfectè diligi Deum, quam in altera; quod probat ratione. Dilectio supponit cognitionem. In hac vita cognoscimus Deum obscurè per fidem; in altera clarè per visionem. Quid ergo mirum, si in hac vita minus perfectè, in altera perfectius Deum diligamus? Hanc esse mentem Augustini, ex ipso textu colligitur. Nec in minimo nobis repugnat.

QVÆSTIO IV.

An posterius præceptum, de diligendo proximo, intelligatur tantum de amico, an etiam de inimico?

2. RAtio dubitandi est, quia Leuit. 19. 18 expressè dicitur: Diliges amicum tuum sicut teipsum. Vbi inimicus videtur excludi. Vnde in euangelio dicit Christus Matth. 5. 43. Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Vt sit discrimen Veteris ac Nou

Testa

Teſtamenti, quod in Veteri datum fuerit præceptum de diligendis tantum amicis: In Nouo de diligendis omnibus, tam amicis, quàm inimicis. Auget hanc difficultatem, quod quidam legiſperitus in Euangelio interrogauerit Chriſtum, quis deberet intelligi per proximum, quando dicitur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. (Luc. 10 29.) Nam ex illa interrogatione apparet, Chriſtum in hac re diſſentiſſe à Iudæis, eo quod Iudæi putarent ſolos amicos; Chriſtus etiam inimicos, nomine proximi, comprehendi.

2. Magni ſanè authores ita ſentiunt. Qui primò quidem generatim docent, Chriſtum non ſolum interpretatum eſſe legem Moſaicam, & à corruptelis Phariſæorum vindicaſſe (Matth. 5. 21. & ſequentibus:) ſed reuera nouas quaſdam leges addidiſſe, quæ in V. Teſtam. non erant. Ac nominatim addidiſſe hanc: Diligite inimicos veſtros, quæ in lege Moſaica nuſquam legitur. Itaque hoc intereſſe inter Iudæos & Chriſtianos; quod Iudæi vi præcepti Moſaici, debuerint diligere ſolos Iudæos, qui nomine proximorum deſignabantur, non autem Gentiles, qui hoſtes ſeu inimici illorum erant. Chriſtiani verò, vi præcepti Euangelici, debeant omnes diligere, etiam hoſtes & inimicos.

3. Dices: Etiam in V. Teſt. fuit præceptum de diligendis inimicis, vt patet ex illo Exod. 23. 4. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Respondeo. Ibi per inimicum non intelligitur verus inimicus, id eſt, Gentilis; Sed Iudæus, cum quo Iudæus inimicitias gerere prohibebatur. Hoc inde conſtat, quia qui illic inimicus dicitur, alibi frater appellatur, vt Deut. 22. 1. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo. Alioqui quando de veris inimicis, id eſt, de Gentilibus ſermo eſt; tunc Iudæi iubentur illos

facere, ac penitus delere, Deut. 25. 19. Delebis nomen eius sub cœlo. Hanc sententiam sic explicatam, defendit Maldonatus in cap. 5 Matthæi v. 21. & ex eo Serarius libro 2. Tribæresij capite 8.

QVAESTIO V.

Quid sit diligere proximum sicut seipsum?

1. Difficultas est, quid significet illa particula, sicut. Respondeo. Non significat æqualitatem, sed similitudinem. Prius patet quia homo, secundùm ordinem charitatis, debet seipsum magis diligere, quàm proximum. Et hoc sensu dici solet: Charitas incipit à seipso. Posterius etiam patet, quia tametsi debeat seipsum magis diligere, quàm proximum; tenetur tamen similia dilectionis signa exhibere proximo, atque sibi ipsi. Et hoc significat particula, sicut.

2. Quæres, in quo consistat hæc similitudo? Respondeo. In tribus. 1. In materia. 2. In modo & qualitate. 3. In affectu. Vult. n. Deus, vt ea bona, quæ tibi optas, optes etiam proximo; vt sicut teipsum diligis propter Deum, sic etiam proximum propter Deum; vt eo effectu & conatu, quo diligis teipsum, diligas etiam proximum. Saluo semper ordine Charitatis. De quo fusè disputatum est in 2. 2.

3. Dices: Homo sæpè optat sibi noxia, vt honores, voluptates, diuitias; quæ non tenetur optare proximo. Ergo falsum est, Deum velle, vt quæ quisque sibi optat, optet etiam proximo. Respondeo. Nos hic agimus de eo, qui ex vera charitate diligit seipsum: non de eo, qui seruit suis cupiditatibus, & concupiscentijs. Vide Maldonatum in c. 22. Matth. v. 39.

QVÆ-

CAPVT V.

De Lege Mosaicâ.

LEx Mosaica triplex est, Moralis, Cæremoniālis, & Iudicialis Moralis summatim cōtineter in Decalogo. Et duo potissimum præcipit, cultum Dei, & iustitiam cum proximo. Cæremonialis, speciatim determinat, quibus ritibus ac cæremonijs colendus sit Deus; iudicialis, quibus modis iustitia cum proximo seruanda. Itaque triplicia sunt præcepta Mosaica, de quibus Deuter. 5. 31. Loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque iudicia. Et cap. 6. 1. Hæc sunt præcepta & cæremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos. Vide D. Thomam in 1. 2. quæst. 99. & sequentibus.

2. Hoc posito multa possunt disputari. 1. An lex Mosaica fuerit bona. 2. An vtilis. 3. An perfecta & sufficiens ad salutem. 4. An à Deo data. 5. vbi, quando & quomodo data. 6. An obligauerit solos Iudęos 7. Quam arctè obligauerit 8. An nunc penitus abrogata sit 9. An in eius locum successerit lex Euangelica, & quę illa sit.

QVÆSTIO I.

An lex Mosaica fuerit bona?

1. MAnichæi, teste Augustino, in lib. cōtra Adimantum, & lib. 22. contra Faustum) docuerunt, fuisse malam & iniustam. Primò, quia cōcessit vsuras & libellum repudij, quę mala & iniusta sunt (Deut. 33. & 34.) Secundò, quia fuit tyrannica, vt patet ex illo Exod. 21. 24. Oculum pro oculo, dentē pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Tertiò, fuit

intolerabilis, & obseruatu impossibilis. Act. 15. 10. Quid tentatis Deum, imponere iugum, super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Hinc sæpè reprehenditur in Scripturis Ezech. 20. 25. Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Et Roman. 4. 15. Lex iram operatur. Et Rom. 5. 20. Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Et Rom. 7. 8. Sine lege peccatum mortuum erat: sed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Et Heb. 8. 7. Si prius testamentum culpà vacaſſet, non vtique secundi locus inquireretur.

2 Respondeo. Lex Mosaica fuit bona, iusta sancta, vt patet ex illo Rom. 7. 22. Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Vbi mandatum legis Mosaicæ dicitur sanctum, propter præcepta cæremonialia: iustum, propter iudicialia, bonum propter moralia, vt notat D. Thomas q. 99. ar. 4. Et ratio est, quia Deus fuit auctor illius legis, vt postea demonstrabo. At Deus non potest esse author malæ & iniustæ legis, qualis, vt inquit Iob, cap. 36. 22. nullus ei similis est in legislatoribus Et vt habetur Prou 8. 15. Per illum Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

3. Ad argumenta Manicæorum sic respondeo Ad 1. Libellus repudij & vsura, si spectentur eo modo, quo Iudæis concessa sunt, non sunt mala, sed licita, vt infra suo loco probandum est. Ad 2. Lex Mosaica, præsertim iudicialibus, non quidem fuit tyrannyca, sed tamen seruilis, & accommodata statui Iudæorum. Sicut enim Christiani sunt in statu filiorum ac libertatis, sic Iudæi erant in statu timoris ac seruitutis. Debebant igitur metu pœnarum à peccatis absterreri. Quo spectat illud Deut. 10. 20. Vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Ad 3. Fuit quidem difficilis obseruatu non

non tamen impossibilis. Fuit autem difficilis, si conferatur cum lege Euangelica, quæ est facillima. Rationem huius discriminis iam insinuaui. Nam Lex Mosaica data fuit Iudæis, qui erant serui: Lex Euangelica data est Christianis, qui sunt filij? Seruorum autem conditio difficilior est quàm filiorum: Testimonia Scripturæ, quæ vltimo loco adducebantur, nihil aliud probant, quàm quod dicturus sum in 3. q. nempe legem Mosaicam fuisse imperfectam, & non potuisse quemquã liberare à peccato.

QVÆSTIO II

An lex Mosaica fuerit vtilis?

1. RESpondeo. Ad multa fuit vtilis, Hoc insinuat Apostolus ad Gal. 3. 24. cùm ait: Lex pædagogus noster fuit in Christo: vel, vt Græcè est, ad Christum. Constat autem, pædagogum ad multa vtilem esse, respectu puerorum, quos habet sub sua disciplina ac potestate. Nam primò ostendit illis, in quo peccent, vt emendentur. Secundò, coercet illos metu virgarum, ne in posterum peccent. Tertiò, docet illos prima rudimenta Grammaticalia, & sic paulatim disponit ac præparat ad altiora studia capessenda.

2. Hæc omnia, seruata proportione, præstabat lex Mosaica, respectu Iudæorum, qui veluti pueri, subiacebant legi, tanquam suo pædagogo. Ac primò ostendebat illis, in quo peccarent, vt testatur Apostolus Romanor. 3. 20. Per legem cognitio peccati. Nam sicut pueri, antequam detur illis pædagogus, sæpè delinquunt; & propter ignorantiam, non aduertunt se delinquere: Ita homines antequam daretur illis lex scripta, sæpè peccabant, & propter cæcitatem cordis non sciebant se peccare, Romano 1. 21. Obscuratum est insipiens cor eorum. At post legem datam, cœpe-

runt agnoscere sua peccata, Romanorum 7. versu 7. Peccatum non cognoui, nisi per legem Nam cõcupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Hæc autem cognitio erat necessaria via ad suscipiendum Christum, Cùm enim Christus in Euangelio dicatur venisse ad delenda peccata; certè si Iudæi non cognouissent, se esse peccatores; non vtique Christum suscepissent.

3. Secundò, Lex Mosaica coërcebat Iudæos metu pœnarum, vt in posterum à peccato abstinerẽt. Huc spectant omnia præcepta pœnalia, terrores, & comminationes, quæ à lege intentantur. Exod 21. 15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Et v. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Et alibi sæpius.

4. Tertiò, Lex Mosaica docebat Iudæos prima rudimenta fidei Christianæ, & sic disponebat & præparabat illos ad perfectam Christi cognitionẽ, suo tempore capessendam. Proponebat illis vmbras, figuras, inuolucra, sub quibus Christus abscondebatur. Proponebat, inquam, cruenta animalium sacrificia, vt inde assurgerent ad inuestigandum cruentum sacrificium in Cruce Proponebat circumcisionem, figuram Baptismi; purificationes figuram pœnitentiæ: Agnum Paschalem, figuram Eucharistiæ: Æneum serpentem figuram Christi; & sic deinceps.

QVÆSTIO III.

An lex Mosaica fuerit perfecta & sufficiens ad salutem?

1. REspondeo. Non fuit. Hebr. 7. 19. Nihil ad perfectum adduxit lex. Est ratio est, quia non cõferebat gratiam, quã confert lex Euangelica Ioan. 1. 17. Lex per Moysen data est; gra-

est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Hoc sensu Apostolus cæremonias legis Mosaicæ, vocat infirma & egena elementa (Gal. 4. 9.) Et cùm alibi dicit, Legem Mosaicam non vacasse culpa, intelligendum est, non vacasse imperfectione, seu fuisse imperfectam (Hebr. 8. 7.) Eodem sensu multi interpretantur illud Ezec. 20. 25, Dedi eis præcepta non bona, id est, imperfecta. Et iudicia, in quibus non viuent, id est, non sufficientia ad vitam spiritualem.

2. Hinc sumitur differentia inter legem Mosaicam, & Euangelicam. Nam Mosaica dirigebat quidem Iudæos, præscribendo & ostendendo, quid agendum aut omittendum esset, non tamen præbebat vires & gratiam, quam legis præcepta implerentur, Euangelica vtrumque facit: Docet enim quid facere & omittere debeamus, & præterea cõfert gratiam, quæ nos iuuat & corroborat, vt possimus exequi, quod præscriptum est.

3. Hanc differentiam pulchrè explicat Augustinus in lib. de spiritu & littera c. 13. Et passim contra Pelagianos, in hunc ferè modum. 1. Lex vetus continet præceptum; Lex noua auxilium. 2. Lex vetus dat lucem, vt sciamus: Lex noua dat virtutem, vt faciamus. 3. In lege veteri dicit Dominus: Fac quæ iubeo. In noua nos dicimus: Da quod iubes 4. Lex vetus præscribit multas externas cæremonias; noua dirigit internas actiones.

4. Ex qua iterum oritur alia differentia. Nam lex vetus seu Mosaica, non poterat per se prodesse homini ad salutem, quia id sine gratia fieri non potest. At noua seu Euangelica per se sufficiens est ad hunc effectum. Et hoc est, quod toties inculcat Apostolus in epistola ad Romanos & Galatas, neminem iustificari ex operibus legis, sed ex fide in Christum Quo etiam spectat illud 2. Corint. 3. 6. Littera occidit, spiritus autem viuificat. Nam reuera lex Mosaica, praeter

externam litteram, nihil confert. Externa autem littera minatur mortem, nisi legem obserues: Neque tamen dat subsidium gratiæ, quod adiutus, obseruare possis. Hoc subsidium à noua lege petendum est, quæ præter externam litteram præcipientem, præbet internum spiritum corroborantem, & adiuuantem, qui vitæ spiritualis principium est.

5. Dices: Quomodo ergo Sancti Veteris Testamenti, qui vixerunt sub lege Mosaica, iustificati sunt? Respondeo, Non sunt iustificati ex lege Mosaica, quam habebant præsentem, sed ex Euangelica, quæ tametsi præsens non esset, tamen virtus illius per quandam anticipationem, ad eos vsque porrigebatur. Quomodo hoc? Quia credebant in venturum CHRISTVM, qui per sua merita, tunc quidem nondum exhibita, sed tamen suo tempore exhibenda, conferebat illis gratiam iustificantem, per quam poterant à peccatis liberari, & in adoptionem filiorum Dei transire. Vide Diuum Thomam in primæ secundæ quæstione nonagesima octaua, articulo, secundo, ad 4.

QVÆSTIO VI.

An lex Mosaica fuerit à Deo data.

1. SIcut Manichæi, vt suprà dixi, negarunt legem Mosaicam fuisse bonam, sic consequenter affirmarant, non à Deo, sed à Diabolo datam esse; vt refert Augustinus partim locis suprà citatis, partim in duobus libris contra aduersarium legis & Prophetarum, & in libro de hæresibus cap. 46. vbi ponit hoc eorum dogma: Deum, qui legem per Moysen dedit, & in Hebræis Prophetis locutus est, non esse verùm Deum, sed vnum ex principibus tenebrarum.

2. Respondeo. Idem est author Mosaicæ & Euan-

Euangelicæ legis, nempe Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. Ita Conc. Trid. sess. 4. Et apertè colligitur ex Scriptura. Nam Christus Matthæi 15. 6. loquens de lege Mosaica, appellat mandatum Dei. cum ait: Irritum feciſtis mandatum Dei, propter Traditiones vestras. Et Apostolus non semel affirmat; Patrem Christi fuisse authorem veteris Testamenti, vt Rom. 1. 1. Paulus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo. Et Heb. 1 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.

3. Et probatur ratione D. Thomæ in 1. 2. q. 98. art. 2. Quia eiusdem est proponere finem, & disponere media ad finem: Sed lex Euangelica est finis legis Mosaicæ, iuxta illud Roman. 10.4. Finis legis est Christus: Ergo idem Deus, qui est author legis Euangeiicæ, est etiam author legis Mosaicæ. Et confirmatur hæc ratio, quia author legis Mosaicæ hoc potissimum spectauit, vt per illam legem deduceret homines ad Christum. Quod duobus modis præstitit. Primò per vaticinia Prophetarum, qui multa de Christo prædixerunt. Secundò, per sacrificia Mosaica quæ erant figuræ mortis Christi. At Diabolus non conatur homines hoc modo perducere ad christum, sed potius ab illo abstrahere: Ergo ipse non est author legis Mosaicæ

4. Dices primò: Opera Dei sunt perfecta, vt habetur Deut. 32. 4. At lex Mosaica non est perfecta, vt quæst. præcedente dictum est: Ergo Deus non est author legis Mosaicæ, Respondeo. Maior potest dupliciter intelligi. 2. Opera Dei sunt perfecta, id est, vnumquodque opus Dei tale est, cui absolute nihil desit. Sic falsa est. 2. Opera Dei sunt perfecta, id est, vnumquodque opus Dei tale est, cui in suo genere nihil desit.

Sic ve-

Sic vera est. Iam applico. Lex Mosaica non est absolutè perfecta, quia deest illi aliquid, quod habet lex Euágelica, nimirum virtus & efficacia iustificandi. Est tamen perfecta in suo genere, quia cũ ex suo genere debeat esse vmbra seu figura legis Euangelicæ; in eo genere nihil illi deest. Vide D. Tho. loco citato ad 2.

3. Dices 2. Scriptura ait; Legem Mosaicam ab Angelis datam esse, Galat. 3. 19. Lex propter transgressiones posita est, ordinata per Angelos in manu Mediatoris Et Actor. 7. 53. Accepistis legem in dispositionem Angelorum Respondeo. Lex Mosaica tribuitur Deo. Angelis, & moysi, sed diuerso modo. Nam Deus fuit author illius legis; Angeli promulgarunt illam Moysi, Moyses populo. Simile est de lege Euangelica. Deus fuit illius author. Christus, quia homo promulgauit illam Apostolis; Apostoli, toti mundo.

QVÆSTIO V.

Vbi, quando, & quomodo data fuerit Lex Mosaica?

1. TRia quæruntur. Primò, vbi data sit Respondeo. Data est in monte Sinai, vt patet ex illo Leuitici 26. 24. Hæc sunt iudicia atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israël in monte Sinai per manum Moysi. Hoc tamen interest, quod lex Decalogi data sit in ipso monte (Exodi 19. & 20.) at lex cæremonialis & iudicialis in tabernaculo ad radicem montis. (Leuit. 1. 1.)

2. Quæritur 2. Quando data sit? Respondeo. Lex Decalogi data est die quinquagesimo ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, id est, in Pentecoste Nam tertio die mensis tertij veneruns ad montem Sinai, iuxta illud Exodi 19, 1, Mense tertio

tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Vbi illa particula, in die hac, significat, in die eiusdem numeri cum mense tertio, nempè tertio die mensis tertij. Rursum, tertio die post aduentum, data est lex (ibidem v. *11.*) Tertius autem dies post aduentum, fuit sextus dies mensis tertij. At lex cæremonialis & iudicialis postea data est: Nõ quidem vno die sicut lex Decalogi, sed successiuè per varios dies, vt patet Leuitici nono versu primo, Leuitici 16. vers. 1. & alibi.

3. Quæritur 3. Quomodo data sit? Respondeo. Iudæi antequam daretur ipsis lex Decalogi, iubebantur se sanctificare, & præparare per duos dies, vt tertio die cum debita reuerentia legem acciperent. Hæc autem sanctificatio & præparatio consistebat in tribus. Primò vt abstinerent ab vxoribus. Secundô, vt lauarent vestimenta sua. Tertiò, vt non ascenderent montem Sion? Ac ne quidem attingerent illum, tanquam curiosi scrutatores præsentiæ & maiestatis Dei; sed potius ex reuerentia diuini Numinis, continerent se in Castris; alioqui morte puniendi essent. (Exodi decimonono, versu decimo, & sequẽtibus.)

4. Finita sanctificatione, cum adesset tertius dies, quo lex Decalogi esset promulganda, sex terribilia signa contigerunt in monte Sinai. 1. Totus mons ardebat igne. 2. Totus fumabat, quia ex igne, tanquam ex fornace, ascendebat fumus. 3. Nubes densissima montem operiebat. 4. Audiebantur tonitrua 5. Micabant fulgura. 6. Clangor tubæ, seu buccinæ perstrepebat, (Exodi *19.* 16. & sequentibus. Et Hebræorum 12. 18.) Tum demum Angelus tubali & horribili voce Decalogum proclamabat. (Exodi 20. 1.) vt posset exaudiri à toto populo circumstante, id est à tribus hominum millionibus, qui tunc aderant in circuitu montis.

5. Nota

5. Nota, duplicem fuisse sonum buccinæ. Vnum confusum quo populus euocabatur ex remotioribus Castrorum partibus, vt veniret ad radicem montis in circuitu, & ibi legem Decalogi paulò post promulgandam audiret. Alterum distinctum & articulatum, quò Angelus in ipso monte existens, & Dei personam gerens, populo ad radicem montis iam collecto, Decalogum promulgabat. Qualis autem fuerit illa buccina, disputant interpretes. Iudæi fabulantur fuisse cornu illius arietis, qui ab Abrahamo pro Isaac fuit immolatus. (Geneseos vigesimo secundo, versu 13.) Nostri docent, fuisse æream, non corneam. Et Angelum per collisionem æris edidisse talem sonum, qualis ab inflata buccina vel tuba prodire solet. Vide Cornelium in cap. 19. Exodi.

6. Hæc omnia, quæ iam recensui, fuerunt figuræ seu vmbræ eorum, quæ postea in promulgatione legis Euangelicæ facta sunt. Nam primò, sicut lex Mosaica promulgata est die quinquagesimo post Pascha, id est, in Pentecoste; sic etiam lex Euangelica (Actor. 2. 1.) Secundò, sicut illa in monte Sinai, ita hæc in monte Sion (Isa 2. 3. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem) Tertiò, sicut ibi audita sunt tonitrua & fulgura; ita hic factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis (Act. 2. 2.) Quartò, sicut ibi apparuit ignis & fumus; ita hic dispertitæ linguæ, tanquam ignis, (ibidem. v. 3.) Quinto, sicut ibi timore perculsi sunt Iudæi; ita hic Apostoli repleti sunt Spiritu sancto (ibid. v. 4.) Sextò, sicut Angelus clangore buccinæ, verba Decalogi perstrepebat: Ita hic tuba Euangelica Apostolorum ore insonuit. (ibidem videbatur D Hieronymus ad Fabiolã, Beda in Homilia Vigiliæ Pentecostes, Cornelius in c. 17. Exo.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An lex Mosaica obligauerit solos Iudæos?

1. DIstinguendum est. Nam lex mosaica, vt sup à dixi, fuit triplex; Moralis, Cęremonialis, & iudicialis. Igitur Moralis non solum Iudæos, sed etiam gentiles obligabat. Nota. Lex Moralis tripliciter spectari potest 1. Nudè secundùm se. Sic semper obligauit Gentiles. 2. quatenus habet annexas minas, terrores, & pœnas temporales à Moyse conscriptas Sic obligabat solos Iudęos. 3. Quatenus habet annexam gratiam Euangelij. Sic obligat Christianos.

2. Lex Cæremonialis & Iudicialis obligabat solos Iudæos; quia solis Iudæis fuit promulgata vt patet Exod. 19. & sequentib. Quo etiam spectat illud, Deut. 4. 8. Quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem? Et Psal. 147. 20. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et Rom. 3. 1. Quid ergo amplius Iudæo est? multum per omnem modum. Primũ quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Et Rom. 9. v. 4. Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio. Ex quibus testimonijs duo colliguntur. 1. Legem fuisse datam soli populo Iudæorum. 2. Fuisse quandam prerogatiuam illius populi, quod ipsi soli data sit.

3. Dices: Non videtur fuisse prærogatiua, sed onus Nam difficilè fuit seruare legem cæremonialem & Iudicialem. Nec Iudæi poterant saluari, nisi illam seruarent: Gentiles sine isto onere saluari poterant. Respondeo. Fuit simul onus, & prærogatiua. Onus, propter causãm allatam Prarogatiua, quia Iudæi per illud onus magis erant Deo coniuncti & consecrati, quã Gentiles sine illo onere Nam ratione legis, habebant

Sacer-

Sacerdotium, sacrificia, sacramenta, & promissionem venturi Christi. Quæ omnia faciebant illos meliore conditione, quam gentiles, qui ista nõ habebant. Et hoc colligitur ex scripturis citatis. Simile est de Clericis & Religiosis, qui tametsi plus oneris in se suscipiant, & ad plura obligentur quàm Laici; sunt tamen meliori conditione, quia Deo magis coniunguntur & consecrantur, quæ magna prærogatiua est. Vide D. Thomam, q. 89. art. 5. ad 3.

4. Quæres 1. An hoc factum sit propter merita Iudæorum, quod ipsis solis data sit lex, & non aliis? Respondeo. Non propter ipsorum merita, sed propter promissionem Dei, quæ Abrahæ facta est. Deus enim promiserat Abrahæ, quod ex ipsius semine, & posteritate nasciturus esset Christus (Genes. 22. 18. & Galat. 3. 16.) Itaque propter hanc promissionem, voluit populum illum, ex quo Christus erat nasciturus, peculiarẽ quodam modo ab alijs distinguere, dando illi legem, Prophetas, sacrificia, & alia specialia ornamenta, quibus cæteras nationes antecelleret, & Deo magis consecraretur. iuxta illud Exodi 19. vers. 5. Eritis mihi in peculium de cunctis populis. Et ratio est, quia lex, prophetæ, & sacrificia, tanquam figuræ quædam ordinabantur ad Christum venturum: Ego quibus promissus erat Christus, illis danda erat lex, Prophetæ, & Sacrificia.

5. Quæres 2. An Gentiles in nullo casu fuerint obligati ad obseruationem legis Mosaicæ? Respondeo. Tunc erant obligati, quando volebant se aggregare populo Iudæorum, & illorum Religionem amplecti, vt patet ex illo Exodi 12. vers. 48. Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini; circumcidetur prius omne masculinum eius; & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.

Dices:

Dices: Hinc solum colligitur, quod Gentiles, accepta circumcisione, potuerint celebrare Paschacum Iudæis, non autem, quod fuerint obligati. Respõdeo. Vtrumque colligitur. Nam circumcisio perinde se habebat in veteri testamento, sicut se habet Baptismus in nouo. Vnde sicut omnes Baptizati obligantur ad legem Euangelicam, ita omnes circumcisi obligabantur ad Mosaicam Quod confirmat Apostolus, cùm ait Gal. 5. 2. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.

6. Quæres 3. An lex Mosaica (nempè Cæremonialis, & iudicialis) nullo modo pertinuerit ad Christianos? Respondeo. Sicut pertinuit ad Iudæos, quoad obligationem & obseruationé, sic etiam pertinuit ad nos quoad significationem. Erat enim figura quædam eorum, quæ per Christum adimpleta sunt. Ita Augustinus lib. 19. contra Faustum; cap. 7. & sequentibus. Et colligitur ex illo generali principio 1. Corinth. 10. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Et Hebr. 10. 1. Vmbram lex habent futurorum bonorum.

QVÆSTIO VII.

Quam strictè Iudæos Lex Mosaica obligauerit?

1. REspondeo. Obligauit strictissimè, vt patè ex illo Psal. 118. 4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Quod confirmarit potest ex duplici ca. 1. Ex benedictionibus, quas Deus promisit seruantibus legem. 2. Ex maledictionibus, quas comminatus est transgressoribus. Vtraque habentur Leuit. 26. & Deut. 28. Aliquas ex ijs recensebo.

2. Benedictiones sunt hæ: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis:

1. Da-

1. Dabo vobis pluuias temporibus ſuis. 2. Terra gignet germen ſuum. 3. Pomis arbores replebuntur. 4. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem. 5. Comedetis panem veſtrum in ſaturitate. 6. Dabo pacem in finibus veſtris: Et non erit, qui exterreat. 7. Auferam malas beſtias. 8. Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. 9. Perſequuntur quinque de veſtris, centum alienos: & centum de vobis, decem millia. 10. Creſcere vos faciam, & multiplicabimini. 11. Comeditis veteſtiſſima veterum; & vetera nouis ſuperuenientibus, proijcietis. 12. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri: ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus. (Leuit. 26.)

3. Nunc ſequuntur maledictiones: Si non faciatis ea, quæ à me conſtituta ſunt. 1. Viſitabo vos in egeſtate & ardore. 2. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur. 3. Ponam faciem meam contra vos: & corruetis coram hoſtibus veſtris: & ſubijciemini his, qui oderunt vos: & fugietis nemine perſequente. 4. Dabo vobis cœlum deſuper, ſicut ferrum; & terram æneam. 5. Immittam in vos beſtias agri, quæ conſumant vos & pecora veſtra. 6. Inducam ſuper vos gladium vltorem fœderis mei. 7. Mittam peſtilentiam in medio veſtri. 8. Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum. Et quę ſequuntur (Leuit. 26.) His addantur benedictiones & maledictiones, quæ habentur Deut. 28.

4. Hinc conſtat, falſum eſſe, quod aliqui docent, Legem Dei obſeruatu eſſe impoſſibilem. Nam ſi ſeruari non poſſet, cur Deus ſeruantibus promiteret benedictiones? cur tranſgreſſoribus minaretur tot maledictiones? Hoc poſterius eſſet tyrannicum: illud prius, inane ac ſuperuacaneum. Si enim lex ſeruari non poteſt, inane ac ſuperuacaneum eſt dicere: Si ſeruaueris legem

dabo

dabo tibi multa bona. Et tyrannicum est dicere. Puniam te multis calamitatibus, si non seruaueris. Vtrumque absit à Dei bonitate.

QVÆSTIO VIII.

An lex Mosaica nunc penitus abrogata sit?

1. REspondeo Abrogata est, quoad præcepta Cærenanialia & Iudicialia; non tamen quoad moralia, quæ in Decalogo continentur, quatenus illa sunt iuris naturalis. Prior pars patet ex sc. ip uris. Lucæ 16. 16. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Et Gal. 3. 24. Lex Pædagogus noster fuit in Christo, At vbi venit fides, iam non sumus sub Pædagogo. Et Hebr. 7. 12 Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat.

2. Est autem abrogata propter has causas. Primò, quia erat imperfecta (Hebr. 7. 18.) Secundò, erat graue iugum, quod Iudæi vix poterant portare (Act. 15. 10.) Tertiò, continebat figuras, quæ per Christum impletæ sunt (August. lib. 16. cont: a Faustum, cap. 13.) Quartò, sicut maius lumen offuscat minus; ita lumen Euangelij, & sol iustitiæ Christus, offuscauit cæremonias legales, vt notat D. Hieronymus in Com. cap. 4. ad Gal a as. Huc spectat illud Theodoreti ad Philip. 3. Superuacaneus est lychnuss, si sol apparuerit. Et illud Bernardi hom. 1. Super missus est, Prodeunte fructu flos decidit. Quintò, Christus, teste Apostolo (Ephes 2. 14.) fecit vtraque vnum, id est, ex duobus populis, Ethnico & Iudaico, fecit vnum ouile; ac proinde debuit dissoluere medium parietem Legis Mosaicæ, qui separabat suum populum ab alio; & ambos vna eademque lege Euangelica concludere.

3. Dices, Scriptura docet Legem Mosaicam duraturam in æternum, vt Baruch. 4. v. 1. Hic liber

liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum? Respondeo. Lex mosaica duobus modis dici potest æterna. Primò, quoad præcepta moralia, quæ adhuc durant. Secundò, quoad cæremonialia, quæ quidem abrogata sunt, quoad significationem: tamen adhuc durant, quoad rem significatam. Ita D. Thomas quæst. 103. art. 3. ad 1.

4. Posterior pars probatur, quia ratio naturalis dictat, præcepta Decalogi, quatenus sunt iuris naturalis, seruanda esse. Dico, quatenus sunt iuris naturalis propter duas causas. 1. Propter obseruationem Sabbati, quæ non erat iuris naturalis, & ideo abrogata est. 2. Propter minas & terriores, quæ annexa erant præceptis Decalogi, respectu eorum, qui ea non obseruarent. Hæc etiam abrogata sunt, quia similiter non erant iuris naturalis, sed positiui.

QVÆSTIO IX.

An in locum legis Mosaicæ, successerit Lex Euangelica, & qua illa sit

1. CHristus instituit nouam legem, quę Euangelica appellari solet, ad Christianos pertinentem; ideoque nō solum Redemptor sed etiam, Legislator dicendus est, iuxta illud Isaiæ 33. 22. Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. Et in Euangelio passim loquitur de sua lege Ioan. 14. 15. Mandata mea seruate. Ioan. 15. 10. Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea Matth. 28. vers. 19. Docere eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Et Apostolus 1. Corinth. 7. 16. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt. præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Et 1. Corinth. 9. vers. 21. Illis qui sine lege erant, factus

tus sum tanquam sine lege essem, cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. Et Heb. 2. confert Inter se Christum & mosen, tanquam duos legislatores, alterum veteris, alterum noui testamenti: & ait si transgressores legis à moyse datæ puniti sunt, multò magis transgressores legis à Christo latæ puniendos esse.

2. Lex Euangelica, quæ à Christo data est, continet triplicia præcepta, nempe moralia, Sacramentalia, & fidei. De moralibus constat, Matth. 5. 6. & 7. vbi Christus explicat & perficit præcepta Decalogi, quæ propriè ad mores pertinent. Et Matth. 19. 6. Vbi prohibet diuortium & libellum repudij, ac decernit, vt vinculum matrimonij deinceps non dissoluatur. De sacramentalibus patet ex illo Ioan. 3. 4. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et Ioan. 6. 5. 3. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Denique de præcepto fidei, ex illo Marci 16. 16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit qui verò non crediderit, condemnabitur. Et Ioan. 8. 24. Si non crediderit is, quia ego ego: sum, moriemini in peccato vestro.

3. Hoc tamen interest inter hæc triplicia præcepta, quod sacramentalia sint verè & propriè à Christo instituta, reliqua non tam instituta, quàm aucta vel explicata: Et quidem moralia, cum sint iuris naturalis, non egebant institutione, sed explicatione. Præceptum autem fidei, aliquo modo auctum est. Nam Christi Natiuitas, Passio, Mors, & reliqua mysteria, quæ à Iudæis implicitè & obscurè credebantur, iam expressè & directè creduntur à Christianis.

4. Obijci potest illud Ioan. 1. 17. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est. Hinc etiam videtur colligi, Mosen fuisse legislatorē non autem Christum.

Respon-

Reſpondeo, hoc poſterius p rperam indè colligitur. Nam ſenſus illorum verborum eſt hic: Moſes dedit Iudæis nudam legem ſine gratia, id eſt, legem præcipientem, ſed non iuuantem. Chriſtus dedit vobis legem cum gratia, id eſt, legem præcipientem & iuuantem. Hinc fit, vt lex moſis, quia tantum præcipiebat, & non iuuabat, retinuerit nomen legis lex verò Chriſti, quia pauca præcipit, & plurimum gratiæ confert obtineat nomen gratiæ, ab effectu magis principali Eandem ob cauſam vocatur à Chriſto, iugum ſuaue, & onus leue: & ab Apoſtolo, Lex ſpiritus vitæ Romanorum 8. 2. Vide Auguſtinum in libro de ſpiritu & littera.

5. Quæres, An lex Euangelica non obliget ad ſui obſeruationem? Caluin ita tria docent. Primò, præcepta moralia; ſeu Decalogi. non poſſe à nobis ſeruari, ac proinde CHRISTVM liberaſſe nos ab eorum obſeruatione, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 3. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis. Fundamentum eſt, quia putant, peccatum originale manere in nobis, quamdiu in hac vita ſumus; ideoque omnia noſtra opera, quibus conamur legem Decalogi implere, vitiata & inquinata eſſe, propter contagionem peccati originalis per eiu modi autem opera legi ſatisfieri nó poſſe; atque hoc ſenſu legem ſeruatu impoſſibilem eſſe.

6 Secundò doc nt, Baptiſmum & alia Sacramenta, non eſſe abſolutè neceſſaria ad ſalutẽm; & ideò præcepta ſacramentalia non obligare Chriſtianos. Fundamentum eſt, quia putant ſolam fidem iuſtificare; & Sacramenta ſolum adhiberi ad excitandam & nutriendam fidem: ac proinde eſſe quidem vtilia; non tamen neceſſaria, præſertim cùm ſine Sacramentis fides excitari & nutriri poſſit per verbum Dei.

7. Tertiò docent, Præcep tum fidei obligare omnes mortales, & hoc ſolum præceptum ſuffi-

cere

cere ac necessarium esse ad salutem, iuxta illud Romanorum 1. 17. Iustus ex fide viuit. Et Lucæ 8. 50. Crede tantum, & salua erit. Ex his omnibus concludunt, libertatem Christianam seu Euāgelicam in eo consistere, quod simus liberi ab obseruatione legis: & sic interpretantur illud 1. Timoth. 1.9. Iusto non est lex posita. Hæc tria Caluinistarum puncta damnata sunt in Cōcilio Tridentino sessione sexta, Canone decimooctauo, & subsequentibus. Et iam paucis refutanda per totidem Conclusiones.

8. Dico 1. Præcepta Decalogi possunt seruarī ab ijs, qui operantur ex gratia Dei; neque Christus ab eorum obseruatione nos liberauit, Prior pars probatur 1. manifestis scripturæ testimonijs. Psal. 118. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Ezech. 36. 27. Spiritum meum ponam in medio vestrū, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis. Matthæi 21. 30. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Primò Ioannis 5. 3. Hæc enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quid clarius? Accedunt exempla eorum, qui in Scripturis narrantur legem seruasse Seruauit illam Dauid, iuxta illud 3. Regum: 4. 8. Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. Seruauit Zacharias & Elisabeth Lucæ 1. 6. Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Seruauit Adolescens Euangelicus Matth. 19. 20. Omnia hæc custodiui à iuuentute mea. Plura de hac re inuenies in opusculo nostro de iustitia bonorum operum secundùm Caluinistas cap. 1, Vbi etiam obiectiones Caluinistarum solutæ sunt.

9. Posterior pars Conclusionis, quod scilicet

Christus non liberauit nos ab obseruatione præceptorum Decalogi, patet ex Euangelio & Apostolis. Ac primum ex verbis Christi. Matth. 5. 18. Non veni soluere legem, sed adimplere. Matt. 7. 10. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur Matth. 19. 17. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. Deinde ex verbis Apostoli. Iacobi 2. 8. Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas. Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis; si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Vide plura apud Bellarminum lib. 4. de Iustificatione cap. 2. & sequentibus.

10. Fundamentum Caluinistarum, de peccato originali in nobis manente, falsum est, & prolixè refutatum in Opusculo nostro de Authore peccati ca. 4. Illud porrò, Christus redimit nos de maledicto legis, non sic debet intelligi, quasi Christus voluerit nos esse liberos ab obligatione & obseruatione legis, vt fingunt Caluinistæ (hoc enim falsum est, vt iam ostendi) sed quod dederit nobis gratiam, qua possumus legem implere, & maledictionem, quæ legis transgressoribus constituta est, euitare.

11. Dico 2. Præcepta Sacramentalia de Baptismo & Eucharistia etiam nos obligant, nec sine eorum obseruatione salutem consequi valemus. Hoc manifestè Patet ex illo Ioan 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et Ioan. 6. 43. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quomodo autem hæc duo præcepta intelligenda sint, & an, obligent solos adultos, an etiam infantes, alio loco explicandum est. Interea videri potest Bellarminus & alij. Loquor autem de solo

de solo Baptismo & Eucharistia, quia aduersarij vix admittunt plura Sacramenta.

12. Dico tertio. Præceptum fidei, obligat omnes mortales, sed non solum obligat. Prior pars conceditur, à Caluinistis, & patet ex illo Marci 16. 16. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Posterior sequitur ex dictis, quia præter præceptum fidei, obligant nos etiam præcepta Decalogi & Sacramentalia. Hinc infero contra Caluinistas, libertatem Christianam non consistere in eo, quod simus liberi ab obseruatione præceptorum Dei. In quo ergo consistit? In his tribus. Primò, in libertate à peccato & morte, iuxta illud Ioan. 8. 34. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Et Rom. 6. 18. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Secundò, in libertate à iugo legis cæremonialis & iudicialis Iudæorum Gal. 4. 9. Quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis. Tertiò, in libertate à Dominio & reatu legis moralis. Rom. 6. 14. Non estis sub lege, sed sub gratia. Et 2. Corinth. 3. 17. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Et Gal. 5. 18. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Hinc notandum est cum Augustino in explicatione primi Psalmi, quod aliud sit, hominem esse sub lege, & aliud, esse in lege. Iudæi erant sub lege, quia tanquam serui, subiecti erant pœnis & terroribus legalibus. Nos sumus in lege, quia tanquam filij ex amore & charitate viuimus secundum legem. Hoc sensu Apostolus 1. Corinth. 9. 21. Negat se esse sub lege, & affirmat se esse in lege. Et Diuus Augustinus in libro de continentia capite tertio explicans illud Apostoli: Non estis sub lege, sed sub gratia, sic habet: Non sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.

Et in libro de Natura & Gratia capite quinquagesimo septimo. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege, vtique lege, quæ timorem incutit, non tribuit Charitatem. Illud Apostoli, quod aduersarij obijciunt: Iusto non est lex posita, facilè explicatur ex dictis. Tametsi enim lex, secundùm se spectata, æquè posita sit iustis & iniustis (vtriusque enim præscribit lex, quid faciendum aut omittendum sit): non tamen pœna legis imponitur iustis, qui ex amore legem seruant; sed iniustis, qui legem præuaricantur. Hoc sensu dixit idem Apostolus ad Galatas tertio, versu decimonono. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est. Vide Augustinum in libro de spiritu & littera capite decimo.

CAPVT VI.

De Synagoga Veteris Testamenti.

1. NOmen Synagogæ sumitur tribus modis in Scriptura. Primò, pro tota congregatione, seu Ecclesia Iudæorum, Num. 27. 20. Audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel, Et Ecclesiastici 50. 25. Coram omni Synagoga Israël. Et alibi sæpè. Et hoc sensu fuit typus seu figura Ecclesiæ Christi, vt postea explicabo.

Secundò, pro congregatione seu conuentu malorum Psalm. 85. 14. Deus iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium, quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo. Et Ecclesiastici 3. 30. Synagogæ superborum non erit sanitas. Et Apoc. 2. 9. Blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Sathanæ. Et cap. 3. 9. Ecce dabo de Synagoga Sathanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur.

Tertiò, pro quibusdam ædificijs seu domibus,

in

in quibus Iudæi singulis Sabbathis solent Scripturam legere & explicare. De his frequens est mentio in Euangelio. Matth. 23. Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum. Et Marci 1. 21. Et Sabbathis ingressus in Synagogam docebat eos. Et Lucæ 4. 17. Intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et Ioan. 9. 22. Iam conspiranerunt Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret, id est, interdicerentur publicis conuentibus, qui in Synagogis celebrabantur. Quod nos dicimus Excommunicati,

2 Nos hic agimus de Synagoga primo modo sumpta, id est, de tota Iudæorum congregatione seu Ecclesia, quatenus constabat ex populo, & sacerdotibus. Et quæritur 1. An fuerit visibilis. 2. An aliquando erranerit, vel defecerit à fide. 3. An fuerit figura Ecclesiæ Christi. 4. An fuerit tam perfecta, quam Ecclesia Christi est. De Synagoga tertio modo sumpta, dicam aliquid cap. 12.

QVÆSTIO I.

An Synagoga fuerit visibilis.

1. DE Synagoga statuẽdum est, sicut de qualibet communitate vel Republica: in qua tria spectari possunt. Primò, Multitudo seu collectio eorum hominum, qui in Republica sunt. Secundò, Externum regimen, quo Magistratus politicus gubernat suos subditos. Tertiò interna affectio, qua subditi inter se, & cum suo Magistratu, tanquam membra cum capite, vniuntur. Duo priora sunt visibilia, & externis sensibus percipiuntur. Tertium est inuisibile. Nam externis oculis videmus Ciues & Magistratum

gistratum, qui in Republica sunt: Videmus extes nam politiam & gubernationem: sed non videmus internum affectum, quem quisque habet, aut habere debet.

2. Idem dico de Synagoga. Tria in ea spectari poterant. Primò, Multitudo seu collectio Iudæorum, qui erant in Synagoga. Secundò Externum regimen Ecclesiasticum, Sacrificia, Sacramenta, Purificationes, Oblationes, & similes cæremoniæ Mosaicæ. Tertiò, Interna Fides & Charitas, qua omnes vel erant, vel esse debebant inter se vniti. Duo priora erant visibilia; tertium inuisibile.

3. Idem de Ecclesia Christi. Sunt in ea visibiles Christiani: est visibile regimen, quo Prælati gubernant suos subditos, docendo, hortando, iudicando, puniendo, Sacramenta administrando. Est interna fides & charitas, qua inter se coniuncti sunt. Vnde sequitur non aliter de Synagoga & Ecclesia, quàm de Republica vel ciuitate statuendum esse. Sicut ergo absolutè loquendo, rectè dicimus, Rempublicam Venetam, aut Ciuitatem Viennensem esse visibilem & conspicuam: Ita similiter Synagogam & Ecclesiam esse visibilem & conspicuam. Est enim par ratio, vt explicatum est.

QVAESTIO II.

An Synagoga aliquando errauerit, vel à fide defecerit?

1. Lvtherani & Caluinistæ docent, sæpè illam errasse, & à fide defeciisse. Primò, tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adorauit vitulum. (Exodi 32. 4.) Secundò, tempore Heliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Helias, vt ipsemet conqueritur 3. Reg. 19. 14. Derelictus sum ego solus, & quærunt

animam meam. Tertiò, tempore Isaiæ & Ieremiæ, quando omnes recesserunt à Deo. Isaiæ 1, 3. Cognouit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit. Et adde Hieremiæ 2. 13. Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et 2. Paralipomenon 15. 3 Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege. Quartò, tempore Passionis Christi, quando tota Synagoga cum omnibus cæremonijs suis expirauit.

2. Respondeo. Hic multa asserunt, quæ examinanda sunt. Primum est, Synagogam tempore Moysis in adorando vitulo defeciisse à fide. Falsum est. Non defecit tota Synagoga, sed pars eius. Non enim defecit Moyses, nec Leuitæ & Sacerdotes, vt patet ex illo, Exodi 32. 36. Videns ergo Moyses populum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui. Erant autem filij Leui viginti dum millia, vt habetur Num. 3. 39.

3. Alterum est, Synagogam tempore Heliæ, Isaiæ, Ieremiæ defeciisse à fide. Hic opus est distinctione. Nam duo regna pertinebant ad Synagogam: Alterum Iuda, quod constaba. duabus, alterum Israel, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio, sub primo Rege Ieroboam, defecit à vera fide, & publicè cœpit idola adorare. (2. Regum 12. 28.) & in eo statu permansit vsque ad captiuitatem, iuxta illud 4 Regum 17. 22, Ambulauerunt filij Israel in vniuersis peccatis Ieroboam, quæ fecerant, & non recesserũt ab eis, vsquequo Dominus auferret Israel à facie sua in Assyrios. Nihilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstinerent ab Idololatria, & verum Deum agnoscerent etiam tempore Heliæ.

Nam cùm ipse putaret se solum relictum esse in cultu veri Dei, audiuit responsum à Domino 3. Reg. 19. 18. Dereliqui mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Bæal. Et similiter de Tobia legimus, Tobiæ 1. 5. Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ierobam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem, ad templum Domini, & ibi adorabat Deũ Israël.

4. In regno Iuda aliter res habuit. Nam aliqui Reges fuerunt boni & cultores veri Dei, vt Asa, Iosaphat, Azarias, Ioathan, Ezechias, & Iosias sub quibus vera religio, vel restaurata, vel conseruata est. Alij mali & idololatræ, vt Achaz, Manasses, Amon. Alij denique non quidem idololatræ, sed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse vsus sacrificiorum secundum legem Mosaicam, vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt colligitur ex illis verbis. 2. Machab. 1. 19. Cùm in Perfidem ducerentur Patres nostri, Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant. acceptum ignem de altari occulto absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus. Loquitur de igne cœlitus à Deo misso, quo vtebantur Sacerdotes in quotidianis sacrificijs (Leuit. 9. & 10) Igitur ignis ille fuit conseruatus in templo, vsque ad illud tempus, quo Iudæi in Perfidem captiui adducebantur.

5. Tertium est, Synagogam tempore Christi expirasse. Hoc verum est, non quod tunc defecerit à vera fide, quam antea profitebatur; sed quia tunc repudiata est cum suis cæremonijs & sacrificijs; ac in eius locum successit Ecclesia Christi. Vbi obiter notandum est; potuisse hæc quinque spectari in Synagoga. 1. Legem Mosaicam. 2. Prophetiam de Christo. 3. Sacerdotium & sacrificia legalia. 4. Supremam potestatem iudiciariam, quæ erat in Pontifice & Concilio. 5.

Infal-

Infallibilem Dei assistentiam, quæ illi potestati erat annexa. Quando & quomodo singula expirauerint dicam paucis.

6. Lex Mosaica, quoad obligationem abrogata est in morte Christi, vt docet S. Thom. in 1. 2. quæst. 103. art. 3 ad 2. & alij passim. Tunc enim amisit vim obligandi; quia tunc velum templi scissum in duas partes a summo vsque deorsum: (Matth. 27.51.) Et tunc Christus dixit in Cruce, Consummatum est. Vnde sequitur, ante mortem Christi, viguisse simul legem Mosaicam & Euangelicam: post mortem, solam Euangelicam.

7. Prophetia de Christo fuit multiplex: Alia de venturo Christo in hunc mundum; Alia de eius doctrina & miraculis; Alia de morte & passione, alia de descensu ad inferos; alia de resurrectione. Vnaquæque earum tunc expirauit, quando impletum fuit illud, quod per eam prædicebatur v.g. Prophetia de venturo Christo, expirauit per aduentum Christi. Matt. 11. 13 Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Et sic deinceps.

8. Sacrificia legalia sunt etiam abrogata per mortem Christi, sicut Lex Mosaica. Quod maximè verum est de cruentis sacrificijs, in quibus mactabantur animalia. Erant enim figuræ seu vmbræ cruenti sacrificij, quo Christus in ara Crucis erat mactandus. Itaque aduenientes hoc sacrificio, necesse fuit illa expirare: sicut aduenientè sole, fugiunt tenebræ.

9. Suprema potestas iudiciaria, itemque diuina assistentia illi annexa, non videtur simul, seu eodem momento tota expirasse; sed successiuè, & quasi per partes. Nam primò certum est, CHRISTVM habuisse maiorem potestatem Iudiciariam, & vberiorem Dei assistentiam, quàm habuerit Pontifex in Veteri Testamento, iuxta illud Matthæi 28. 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Itaque Pontifex, respectu Christi, non potuit amplius habere supre-

mam; tametsi habuerit supremam in suo ordine ac statu.

10. Deinde, Assistentia diuina paulatim subtracta est. Quod facilè ostendi potest in ijs Conciliijs, quæ post Christi Natiuitatem à Pontifice & Sacerdotibus celebrata sunt. Tria potissimum recensebo. Primum tempore Herodis, quando tres Magi venerunt Hierosolymam. Alterum, tempore Lazari resuscitati; quando disputabatur, quid de CHRISTO tot miracula faciente, statuendum esset. Tertium, tempore captiuitatis CHRISTI, quando à Caipha ad mortem condemnatus est. In primo mansit integra assistentia diuina, in altero diminuta est, in tertio penitus sublata. Quod sic demonstro.

11. Primum Concilium conuocatum est propter Herodem, qui à Principibus Sacerdotum sciscitabatur, vbi CHRISTVS, iuxta Prophetarum vaticinia, esset nasciturus? Matth. 2. 4. Et responsum est: In Bethleem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Quæ decisio fuit vera & infallibilis, ac proinde ex vera & infallibili Dei assistentia.

12. Alterum celebratum fuit ea occasione miraculi, quo CHRISTVS Lazarum resuscitauit. Ioan. 11. 47. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi Concilium, & dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Ie-

sus

sus moriturus esset pro gente, &c. Ex his verbis manifestè constat, Caiphan ex vna parte erraſſe, ex altera non erraſſe: Et partim ex odio, more humano, partim ex assistentia Spiritus sancti, more Propheticò, locutum esse. In eo errabat, quod CHRISTVM innocentem morti adiudicaret; Et hoc ex inuidia & æmulatione. (Matth. 27. 18.) In eo non errabat, quod prædiceret Christum moriturum pro salute Iudæorum; Et hoc non ex semetipso, id est, ex proprio iudicio & affectu humano, sed ex diuino instinctu, qui Pontifici ratione sui officij, solet assistere.

13. Tertium celebratum fuit, instante Christi passione, Matth. 26. 57. Vbi Sacerdotes quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent. Et tandam lata est hæc sententia: Reus est mortis. Quæ sine dubio fuit iniqua; nec vllo modo à Deo inspirata, sed potius à Diabolo, vt iam antea dictum erat à Christo, Ioan. 8. 44. Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere: Ille homicida erat ab initio. Nec quicquam in illo Concilio gestum est, ex quo constare possit, diuinam assistentiam adfuisse.

QVÆSTIO III.

An Synagoga fuerit figura Ecclesiæ Christi?

1. IN figura duo spectari debent. Primò, quod repræsentet rem figuratam, quo pacto cruenta sacrificia Mosaica, repræsentabant cruentum sacrificium Christi in Cruce. Secundò, quod sit imperfectior, re figurata, sicut vmbra est imperfectior, quàm corpus; & rudis delineatio imaginis est imperfectior, quàm ipsa imago consummata; & vetus Testamentum est imperfectius, quàm nouum. Vtrumque accommo-

dandum est Synagogæ, respectu Ecclesiæ.

2. Primò ergo quæritur, in quo Synagoga repræsentauerit Ecclesiam? Respondeo. in his punctis. Primò, Sicut Synagoga ædificata fuit à Moyse, qui erat famulus Dei; ita Ecclesia à Christo, qui est Filius Dei. (Hebræorum tertio, versu quinto.) Secundò, Sicut Moyses, fuit primus Monarcha seu visibile caput Synagogæ; ita Christus Ecclesiæ. Ephes. quinto, versu vigesimo tertio,) Tertiò, sicut Synagoga post mortem Moysis semper gubernata fuit ab vno visibili capite, nempè à Pontifice, sic etiam Ecclesia post mortem Christi. (Ioan. 21. 17. Pasce oues meas.) Quartò, sicut Synagoga habuit sua Sacramenta, sacrificia, & alias cæremonias ad cultum Dei pertinentes; sic etiam habet Ecclesia. Quintò, sicut synagoga fuit visibilis, quoad externam populi gubernationem, & inuisibilis, quoad internam fidem; sta etiam Ecclesia.

3. Hic notandum est, sicut Synagoga fuit figura Ecclesiæ, vt iam dixi, ita Moysen fuisse figuram Christi. Est autem multiplex analogia inter vtrumque. Primò, Vterque natus est in aliena terra: Moyses in Ægypto; Christus in Bethleem. Secundò, Moyses positus est in fiscella: Christus in præsepio. Tertio, Rex Pharao persecutus est Moysen, & reliquos infantes Hebræorum in Ægypto: Rex Herodes persecutus est Christum, & reliquos infantes in Bethleem. Quartò, Moyses eduxit populum ex seruitute Ægypti: Christus ex seruitute Diaboli. Quintò, Moyses duxit populum per mare rubrum: Christus per Baptismum. Sextò, Moyses fuit mediator veteris Testamenti: Christus noui. Septimò, Moyses dedit legem veterem: Christus nouam seu Euangelicam. Octauò, Moyses, antequam daret legem, ieiunauit quadraginta diebus: Christus similiter. Nonò, Moyses accepit sponsam Æthiopissam. Christus sponsam Ecclesiam, de qua scriptum est. Nigra sum,

gra ſum, ſed formoſa. Decimo, Moyſes inſtitnit ſeptuaginta ſenio es: Chriſtus ſeptuaginta Diſcipulos. Vndecimò, Moyſes miſit duodecim exploratores in Paleſtinam: Chriſtus duodecim Apoſtolos in orbem vniuerſum. Duodecimò, Moyſes per virgam ſuam fecit magna miracula. Chriſtus maiora per lignum Crucis.

QVÆSTIO IV.

An Synagoga fuerit tam perfecta, quàm Eccleſia Chriſti?

1. REſpondeo. In multis fuit imperfectior. Primo. Synagoga fuit ancilla: Eccleſia eſt Domina. Galat. quarto, verſu trigeſimo primo. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. Secundò, Synagoga, quia erat ancilla, fuit repudiata: Eccleſia, cùm ſit Domina, nunquam repudiabitur. De illa dictum eſt. Galat. quarto, verſu trigeſimo, Eijce ancillam & filium eius. De hac verò, Iſaiæ 54. 4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces. Tertiò, Synagoga habuit Prophetas & Sacerdotes, per quos Deus populo loquebatur: Eccleſia habet ipſum filium Dei incarnatum, qui in propria perſona locutus eſt nobis. (Hebræorum 1. 2.) Quartò, Synagoga accepit à Moyſe nudam legem præcipientem: Eccleſia accepit à CHRISTO legem præcipientem, & gratiam adiuuantem. (Ioan. primo, verſu decimo ſeptimo.) Quintò, Synagoga fuit exigua, & intra Paleſtinæ terminos comprehenſa: Eccleſia eſt Catholica & toto orbe diffuſa (Marci 16. 15. Et Romanorum 10. 18.) Sextò, Synagoga non fuit mater omnium fidelium, ſed tantum aliquorum; quia multi fideles extra Synagogam ſalnabantur, vt Niniuitæ, de quibus Matth. 12. 41. Eccleſia eſt mater omnium fidelium, & nemo extra illam ſaluari poteſt.

2. Hoc

2. Hoc pulchrè ostendit August. l. de vnitate Ecclesiæ, cap. 19. cùm ait: Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput, Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia. Quod etiam varijs rationibus confirmat sermone 181. de tempore. 1. Quia in sola Ecclesia immolatur hostia Saluatoris. 2. in sola vinea laborantes accipiunt mercedem denarij. 3. Omnes, qui extra Arcam Noë fuerunt, diluuio extincti sunt. 4. Membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non potest. Quinto, Ramus præcisus ab arbore, non potest germinare. Sexto, Riuus à fonte separatus exarescit.

3. Alij hanc addunt. Christus est Sponsus Ecclesię: At Christus non est adulter, nec generat filios ex adultera. Ergo non generat filios, nisi ex Sponsa sua Ecclesia. Nemo igitur filius Christi est, nisi matrem agnoscat Ecclesiam. Quo spectat illud Cypriani lib. de vnitate Ecclesiæ: Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Quod etiam repetit Augustinus libro quarto de Symbolo ad Catechumenos capite 13.

CAPVT VII.

De Ministris Synagogæ Ordinarijs, qui erant Leuitæ Sacerdotes, & Pontifex.

IN statu naturæ, qui durauit ab Adamo vsque ad Moysen, omnes primogeniti erant Sacerdotes, & diuino cultui peculiariter mancipati. At in statu legis Mosaicæ, qui durauit à Moyse vsque ad Christum, voluit quidem Deus omnes primogenitos sibi sanctificari. (Exod. 23. a.) Sed tamen in illorum locum, ex duodecim

tribus

tribubus Israël, elegit tribum Leui, eademque diuino seruitio præ ceteris destinauit, iuxta illud Numeror. 3. 12. Ego tuli Leuitas à filijs Israël pro omni primogenito in filijs Israël, eruntque Leuitæ mei. Et cap. 6. 8. Tolle Leuitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos. Et infrà. Stabues Leuitas in conspectu Aaron & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei: Et postea ingrediuntur tabernaculum fœderis, vt seruiant mihi. Et iterum: Tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël, vt seruiant mihi in tabernaculo, & orent pro eis, ne sit in populo plaga.

2. Porrò in tribu Leui, tria hominum genera distingui solent. Primò, Leuitæ propriè dicti. Secundò, sacerdotes. Tertiò, Summus sacerdos. Seu Leui, generatim vocati fuerint Leuitæ, seu filij Leui; tamen ex vsu Scripturæ. Leuitæ propriè dicti distinguebantur à sacerdotibus & Pontifice. Nam illi soli vocabantur sacerdotes, qui offerebant victimas & sacrificia. Illi vero Leuitæ, qui sacerdotibus ministrabant. Inter sacerdotes, qui erat summus, vocabatur Pontifex.

3. De his omnibus, ac potissimum de Pontifice, agendum est hoc ordine. Primo, Ex qua familia fuerit Pontifex. Secundo, Quæ fuerit successio Pontificum Tertio, Quo ritu consecrati fuerint Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex. Quarto, Quod fuerit illorum officium. Quinto, Quo vestitu & ornatu fuerint vsi. Sexto. Quos & quantos redditus habuerint. Septimo. An aliquando debuerint seruare continentiam ab vxoribus. Octauo, Quanta fuerit illorum, & potissimum Pontificis anthoritas apud populum. Nono, Quæ vtilitas ex his omnibus colligi possit.

Bayerische Staatsbibliothek München

QVÆSTIO I.

Ex qua familia fuerit Pontifex?

1. IN tribu Leui erant multæ familiæ; quæ omnes seruitio diuino destinabantur, Pontificatus, seu summum Sacerdotium, secundum legem ordinariam, erat in sola familia Aaronis. Habuit autem Aaron quatuor filios, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. (Numerorum tertio, versu secundo.) Hi omnes simul à Moyse consecrati sunt; Aaron quidem in summum Sacerdotem seu Pontificem; filij eius in simplices, seu minores Sacerdotes. (Exodi vigesimo nono per totum) Duo primi, Nadab & Abiu, occisi sunt à Deo, quod ignem alienum obtulissent. (Leuitici decimo, versu primo,) & sine liberis decesserunt, (primo Paralippomenon vigesimo quarto, versu secundo.) Reliqui duo, Eleazar & Ithamar, manserunt in officio sacerdotali, cum hoc tamen discrimine, vt Eleazar succederet Patri in Pontificatu, non autem Ithamar: Et rursum Eleazaro succedet filius eius primogenitus; & huic etiam primogenitus, sic deinceps. Alij omnes essent simplices Sacerdotes.

QVÆSTIO II.

Quæ fuerit successio Pontificum?

1. AAron fuit primus Pōtifex à Deo constitutus, & à Moyse consecratus, cum iure successionis, (Eccles. 45. 8.) Quod addo, propter Moysen, qui fuit etiam Pontifex, & quidem ante Aaronem; sed extraordinarius, & sine iure successionis. Nam filij Moysis non erant Pontifices; imò ne Sacerdotes quidem, sed tantùm Leuitæ,

Leuitæ, qui seruiebant Sacerdotibus. (1. Paralip. 23. 14.)

2. Aaroni successit Eleazar, filius eius cum pari potestate, & huic similiter Phinees, cui propter zelum Diuini honoris, promisit (Deus sempiternum Pontificatum, iuxta illud 25. 18.) Erit tam ipsi quàm semini eius, pactum Sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël. Et 1. Mach. 2. 25. Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotis æternum. Idem reperitur Eccl. 45. 28.

3. Hic duæ occurrunt difficultates. Vna, cur Deus promiserit Phineæ & semini eius Pontificatum sempiternum, cùm ei deberetur iure successionis? Nam phinees erat primogenitus Eleazari: primogenitus autem ex Dei ordinatione succedebat Patri in Pontificatu. Altera quomodo hæc promissio fuerit impleta, cùm constet, Heli & multos alios fuisse Pontifices, qui tamen non erant ex semine Phineæ, sed ex familia Ithamar.

4. Ad priorem sic respondeo. Ius successionis in eo consistebat, vt Patri succederet filius primogenitus, si viueret. Si autem Pater adhuc superstite, moreretur primogenitus, tunc secundogenitus in eius locum subrogaretur. Itaque primogenitus nunquam erat certus, se successurum Patri in Pontificatu, Nisi mortuo Patre. Nam illo viuo, non erat certus, se victurum post Patrem. Deus ergo, viuente adhuc Eleazaro, promisit fore, vt Phinees, qui erat primogenitus Eleazari, superstes esset parenti suo, & ei in Pontificatu succederet cum suis posteris, quod etiam factum est.

5. Ad posteriorem duplex est responsio Vna, promissionem illam fuisse verè impletam, quia ius Pontificatus semper mansit apud posteros Eleazari & Phineæ, tametsi vsus illius iuris aliquamdiu

quamdiu fuerit in familia Ithamar. Itaque posteros Eleazari & Phineæ, semper fuisse Pontifices de Iure, posteros verò Ithamar fuisse aliquando Pontifices de facto. Altera, promissionem illam non fuisse absolutam, sed conditionatam, ac proinde, quamdiu seruata est conditio, validam fuisse promissionem: quando autem desijt seruari, renocatam esse. Fuisse autem hanc conditionem, vt ius Pontificatus maneret apud posteros Eleazari & Phineæ, quamdiu benè ac legitimè eo fungerentur: Si secus facerent, priuarentur illo iure. Feciſſe autem secus: itaque priuatos esse.

6. Ego, saluo meliori indicio, puto vtramque responsionem temperandam esse hoc modo Duo spectari possunt in Pontificatu. Primò, Ius seu potestas ordinaria. Secundò, Vsus seu exercitium. Ius absolutè promissum est Phineæ, & posteris eius. Vsus seu exercitium sub conditione, si non offenderent. Itaque posteri Phineæ semper fuerunt Pontifices de iure; Posteri verò Ithamar, fuerunt aliquando de facto.

7. Post Phinees, in eadem linea, successerunt hi tres, Abisue. Bocci, Ozi. Deinde translatus est Pontificatus ad posteros Ithamar; ac primum ad Heli, vt tradit Iosephus libro quinto antiquit, in fine, & alij. Hinc tria disputati solent Primo, Quare hæc translatio facta sit? Respondeo. In pœnam peccati, & negligentiæ cultus diuini. Secundò, quamdiu manserit Pontificatu in familia Heli? Respondeo vsque ad tempora Salomonis, qui eiecit Abiathar. & assumpsit Sadoc, (vt paulò post dicam.) Tertio quis successerit Heli in Pontificatu? Respondeo. Heli habuit duos filios Sacerdotes, Ophni & Phinees. (Primo Regum primo, versu tertio.) Vterque mortuus est ante Patrem. (1. Reg. 4. 11) Itaque neuter potuit illi in Pontificatu succedere. Porrò Ophni nullum legitur reliquisse filium. Phinees reliquit

duos,

duos, Achitob, & Ichabod posthumum (1. Reg. 4. 21. & 1. Reg. 14. 3.) Achitob succeſſit Heli auo ſuo in Pontificatu, & alij deinceps hoc ordine.

I. Heli, Pontifex & Iudex, 1. Reg. 1.
II. Achitob, & nepos Heli, 1. Reg 14. 3.
III. Achias, filius achitob, ſub Saule, ibidem.
IV. Achimelech filius Achitob, & frater Achiæ (1. Reg. 14. 3.) qui Dauidi fugienti dedit panes propoſitionis, & gladium Goliad. (1. Reg. 21.) & obeã cauſam à Saule, cũ alijs Sacerdotibus, occiſus eſt. (1. Reg. 22.)
V. Abiathar, filius Achimelech, qui euaſit manum Saulis & fugit ad Dauidem (1. Reg. 22. 20. Manſit autem in Pontificatu vſque ad tempora Salomonis, (1. Regum 2. 27.)

6. Poſt Abiathar, iterum redijt Pontificatus ad familiam Eleazari & Phinees. Nam Salomon, vt inſinuani, eiecit Abiathar, propter conſpirationem cum Adonia factam, & in locum eius ſubrogauit Sadoc, qui erat ex linea Eleazari, (3. Regum 2. 27.) Porrò à Sadoc vſque ad captiuitatem Babylonicam, fuit hic ordo Pontificum, quantum ex Scripturis colligi poteſt.

I. Sadoc vocatur in Pontificem ſub Salomone, (2. Paralip. 29. 22.
II. Achimas { filij Ladoc.
III. AZARIAS {
IV. AMARIAS, ſub Ioſaphat Rege. (2. Paralip 19. 11.)
V. IOIODA, ſub Athalia & Ioas, (4. Reg. 12. 7. & 2. Paral. 12 per totum) Vxor eius fuit filijs Regis Ioram, (2. Paralip. 22. 11.) Mortuus cùm eſſet annorum centum & triginta (2. Paralip. 24. 15.
VI. ZACHARIAS, filius Ioiadæ, ſub fine regni Ioas, (2. Paralip. 24. 20.) qui iuſſu Regis, à populo lapidatus eſt, in atrio domus Domini

Domini (ibid. verſu 21.

VII. AZARIAS, qui reprehendit Oziam Regem eo quod vellet adolere incenſum ſuper altare thymiamatis (2. Paral p. 26. 17.)

VIII. VRIAS, ſub Rege Achab (4. Reg. 16. 16.)

IX. AZARIAS, ſub Ezechia (2. Paralip. 31. 10.

X. SOBNA, ſub eodem contra quem profetat Iſaias cap. 22. v. 15. vſque ad finem capitis.

XI. ELIACIM, filius Helciæ, ſub Manaſſe, quem Iſaias c. cit. verſ. 10. prædicit, loco Sobnæ collocandum in Pontificatu:

XII. HELCHIAS, ſub Ioſia (4. Reg. 22. & 23. Et 2 Paralip. 24.

XII. SARAIAS, qui cum Sedecia Rege, ductus eſt in captiuitatem Babylonicam (4. Reg. 25. Ieremiæ 5. 2. 24.)

9. Sub initium captiuitatis, cùm Saraias Pontifex ductus eſſet in Babylonem, ſucceſſit illi Phaſur, filius Emmer, qui Ieremiam vinxit in carcerem. (Ieremiæ 20. verſu 1.) An autem fuerit verus & legitimus Pontifex, meritò à quibuſdam dubitatur. Porrò poſt captiuitatem Babylonicam, primus Pontifex fuit Ioſue, filius Iosſedec, ex familia Eleazari, cum hac ſucceſſione.

I. IOSVE, filius Iosſedec, ſub Cyro & Dario (1. Eſdræ 3. 2.) cœpit cum Zorobabel ædificare templum in Ieruſalem (1. Eſdræ 5. 2.)

II. IOACIM, filius Ioſue.

III. ELIASIB, filius Ioacim
IV. IOADA, filius Eliaſib. } 2. Eſdr. 12. 10.
V. IOATHAN, filius Ioada

VI. IEDDOA, filius Ioathan (ibidem) qui ab aliis vocatur Iaddus. Hunc Alexander Magnus. Ieroſolymam accedens adorauit, teſte Ioſepho lib. 3. cap. vltimo. Cuius fra-

ter Manasses ædificauit templum Samaritanum in Garizim apud eundem Iosephum libro 11. cap. 7.

VII. ONIAS 1. Iaddi filius

VIII. SIMON, filius Oniæ, cognomento iustus. (Ioseph. lib. 12. cap. 3.)

IX. ELEAZARVS, frater Simonis, qui petente Ptolomæo Philadelpho, misit in Ægyptum 72. Interpretes, qui vetus Testamentum ex Hebraico sermone in Græcum transtulerunt. (Ioseph. lib. 12. cap. 2.

X. MANASSE, Iaddi filius, Oniæ frater. (Ioseph. lib. 12. cap. 3.)

XI. ONIAS. 2. Simonis Iusti filius, qui iam senior, tributum Ptolomæo Energetæ negauit. Vnde multa mala fuissent consecuta, nisi Iosephus Tobiæ & sororis Pontificis filius, legationem suscepisset ad Ptolomæum.

XII. SIMON 2. frater Oniæ secundi, de quo Iosephus lib. 12. cap. 4. sub finem.

XIII. ONIAS 3. filius huius Simonis; ad quem Rex Spartiatarum Arius misit legationem cum litteris (1. Machab. 12. 20.) De hoc Onia viro sanctissimo multa habentur. (2. Machab. 3. & 4.)

XIV. IASON, frater Oniæ, qui viuente adhuc ONIA, malis artibus, ab Anthiocho Rege Pontificatum obtinuit per triennium. (2. Machab. 4. 7.

XV. MENELAVS, qui cùm non esset de genere Sacerdotali (erat enim ex tribu Beniamin) Iasonem post tres annos de Pontificatu deiecit, & sibi illum à Rege deferri curauit. (2. Machabæor. 4. 24.) Sed cùm promissas Regi pecunias non solueret, iterum depositus est, subrogato in eius locum Lysimacho. (2. Machabæor. 4. 29.)

XVI.

XVI. LISIMACHVS, Menelai frater, qui à Populo, interfectus est, (2. Machab. 4. 41.)

XVII. ALCIMVS, ex familia Aaronis, qui meritò Pontificatum amisit, eo quod ritibus gentilium se contaminasset. (2. Machab. 14. 3.

XVIII. MATHATIAS, Machabæorum pater quem alij affirmant, alij negant: fuisse Pontificem. Vide nostrum Seratium in Commentario lib. 1. Machab. c. 2.

XIX. IVDAS MACHABAEVS, Mathatiæ filius, de quo Iosephus l. 12. cap. 17.

XX. IONATHAS, frater Iudæ. (1. Machab. 12. 6.

XXI. SIMON, Iudæ & Ionatæ frater (1. Mach. 14. 20.

XXII. IOANNES HIRCANVS, Simonis filius (1. Machab 16. 24.

10. Reliqui Pontifices, qui deinde secuti sunt vsque ad tempora Christi & Apostolorum, ex prophana historia petendi sunt. Nam in Scriptura sacra nulla fit eorum mentio. Solum ex Euangelio constat Annam & Caipham fuisse Pontifices, de quibus hic nihil dicendum est. Illud porrò in hac tota serie & successione Pontificum notari debet: generalem fuisse legem seu ordinationem Dei, vt nullus Pontificatu, nisi per mortem defungeretur; nec alius, priore adhuc vinente, subrogari posset. Quæ tamen lex, præsertim quando Reges & Principes sæculares immiscuerunt se rebus Ecclesiasticis, aliquoties seruata non est. Primò, sub Salomone: qui eiecit Abiathar à summo sacerdotio, & subrogauit illi Sadoc. Secundò, sub Antiocho Rege, cuius authoritate, primum quidem Onias Pontificatu abire compulsus est: tum Iason & Menelaus successiuè substituti; demùm illi ipsi, de gradu iterum deiecti sunt. Tertiò, sub Herode, qui pro suo arbitrio posuit, & remouit, quos voluit. Et

qui-

quidem Antiochus, & Herodes in hac re abusi sunt potestate regia, & meritò ab omnibus reprehenduntur. De Salomone, rectene an secus fecerit, quæstio est, de qua alibi.

QVÆSTIO III.

Quo ritu consecrati fuerint Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex?

1. TAmetsi Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex iure successionis haberent sua officia, non tamen poterant ea actu exercere, nisi prius certo ac legitimo ritu consecrati essent. Ritus consecrandi Leuitas habetur Num 8. 6. Et tria potissimum in eo spectanda sunt. 1. Purificatio, 2. Consecratio. 3. Applicatio ad vsum ministerij, Purificabantur Leuitæ, ante consecrationem, quatuor modis. 1. Aspersione aquæ lustrationis, 2. Rasione pilorum totius corporis. 3. Lotione vestimentorum. 4. Oblatione sacrificij pro peccato.

2. Aqua lustrationis, seu expiationis, dicebatur, cui cineres vaccæ ruffæ infusæ erant. Huius aspersione mundabantur, quicunque contraxerant aliquam immunditiam legalem, siue ex contactu cadauetis, siue aliunde, (Numer. 19. per totum.) Nec vlli immundo licebat accedere tabernaculum, nisi prius hac aqua mundatus & expiatus esset. (ibidem.)

3. Rasio pilorum totius corporis, & lotio vestimentorum, non solum in purificatione Leuitarum, sed etiam in expiatione leprosorum adhiberi solita est. Leuitici 14. versu 7. Diuerso tamen modo. Nam leprosi ideò radebant pilos capitis, barbæ, superciliorum, & totius corporis, & lauabant vestimenta; vt nihil apud se haberent, in quo lepra posset fouere aut occultari. Leuitæ verò, vt per illam externam mundationem

tionem monerentur se interius ab omni lepra spirituali purgatos esse oportere. Nec Deum minus abhorrere ab ijs ministris, qui animo ac mente inquinati, quam homines ab ijs, qui lepra corporali infecti sunt.

4. Post peractam hanc purificationem Leuitarum, sequebatur eorum consecratio, quæ in eo consistebat, quod Aaron acciperet eos à filijs Israel, loco primogenitorum, & offerret illos Deo in ministerium tabernaculi, & pro illis oraret, vt benè fungerentur suo officio, Hoc significant illa verba Num. 8. 11. Offeret Aaron Leuitas, munus in conspectu Domini, à filijs Israël, vt seruiant in ministerio eius. Et iterum; Eleuauit eos Aaron in conspectu Domini, & orauit pro eis.

5. Cùm hoc modo iam essent consecrati, applicabantur ad Vsum ministerij, eo ipso, quod intromitterentur in tabernaculum fœderis Domini iuxta illud; vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron & filijs eius. Hæc de Leueticis.

6. Ritus consecrandi Pōtificem & Sacerdotes, quo vsus est Moses in consecratione Aaronis & filiorum eius, habetur Exodi 29. & Leuit. 8. per totum, In quo etiam tria spectari debent. 1. Purificatio Pontificis & Sacerdotum 2. Consecratio. 3. Applicatio ad vsum ministerij. Purificatio fiebat duobus mundis Primò, lotione totius corporis. Secundò, oblatione, sacrificij pro peccato. Consecratio perficiebatur hoc ordine. 1. post lotionem, Pontifex ornatu Pontificali, & Sacerdotes sacerdotali induebantur. 2. Pontifex vngebatur oleo vnctionis in capite, non item Sacerdotes. 3. Tam Pontifex, quàm Sacerdotes, in extremo auriculæ dextræ, & similiter in pollice manus ac pedis dextri, tingebantur sanguine arietis immolati. 4. Non solùm Pontifex & Sacerdotes, sed etiam vestes eorum, sanguine arietis

& oleo

& oleo vnctionis aspergebantur. Denique multa ex canistro panum, & ex ariete immolato, dabantur illis in manus, vt ea leuarent coram Domino: quo facto, non solum dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad vsum ministerij, quod potissimum consistebat in sacrificando.

7. Cæterùm, vt maior esset solemnitas huius actionis, triplex in ea sacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hostiam pro peccato. 2. Aries vnus in holocaustum 3. Aries alter in hostiam pacificam. Igitur tota series actionis procedebat hoc modo & ordine. Primo, Aaron & filij eius, qui erant consecrandi, publicè coram toto populo adducebantur ad tabernaculum, & ibi lauabantur aqua. 2. Aaron induebatur habitu Pontificali, & super caput eius fundebatur chrisma, seu oleum vnctionis. 1. Filij Aaronis induebantur habitu Sacerdotali, non tamen fundebatur oleum vnctionis super capita illorum 4. Adducebantur ad ostium tabernaculi, vitulus & duo arietes: & præterea adferebantur panes azymi in canistro, cum quibusdam alijs ad eundem vsum pertinentibus.

8. Deinde, sequebatur primum sacrificium, id est, immolatio vituli pro peccato, hoc modo. 1. Aaron & filij eius imponebant manus super caput vituli qui mactabatur. 2. pars sanguinis eius ponebatur super cornua altaris; pars altera fundebatur ad basim eius 3. totus adeps, qui operit intestina, & reticulum iecoris, & duo renes cum suo adipe, incendebantur super altare. 4. Carnes, corium, & simus comburebantur foris extra castra.

9. Mox succedebat secundum sacrificium, id est, immolatio vnius arietis in holocaustum hoc ordine. 1. Impositis super caput eius manibus, mactabatur. 2. Sanguis eius spargebatur super altare per circuitum 3. Corpus secabatur in par-

Domini (ibid. verſu 21.

VII. AZARIAS, qui reprehendit Oziam Regem eo quod vellet adolere incenſum ſuper altare thymiamatis (2. Paral p. 26. 17.)

VIII. VRIAS, ſub Rege Achab (4. Reg. 16. 16.)

IX. AZARIAS, ſub Ezechia (2. Paralip. 31. 10.

X. SOBNA, ſub eodem contra quem prophetat Iſaias cap. 22. v. 15. vſque ad finem capitis.

XI. ELIACIM, filius Helciæ, ſub Manaſſe, quem Iſaias c. cit. verſ. 10. prædicit, loco Sobniæ collocandum in Pontificatu:

XII. HELCHIAS, ſub Ioſia (4. Reg. 22. & 23. Et 2 Paralip. 24.

XII. SARAIAS, qui cum Sedecia Rege, ductus eſt in captiuitatem Babylonicam (4. Reg 25. Ieremiæ 5. 2. 24.)

9. Sub initium captiuitatis, cùm Saraias Pontifex ductus eſſet in Babylonem, ſucceſſit illi Phaſur, filius Emmer, qui Ieremiam vinxit in carcerem. (Ieremiæ 20. verſu 1.) An autem fuerit verus & legitimus Pontifex, meritò à quibuſdam dubitatur. Porrò poſt captiuitatem Babylonicam, primus Pontifex fuit Ioſue, filius Ioſedec, ex familia Eleazari, cum hac ſucceſſione.

I. IOSVE, filius Ioſedec, ſub Cyro & Dario (1. Eſdræ 3. 2.) cœpit cum Zorobabel ædificare templum in Ieruſalem (1. Eſdræ 5. 2.)

II. IOACIM, filius Ioſue.

III. ELIASIB, filius Ioacim
IV. IOADA, filius Eliaſib. } 2. Eſdr. 12. 10.
V. IONATHAN, filius Ioada

VI. IEDDOA, filius Ioathan (ibidem) qui ab aliis vocatur Iaddus. Hunc Alexander Magnus, Ieroſolymam accedens adorauit, teſte Ioſepho lib. 3. cap. vltimo. Cuius fra-

ter Manasses ædificauit templum Samaritanum in Garizim apud eundem Iosephum libro 11. cap. 7.

VII. ONIAS 1. Iaddi filius

VIII. SIMON, filius Oniæ, cognomento iustus. (Ioseph. lib. 12. cap. 3.)

IX. ELEAZARVS, frater Simonis, qui petente Ptolomæo Philadelpho, misit in Ægyptum 72. Interpretes, qui vetus Testamentum ex Hebraico sermone in Græcum transtulerunt. (Ioseph. lib. 12. cap. 2.

X. MANASSE, Iaddi filius, Oniæ frater. (Ioseph. lib. 12. cap. 3.)

XI. ONIAS 2. Simonis Iusti filius, qui iam senior, tributum Ptolomæo Energetæ negauit. Vnde multa mala fuissent consecuta, nisi Iosephus Tobiæ & sororis Pontificis filius, legationem suscepisset ad Ptolomæum.

XII. SIMON 2. frater Oniæ secundi, de quo Iosephus lib. 12. cap. 4. sub finem.

XIII. ONIAS 3. filius huius Simonis; ad quem Rex Spartiatarum Arius misit legationem cum litteris (1. Machab. 12. 20.) De hoc Onia viro sanctissimo multa habentur. (2. Machab. 3. & 4.)

XIV. IASON, frater Oniæ, qui viuente adhuc ONIA, malis artibus, ab Anthiocho Rege Pontificatum obtinuit per triennium. (2. Machab. 4.7.

XV. MENELAVS, qui cùm non esset de genere Sacerdotali (erat enim ex tribu Beniamin) Iasonem post tres annos de Pontificatu deiecit, & sibi illum à Rege deferri curauit. (2. Machabæor. 4. 24.) Sed cùm promissas Regi pecunias non solueret, iterum depositus est, subrogato in eius locum Lysimacho. (2. Machabæor. 4. 29.)

XVI.

XVI. LISIMACHVS, Menelai frater, qui à populo, interfectus est, (2. Machab. 4. 41.)

XVII. ALCIMVS, ex familia Aaronis, qui meritò Pontificatum amisit, eo quod ritibus gentilium se contaminasset. (2. Machab. 14. 3.

XVIII. MATHATIAS, Machabæorum pater quem alij affirmant, alij negant: fuisse Pontificem. Vide nostrum Serarium in Commentario lib. 1. Machab. c. 2.

XIX. IVDAS MACHABAEVS, Mathatiæ filius, de quo Ioseph. l. 12. cap. 17.

XX. IONATHAS, frater Iudæ. (1. Machab. 12. 6.

XXI. SIMON, Iudæ & Ionatæ frater (1. Mach. 14. 20.

XXII. IOANNES HIRCANVS, Simonis filius (1. Machab 16. 24.

10. Reliqui Pontifices, qui deinde secuti sunt vsque ad tempora Christi & Apostolorum, ex prophana historia petendi sunt. Nam in Scriptura sacra nulla fit eorum mentio. Solum ex Euangelio constat Annam & Caipham fuisse Pontifices, de quibus hic nihil dicendum est. Illud porrò in hac tota serie & successione Pontificum notari debet: generalem fuisse legem seu ordinationem Dei, vt nullus Pontificatu, nisi per mortem defungeretur; nec alius, priore adhuc viuente, subrogari posset. Quæ tamen lex, præsertim quando Reges & Principes sæculares immiscuerunt se rebus Ecclesiasticis, aliquoties seruata non est. Primò, sub Salomone: qui eiecit Abiathar à summo sacerdotio, & subrogauit illi Sadoc. Secundò, sub Antiocho Rege, cuius authoritate, primum quidem Onias Pontificatu abire compulsus est: tum Iason & Menelaus successiuè substituti; demùm illi ipsi, de gradu iterum deiecti sunt. Tertiò, sub Herode, qui pro suo arbitrio posuit, & remouit, quos voluit. Et

qui-

quidem Antiochus, & Herodes in hac re abusi sunt potestate regia, & meritò ab omnibus reprehenduntur. De Salomone, rectene an secus fecerit, quæstio est; de qua alibi.

QVÆSTIO III.

Quo ritu consecrati fuerint Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex?

1. TAmetsi Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex iure successionis haberent sua officia, non tamen poterant ea actu exercere, nisi prius certo ac legitimo ritu consecrati essent. Ritus consecrandi Leuitas habetur Num 8. 6. Et tria potissimum in eo spectanda sunt. 1. Purificatio, 2. Consecratio. 3. Applicatio ad vsum ministerij, Purificabantur Leuitæ, ante consecrationem, quatuor modis. 1. Aspersione aquæ lustrationis. 2. Rasione pilorum totius corporis. 3. Lotione vestimentorum. 4. Oblatione sacrificij pro peccato.

2. Aqua lustrationis, seu expiationis, dicebatur, cui cineres vaccæ ruffæ infusæ erant. Huius aspersione mundabantur, quicunque contraxerant alij quam immunditiam legalem, siue ex contactu cadauetis, siue aliunde, (Numer. 19. per totum.) Nec vlli immundo licebat accedere tabernaculum, nisi prius hac aqua mundatus & expiatus esset. (ibidem.)

3. Rasio pilorum totius corporis, & lotio vestimentorum, non solum in purificatione Leuitarum, sed etiam in expiatione leprosorum adhiberi solita est. Leuitici 14. versu 7. Diuerso tamen modo. Nam leprosi ideò radebant pilos capitis, barbæ, superciliorum, & totius corporis, & lauabant vestimenta; vt nihil apud se haberent, in quo lepra posset foueri aut occultari. Leuitæ verò, vt per illam externam mundationem

tionem monerentur se interius ab omni lepra spirituali purgatos esse oportere. Nec Deum minus abhorrere ab ijs ministris, qui animo ac mente inquinati, quam homines ab ijs, qui lepra corporali infecti sunt.

4. Post peractam hanc purificationem Leuitarum, sequebatur eorum consecratio, quæ in eo consistebat, quod Aaron acciperet eos à filijs Israel, loco primogenitorum, & offerret illos Deo in ministerium tabernaculi, & pro illis oraret, vt benè fungerentur suo officio, Hoc significant illa verba Num. 8. 11. Offeret Aaron Leuitas, munus in conspectu Domini, à filijs Israël, vt seruiant in ministerio eius. Et iterum; Eleuauit eos Aaron in conspectu Domini, & orauit pro eis.

5. Cùm hoc modo iam essent consecrati, applicabantur ad Vsum ministerij, eo ipso, quod intromitterentur in tabernaculum fœderis Domini iuxta illud; vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron & filijs eius. Hæc de Leueticis.

6. Ritus consecrandi Pōtificem & Sacerdotes, quo vsus est Moses in consecratione Aaronis & filiorum eius, habetur Exodi 29. & Leuit. 8. per totum, In quo etiam tria spectari debent. 1. Purificatio Pontificis & Sacerdotum 2. Consecratio. 3. Applicatio ad vsum ministerij. Purificatio fiebat duobus mundis. Primò, lotione totius corporis. Secundò, oblatione, sacrificij pro peccato. Consecratio perficiebatur hoc ordine. 1. post lotionem, Pontifex ornatu Pontificali, & Sacerdotes sacerdotali induebantur. 2. Pontifex vngebatur oleo vnctionis in capite, non item Sacerdotes. 3. Tam Pontifex, quàm Sacerdotes, in extremo auriculæ dextræ, & similiter in pollice manus ac pedis dextri, tingebantur sanguine arietis immolati. 4. Non solùm Pontifex & Sacerdotes, sed etiam vestes eorum, sanguine arietis

& oleo

& oleo vnctionis aspergebantur. Denique multa ex canistro panum, & ex ariete immolato, dabantur illis in manus, vt ea leuarent coram Domino: quo facto, non solum dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad vsum ministerij, quod potissimum consistebat in sacrificando.

7. Cæterùm, vt maior esset solemnitas huius actionis, triplex in ea sacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hostiam pro peccato. 2. Aries vnus in holocaustum 3. Aries alter in hostiam pacificam. Igitur tota series actionis procedebat hoc modo & ordine. Primo, Aaron & filij eius, qui erant consecrandi, publicè coram toto populo adducebantur ad tabernaculum, & ibi lauabantur aqua. 2. Aaron induebatur habitu Pontificali, & super caput eius fundebatur chrisma, seu oleum vnctionis. 1. Filij Aaronis induebantur habitu Sacerdotali, non tamen fundebatur oleum vnctionis super capita illorum 4. Adducebantur ad ostium tabernaculi, vitulus & duo arietes: & præterea adferebantur panes azymi in canistro, cum quibusdam alijs ad eundem vsum pertinentibus.

8. Deinde, sequebatur primum sacrificium, id est, immolatio vituli pro peccato, hoc modo. 1. Aaron & filij eius imponebant manus super caput vituli qui mactabatur. 2. pars sanguinis eius ponebatur super cornua altaris; pars altera fundebatur ad basim eius 3. totus adeps, qui operit intestina, & reticulum iecoris, & duo renes cum suo adipe, incendebantur super altare. 4. Carnes, corium, & fimus comburebantur foris extra castra.

9. Mox succedebat secundum sacrificium, id est, immolatio vnius arietis in holocaustum hoc ordine. 1. Impositis super caput eius manibus, mactabatur. 2. Sanguis eius spargebatur super altare per circuitum 3. Corpus secabatur in par-

res. 4. Intestiña lauabantur. 5. Pedes & intestinæ iam lota ponebantur super caput & alias partes 6. hæc omnia incendebantur super altare.

10. Postea mactabatur alter aries in hostiam pacificam, hoc ritu. 1. Moyses sumebat de sanguine eius, & oblinebat extremum auriculæ dextræ Aaronis & filiorum eius; itemque pollicem manus ac pedis dextri. 2. Spargebat sanguinem super altare per circuitum. 3. Sumebat de sanguine, qui erat super altare, & de oleo vnctionis, & aspergebat Aaronem, & filios eius, & vestes eorum. 4. sumebat adipem, caudam; pinguedinem, quæ operit intestina, reticulum iecoris, duos renes cum adipe eorum, armum dextrum, portionem panis, crustulam oleatam, & laganum, & tradebat Aaroni & filijs eius, vt lauarent coram Domino 5. Suscipiebat iterum omnia de manibus eorum, & incendebat super altare in holocaustum.

11. Quæres primò, quamdiu durauerit hæc tota actio consecrationis Aaronicæ? Respondeo. Durauit septem diebus, vt expressè habetur Exodi 29. 35. Septem diebus, consecrabis manus eorum, Et Leuit. 8. 33. De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus, vsque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio. Quod tamen duobus modis intelligi potest. Primò quod tota actio consecrationis paulatim & successiuè, spatio septem dierum peracta sit: Ita vt Aaron & filij eius, primùm quidem loti sint; deinde facto habitu ornati; tum vncti, tincti, & aspersi; ac sic deinceps, donec tandem die septimo finis actioni sit impositus. Secundò, quod tota consecratio cum omnibus ritibus ac cæremonijs, primo die fuerit integrè absoluta, & postea per sequentes dies, quotidie integrè repetita; ita vt Aaron & filij eius, septies fuerint loti lauati, septies induti sacro habitu, septies vncti, tincti,

tinctí, & aſperſi, & ſeptíes tetna ſacrificia Deo oblata. Hoc poſterius tenent Ioſephus, Lyranus, & plures alij: Et colligitur ex verbis paulò ante citatis: Septem diebus conſecrabis manus eorum.

12. Dices, inde non ſequitur, quotidiè omnes cæremonias fuiſſe repetitas, ſed tantum aliquas. Fateor, non ſequi euidenter, ſed ſolum probabiliter. Et ideò, præter duas expoſitiones iam allatas, poteſt dari tertia, quæ ſit media inter vtramque: Nimirum, quod tota conſecratio, cum omnibus ritibus ac cæremonijs primo die fuerit integrè abſoluta: Et poſtea per ſequentes dies aliquæ tantùm cæremoniæ fuerint repetitæ; præſertim hæ quatuor. 1. Vnctio manuum Sacerdotum. 2. Immolatio vituli. 3. Mundatio altaris. 4. Vnctio altaris. Nam harum peculiaris fit mentio Exodi 29. 35. Vide Conci ium ibidem.

13. Quæres ſecundò, Quare tot cæremoniæ adhibitæ fuerint in conſecratione Pontificis & Sacerdotum? Reſpondeo. Tres cauſæ aſſignari poſſunt. Vna ex parte officij ſacerdotalis: Altera ex parte ipſorum Sacerdotum: Tertia ex parte populi ſeu ſubditorum. Igitur prima cauſa eſt, quia Deus per tot ritus, cæremonias, ac ſolemnitates, voluit oſtendere præſtantiam, dignitatem, & ſanctitatem officij Sacerdotalis. Et quod nemo ad officium tam ſanctum ac diuinum deberet accedere, niſi prius à Deo ſpeciatim electus, & publicè coram populo in hunc finem eſſet conſecratus. Hinc grauiſſimè puniti ſunt, qui ingeſſerunt ſe in officium Sacerdotale, cùm non eſſent conſecrati. Exemplum habemus in Chore, Ierobam, & Ozia. Chore viuus à terra abſorptus eſt (Num. 16) Ieroboamo manus repentè exaruit (3. Reg. 13.) Ozias lepra percuſſus eſt. (2. Paralip. 26.)

14. Secunda cauſa eſt, vt ipſimet Pontifices

& Sacerdotes, ex illis ritibus ac cæremonijs, caperent duplicem vtilitatem. Primò quidem, vt meminiſſent ſe debere eſſe ſanctos & puros coram Domino, qui ad tam ſanctum & purum miniſterium electi à Deo, & conſecrati eſſent, & ſanè tanto maiorem ſanctitatem ac puritatem ab ipſis, quam à populo requiri; quanto ipſi, quam populus, in ſanctiori gradu ac ſtatu eſſent collocati. Secundò, vt in aduerſitatibus & periculis, quæ ſæpè occurrunt in tali officio, poſſunt ſeipſos ſolari & erigere. Nam ſicut illi, qui præſunt alijs in rebus temporalibus, ſæpè vel à ſuis ſubditis, vel ab hoſtibus affliguntur, ſic multo magis contingit illis, qui in cura animarum principatum tenent. Hoc in veteri teſtamento experti ſunt Aaron (Num. 16.) Zacharias, (2. Paralip. 24.) Azarias (2. Paralip. 26) Et in nouo, Apoſtoli, Matth. decimo, verſ. decimo ſexto. Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo. Et nominatim S. Paulus 2. Corint. 11. verſ. 23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Ter. virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, &c. Cùm ergo huiuſmodi viri, tot miſerijs expoſiti ſint neceſſe eſt, habeant aliquid quo ſe ſolentur, ne oneri ſuccumbant. Id in veteri Teſtamento factum eſt per ſolemnes ritus ac cæremonias, quibus Sacerdotes, & Pontifices, ex mandato Dei conſecrabantur. Nam inde certò illis conſtabat, ſe à Deo ſpeciatim electos deſignatos eſſe, vt in tali officio Deo miniſtrarent, ac proinde, vt omnia aduerſa, quę tali officio annexa eſſent, libenti ac forti animo ſuſtinerent. Ex quo vlterius facilè ſibi perſuadebant: quidquid ratione vocationis acerbum ac moleſtum eueniret, non niſi in bonum exitum diuina ordinatione ceſſurum. Simile eſt in nouo Teſtamento.

15. Ter-

15. Tertia causa est, vt etiam subliti ex tali cæremonia um solemnitate fructum aliquem perciperent. Qui quidem fructus erat duplex. Alter, quod ex publica consecratione certo agnoscerent suos pastores, quibus ipsorum salus commissa esset. Alter, quod scirent, quantum honorem, & reuerentiam propter sanctitatem officij præstare illis oporteret. De quo puncto alibi iterum dicendũ est.

16, Hinc etiam apparet analogia veteris ac N. T. Nam sicut in vetери, nemo poterat exercere officium Sacerdotale, nisi à Deo vocatus, & à Pontifice solemni ritu consecratus esset; sic etiam fit in nouo. Quod disertè asserit Apostolus Hebr. 5. 3. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, id est, sicut Aaron vocatus est. Vbi per vocationem intelligit etiam consecrationem. Ritus autem, qui in Nouo Testamento vsurpantur, sunt varij. Nam aliqui habentur ex scriptura, vt impositio manuum Episcopi (1. Timoth. 4. 14. & 2. Timoth. 1. 6) Alij ex traditione Apostolorum, vt vnctio, teste Dionysio Areopagita cap 4. de Hierarchia Ecclesiastica, Alij ex vsu & praxi Ecclesiæ, vt multi ex ijs, quorum fit mentio in Pontificali.

17. Solent Lutherani & Caluinistæ ridere vnctionem Sacerdotalem, quæ vsurpatur à Catholicis, tanquam cæremoniam Iudaicam, ac proinde minimè tolerandam. Sed temerè: Primo, quia impositio manuum non minus fuit vsitata à Iudæis, quàm vnctio. Si ergo impositio manuum potest tolerari, & re ipsa ab Apostolis tolerata & vsurpata est; cur etiam vnctio tolerati & vsurpari non possit? Deinde, aliud est, vti aliqua cæremonia, qua vsi sunt Iudæi; aliud, vti ad eum finem, ad quem vsi sunt Iudæi. Nos prius facimus, non posterius. v. g. Vtebantur ipsi ablutione aquæ ad abstergendam immunditiam legalem,

galem nos etiam vtimur ablutione aquæ in Baptiſmo: Sed ad abſtergendam maculam peccati originalis. Similiter, vtebantur ipſi impoſitione manuum, vnctione olei, pane ſanctificato, aqua luſtrationis; quibus etiam nos vtimur: Sed alium ipſi, alium nos finem & intentionem habemus Ipſi erant in vmbra; nos in luce ſumus. Illi Chriſtum venturum præfigurabant; nos præſentem honoramus. Vide B. Harminum de Sacramento ordinis c. 12 in fine.

18 Quæres 3. An quotieſcumque poſt Aaronem facta fuit conſecratio alicuius Pontificis, ſemper adhibitæ ſint omnes cæremoniæ, quæ in conſecratione Aaronis adhibitæ ſunt: Nimirum lotio, ornatus, vnctio in capite, tinctio, aſperſio, ſacrificium, & ſolemnitas ſeptem dierum. Non videtur id factum eſſe in conſecratione Eleazaris, qui proximè ſucceſſit Aaroni. Nam nihil aliud in ea factum eſt, quàm quod in monte Hor, induerit veſtem Pontificalem, quâ vſus fuerat Aaron, & cum ea deſcenderit ad populum (Num. 20. 25.)

19. In hac difficultate ſunt tres opiniones. Prima, quod Eleazarus ex ſpeciali Dei voluntate ac diſpoſitione, factus ſit Pontifex, ſine ſolemni ritu conſecrationis, per ſolam aſſumptionem veſtis Pontificalis. Altera, quod ritus conſecrationis verè adhibitus ſit, non quidem in monte Hor (propter defectum tabernaculi, quod manſerat in inferiori loco, in medio caſtrorum) ſed poſtea, cùm ex monte redijſſent ad tabernaculum; vel certè cum expugnaſſent & occupaſſent terram duorum Regum Amorrhæorum, vel denique cùm poſt tranſitum Iordanis, veniſſent in terram promiſſionis. Tertia, quod non opus fuerit adhibere totam ſolemnitatem, ſed ſolam vnctionem & ornatum Pontificalem. Ratio eſt, quia Eleazarus iam ante ſolemni ritu conſecratus fuerat Sacerdos, cum tribus fratribus

& Aaro-

& Aarone Patre. Ergo iam adhibitæ fuerant omnes cæremonię, quæ erant communes Sacerdotibus & Pontifici. Ergo solum necesse erat eas adhibere, quibus pontifex distinguebatur à Sacerdotibus Illæ autem erant duæ tantum, nempe vnctio in capite, & assumptio ornamenti Pontificalis. Vtraque potuit adhiberi in mõte Hor. Et de altera quidem constat; de altera verò credibile est, adhibitam fuisse.

20. Ego, saluo meliori iudicio, sic sentio. Primò, ex præcepto diuino necessarium fuisse, vt quicumque Pontifex crearetur, septem diebus maneret in tabernaculo, in habitu Pontificali. Secundò, vt vngeretur oleo vnctionis in capite. Tertiò, vt pollex dextræ manus ac pedis, itemque extremum auriculæ, tingeretur sanguine arietis immolati. Hæc tria colliguntur ex verbis Exod. 29 29. Vestem autem sanctam, qua vteretur Aaron habebũt filij eius post eum, vt vngantur in ea, & consecrentur manus eorum. Nec dubito, quin seruata sint in consecratione Eleazari, tametsi Scriptura expressè id non dicat. De lotione nihil certi definiri potest.

QVÆSTIO IV.

Quod fuerit officium Pontificis & Sacerdotum?

1. REspondeo, Pontifex habebat quædam officia communia cum alijs Sacerdotibus; quædam sibi propria ac peculiaria. Communia erant hæc decem. Primum, offerre victimas, seu sacrificia super altare holocausti (Leuit. 1. 2. 3.) Secundum, in eodem altari, in vsum sacrificiorum, alere seu nutrire perpetuũ ignẽ, subijciendo illi quotidie ligna (Leuit. 6. 12.) Tertium, bis quotidie, id est, mane & vesperè ponere & adolere incensum super altare thymiamatis) Exod. 10, 2.) Erant enim duo altaria legitima: Vnum holo-

holocausti, in quo victimæ seu sacrificia offerebantur: alterum thymiamatis, in quo aromata suauissimi odoris incendebantur. Hoc aureum, illud æreum. Quartum, bis quotidie, affuso oleo oliuarum, concinnare lucernas, quæ erant in candelabro aureo, iuxta altare thymiamatis. (Exodi 25. vers. 37. & Leuitici 24. v. 2.) Quintum, singulis Sabbatis duodecim panes calidos ponere super mensam propositionis, & veteres inde remouere ac comedere. (Exodi vigesimoquinto versu 23. & Leuitici 24. 5.) Sextum, immolare vaccam ruffam extra castra. (Numerorum 19. 3.) Septimum, adiuuare mulieres in casu zeloтypiæ, (Numer. 5.) Octauum discernere inter lepram & lepram. (Leuit. 13. per totum) Nonum, expiare seu mundare leprosos, puerperas, menstruatas, & seminifluos (Leuit. 12, & sequentibus.) Decimum, Legem Dei scire, interpretari, & alios docere. (Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.

2. Propria erant hæc quatuor. Primum semel in anno, nimirum in solemni die expiationis, seu propitiationis introire in Sanctuarium, seu in Sancta Sanctorum, (Hebr. 9. 7.) & instituere publicam expiationem totius populi, ab omnibus peccatis & immunditijs toto anno contractis, (Leuit. 16. per totum.) Vbi notandum est, duplicem fuisse expiationem in veteri Testamento: vnam priuatam & particularem, qua vel leprosi, vel puerperæ, vel alij, qui habebant aliquam immunditiam legalem. expiari solent: alteram publicam & vniuersalem, quâ tota multitudo seu Ecclesia Israëlitarum mundabatur. Prior fiebat sæpè in anno: posterior, de qua hic agimus, semel dumtaxat. Prior à quouis Sacerdote, posterior à solo Pontifice. Prior extra Sanctuarium, posterior partim in Sanctuario, partim extra. Fiebat autem hoc ritu. 1. Totus Populus cessabat eo die ab omni opere seruili, &

ieiuna-

ieiunabat vsque ad vesperam. 2. Pontifex lauabat se aqua, & induebat vestes Pontificales. 3. Antequam inciperet publicam expiationem, præmittebat tres alias, quæ tamen publicæ subseruiebant. Vnam sui ipsius & familiæ suę, oblatione vituli pro peccato, & arietis in holocaustum. Alteram tabernaculi & Sanctuarij partim vapore seu nebula accensorum aromatum, partim septena aspersione sanguinis ex immolato vitulo & hirco. Tertiam altaris thymiamatis, sola aspersione sanguinis. His peractis, sequebatur publica expiatio, hoc modo: Pontifex, qui ab initio miserat sortem super duos hircos, vt alter immolaretur pro peccato, alter viuus mitteretur in desertum, hunc statuebat in conspectu multitudinis, & posita vtraq; manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates & peccata filiorum Israel, eaque capiti adstantis hirci imprecabatur; & sic mittebat eum in desertum, quasi offerentem & portantem peccata totius populi. Vnde & hircus seu caper Emissarius dictus est. Hęc omnia prolixè habentur Leuit. 16.

3. Secundum officium Pontificis erat consecrare Leuitas & Sacerdotes, iuxta eum ritum qui describitur Exodi 29. Leuit. 8. & Num. 8. De quo ritu superius actum est. Hoc officium Pontificis designabatur per vnctionem capitis; vt rectè notat D. Thomas in 1. 2. q. 102. art. 5. ad 8. Et ratio est, quia sicut oleum vnctionis, seu sacrum Chrisma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat inde ad alia membra, iuxta illud Psal. 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron Sic potestas offerendi sacrificia, & ministrandi in tabernaculo, à Pontifice per legitimam consecrationem descendebat ad Sacerdotes & Leuitas, tanquam à capite Synagogæ in membra inferiora.

4. Tertium officium Pontificis erat, in controuersijs legalibus agere supremum Iudicem,

& pronunciare vltimam sententiam, cui omnes sub pœna mortis tenebantur obedire seu acquiescere. De hoc plura dicam capite vndecimo, vbi ex professo agetur de Iudice controuersiarum veteris Testamenti.

5. Quartum erat, in rebus gerendis, quæ maioris momenti essent, consulere Deum, & ab eo responsum accipere. Vnde quotiescumque circa res gerendas aliqua dubitatio maioris momenti oriebatur, recurrendum erat ad Pontificem, qui consulebat Deum, & accepto ab eo responso, docebat alios, quid faciendum esset. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Vna eorum, qui volebant rem aliquam maioris momenti aggredi. Nam antequam hoc facerent, tenebantur accedere Pontificem, & ab eo consilium petere. Altera Pontificis, qui debebat rem illam Deo proponere, & ab eo scisciitari, rectenè, an secus suscipi possit.

6. Vtraque obligatio colligitur ex illo Num. 27. 8. Dixit Dominus ad Moysen: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse & omnes filij Israël cum eo, & cætera multitudo. Hæc posteriora verba huc spectant. Quorum sensus est: Iosue, qui erit Dux populi, non progredietur cum exercitu, nec suscipiet bellum cum vicinis hostibus, nec vllam rem aliam magni momenti aggredietur, nisi ad mandatum & directionem Eleazaris Pontificis, qui in huiusmodi casibus, quid faciendum sit, à Deo sciscitabitur, & Iosuam deinde certiorem faciet.

7. Porrò, non solus Iosue, sed alij quoque Prin-

Princ pes ac Reges, qui deinceps secuti sunt, hoc præcepto obligabantur, semper in negotijs arduis debebant recurrere ad Pontificem, & ex arbitrio i lius vel agere quippiam, vel omittere. Et bene cum ijs actum est, qui hoc fecerunt; malè cum ijs, qui neglexe unt. Exempla prioris generis sunt hæc. Primò. Dauid Rex cum in el exisset insidias sibi parari à Saule, accessit Abiathar Pontificem, & per eum quæsiuit à Deo, an tuto possit esse in vrbe Ceila? & an ciues Ceilitæ essent eum tradituri Sauli? 1. Regum 23. 9.) Secundò idem Dauid alio tempore, per eundem Pontificem contulit Deum, an deberet persequi Amalecitas, qui spoliauerant & succenderant vrbem Siceleg. (1. Regum 30. 6.) Quod autem Dauidi familiare fuerit, hoc modo interrogare Deum, patet 1. Regum vigesimosecundo versu decimoquinto, vbi Achimelech Pontifex accusatus apud Saulem, quod Dauidi adhærere, & pro eo Dominum consuluisset, respondit Regi: Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? quasi dicat, sæpius ante hæc tempora id feci.

8. Exempla posterioris generis sunt hæc. Primò, Iosue & alij principes filiorum Israel, decepti sunt à Gabaonitis, eo quod fœdus cum illis pacti essent, non consulto prius per Pontificem Deo. (Iosue nono, versu 14.) Secundò, Saul elatus victoria, & præfisus suis viribus, cùm vel leui inconsulto Deo, Philistæos persequi, monitus à Pontifice est, ne id faceret. Et cùm postea consuluisset Deum, nullum responsum ab eo impetrauit. Itaque, non potuit vti victoria, sicut animo destinauerat. (1. Reg. 14. 36.) Tertiò, filij Israel pugnaturi cum Beniamitis, consuluerunt quidem Deum per Pontificem, sed tamen quia magis confidebant suis copijs, quàm Dei, oraculo, multis ex ijs cæsi ac fugati sunt. (Iudic. 20. 22.)

9. Quæres, quo modo, vel ritu, solitus sit Pontifex consulere Deum in huiusmodi casibus? Respondeo Aliter Moyses, aliter alij Pontifices, soliti sunt id facere. Moyses ingressus tabernaculum fœderis, facie ad faciem cum Deo loquebatur, sicut solet homo cum amico loqui (Exod. 33. 11.) Alij Pontifices, qui postea secuti sunt, indutí Ephod, loquebantur cum Deo, non quidem facie ad faciem, sed aliquo alio peculiari modo, qui tamen apud authores & Interpretes non satis compertus est, vt latius dicam in seq. Q. 16.

QVÆSTIO V.

Quo vestitu & ornatu vsi sint Sacerdotes & Pontifex?

1. LEuitæ non habebant sacrum ornatum, sed soli Sacerdotes & Pontifex. Nec tamen illo vtebantur, nisi eo tempore, quo in Tabernaculo vel templo ministrabant: Erant autem octo ornamenta Pontificis. 1. feminalia linea 2. vestis linea 3. balteus seu cingulum 4. tunica hyacinthina. 5. Ephod, seu superhumerale. 6. Rationale iudicij. 7. Cidaris seu tiara. 8. Lamina aurea. De his agitur Exodi 28. per totum. Et quidem quatuor ex ijs erant propria Pontifici, vt tunica hyacinthina, Ephod, Rationale, & Lamina aurea: reliqua communia cum alijs Sacerdotibus. De singulis aliquid dicendum est.

2. Igitur Pontifex, cùm ad ministrandum accedebat, primo loco induebat feminalia seu femoralia linea, ad tegendam carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora, vt loquitur Scriptura (Exodi 28. 42.) Erant autem hæc feminalia veluti caligæ quædam, quas pedibus insertas (vt ait Iosephus) quasi dimidiatas braccas ad ilia

constringebat. Aliqui putant ex byſſo retorta fuiſſe confecta. Nobis ſufficit quod à Moyſe linea appellentur.

3. Poſt feminalia, proximè induebat tunicam lineam, quæ duplici nomine fuit appellata. Primò, linea ſtricta. (Exodi 28. 4.) Secundò, ſubucula linea. (Leuitici 8, 7.) Inuenio duas cauſas cur ſtricta fuerit appellata. Vna, eſt quia ad cutem ſtringebatur. Non enim erat laxa & ampla, ſed quantitati corporis commenſurata. Altera, quia balteo ſeu cingulo ſtringebatur. (Leuit. 8.7.) Probabile eſt, fuiſſe ſimilem tunicę Ioab, de qua 2. Regum 20. 8. Porrò Ioab, veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, Niſi quod hæc fuerit exterior, illa interior,

4. Hæc veſtis linea conſtringebatur balteo ſeu cingulo, inter vmbilicum & pectus. De quo D. Hieronymus ita ſcribit ad Fabiolam: Hoc cingulũ, In ſimilitudinem pellis colubri, qui exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſt, vt marſupium lõgius pateſ. Textum autem eſt ſub tegmine cocci, purpura, hyacintho, & ſtamine byſſino, ob decorẽ & fortitudinem: atque ita polymita arte diſtinctum, vt diuerſos flores ac gemmas, artificis manu, non textas, ſed additas arbitreris. Lineam tunicam, inter vmbilicum & pectus, hoc ſtringunt balteo. Similia habet Ioſephus libro 3. antiquitatum, cap. 8.

5. Poſt balteum ſequebatur tunica hyacinthína, quæ erat laxa, per modum veſtis talaris. In eius fimbria inferiori per circuitum pendebant alternatim mala punica & tintinnabula aurea, vt ex eorũ ſonitu perciperetur ingreſſus & egreſſus Pontificis, quando intrabat vel exibat Sanctuarium. (Exodi vigeſimo octauo, verſu trigeſimo quinto.) Dicebantur autẽ mala punica, non quod reuera eſſent, ſed quia ex Hyacintho, purpura & cocco bis tincto, confecta erant inſtar malorum punicorum (Exod. 28. 33.

6. Su-

6. Super tunicam Hyacinthiuam, erat Ephod ſeu ſuperhumerale, quod regebat humeros, & anteriorem partem vſque ad cingulum. Erat autem cõtextum ex auro. Hyacintho, purpura cocco bis tincto, & byſſo retorta. (Exod. 28. 6.) In vtroque latere verſus humeros habebat duos lapides onychinos), auro incluſos: vnum à dextris, alterum à ſiniſtris; in quibus ſculpta erant nomina duodecim filiorum Iſrael: ſex nomina in vno lapide, & ſex in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. (Exodi 28. 9.)

7. In anteriori parte ſuperhumeralis, ad pectus Pontificis, ligabatur Rationale iudicij. Hebræi vocant Hoiẽn, id eſt, pectorale. Græci λόγιον, vel λογεῖον, id eſt, rationale. Conficiebatur autem ex eadem materia, qua Ephod, nempè ex auro, hyacintho, purpura, cocco bistincto, & byſſo retorta. Figura quandrangulum: denſitate, duplex ad Ephod relatum longitudine & latitudine, menſura palmi. (Exodi vigeſimooctauo, verſu decimoſexto) In hoc rationali erant duodecim lapides pretioſi. Inclusi auro, & diſtincti per quatuor ordines: in quibus etiam ſculpta erant duodecim nomina filiorum Iſraël (ibidem verſu decimoſeptimo.) Atque ita confectum & exornatum, catenis aureis & faſcijs tam firmiter affigebatur ſuperhumerali, vt à ſe inuicem nõ potuerint ſeparari. (Ibidem verſu vigeſimooctauo.) Porrò in rationali poſita erat Doctrina & veritas, ſuper pectus Pontificis. (verſu 30.) Hebraicè Vrim & Tumim.

8. In capite Cidaris ſeu tiara, id eſt, mitra quædam ex byſſo confecta, cui affigebatur lamina aurea, ſupra frontem Pontificis, cum hac inſcriptione, Sanctum Domino, (Exodi 23. verſu trigeſimoſexto.) Sic enim loquitur textus: Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. Ligabisq;

eam

eam vitta hyacinthina, & erit super Tiaram imminens fronti Pontificis.

9. Quæres primò: Quid significauerint ornamenta Pontificia? D. Thomas duas in 1. 2. quæst. 102. articulo 5. ad 8. adfert duas significationes: Vnam litteralem, alteram mysticam. Secundum litteram, inquit, ornamenta Pontificis designabant dispositionem huius mundi, hoc modo. Primò, feminalia linea, & vestis linea, significabant terram, ex qua linum nascitur. Secundò, Balteus Oceanum, qui cingit terram. Tertiò, Tunica hyacinthina, aërem, qui hyacinthini coloris est. Quartò, Tintinnabula illius tunicæ, tonitrua aëris. Quintò, Mala punica, coruscationes, quæ fiunt in aere. Sextò, Ephod, seu superhumerale, cœlum sidereum. Septimò, Duo onychini, duo hemisphæria, vel certè Solem & lunam. Octauò, Duodecim gemmæ in pectore, duodecim signa Zodiaci. Nonò, Tiara, cœlum empyreum Decimò, Lamina aurea, Deum omnibus præsidentem.

10. At mysticè designabant virtutes, quæ debent esse in Pontificè. Ac primò, feminalia linea significabant castitatem: vestis linea, puritatem vitæ: cingulum, discretionem: tunica hyacinthina, cœlestem conuersationem: tintinnabula aurea, sanam doctrinam: mala punica, bonos mores: superhumerale, sufferentiam infirmitatum populi: rationale in pectore cum nominibus filiorum Israel, charitatem & solicitudinem pro fidelibus: Tiara in capite, rectam intentionem: Lamina aurea in frõte, memoriam ac recordationem Dei. Hæc ex D. Thoma.

11. Alij non malè de Christo, interpretantur. Nam ille fuit verus ac prima ius Pontifex, cuius typum gesserunt Aaron & successores eius. In illo perfectissimè fuerunt omnes virtutes per ornamenta Pontificalia designatæ. Ille suis humeris portauit duas gemmas, id est, pretium redem-

ptionis

pionis duorum populorum, Iudæorum scilicet & Gentilium. Ille in suo pectore insculpta habuit nomina electorum. Ille quacumque incessit, ex strepitu prædicationis Euangelij, & suauissimo virtutum odore, percipi potuit ac obseruari.

2. Quæres secundo: An solus Pontifex vsus fuerit Ephod seu superhumerali? Ratio dubitandi est, quia legimus alios quoque, præter Pontificem vsos esse, nempe Leuitas, Sacerdotes, Reges. Nam de Samuele, qui erat Leuita, sic habemus primo Regum secundo, versu decimo octauo: Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo. De Sacerdotibus primo Regum vigesimo secundo, versu 18. Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. De Dauide Rege 2. Regum 6. 14 Dauid saltabat totis viribus ante Dominũ, accinctus Ephod lineo.

13. Respond. Duplex fuit Ephod seu superhumerale in vetteri Testamento. Vnum contextum ex auro, purpura, hyacintho, cocco bis tincto, & bysso retorta. Alterum simplex, lineum, candidum Priori solus Pontifex vtebatur, posteriori alij. Ita D. Hieronymus in Epistola 127. ad Fabiolam, & epistola 130. ad Marcellam, Abulensis lib. 1. Reg. ca. 22. q. 27. Ribera libro 3. de templo capite 10. & alij passim.

14. Quæres 3. In quem finem solitus sit Pontifex gestare Ephod? Ex Scriptura constat, in tribus casibus solitum esse gestare. Primò, in consecratione. Quando enim mortuo Pontifice, alius subrogabatur, necesse erat solemni ritu eum consecrari, quod fiebat assumptione habitus Pontificalis, & vnctione capitis (Exodi 29. 29.) Secundò, ingressu Sanctuarij. quando sacrificabat & deprecabatur pro populo. (Exodi 28. 29.) Tertiò, quando consulebat Deum

in re-

in rebus dubijs. De hoc casu potissimum hic agimus.

15. Igitur notandum est, in veteri Testamento fuisse tres modos consulendi Deum in rebus dubijs, & accipiendi ab eo responsa. 1. Per visiones & somnia 2. Per Sacerdotes. 3. Per Prophetas. Hoc colligitur ex illo 1. Regum 28. 6. Consuluit Saul Dominum, & non respondit illi, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.

16. Modus consulendi per Sacerdotes, (de quo solo hic agimus) sic habebat: Rex, aut Princeps, aut populus Israëlitarum, si quando dubitabant, quid in rebus magni momenti agendum sibi esset, iubebantur adire Pontificem seu summum Sacerdotem, qui indutus Ephod consulebat pro ipsis Deum. (Numer. 27. 21.) Eius rei varia exempla allata sunt, quæstione præcedenti. Nihilominus superstant quædam dubia, quæ hoc loco discuti possunt. Ac primò quæritur, an is, qui per Pontificem consulebat Deum. debuerit in propria persona præsens esse Pontifici? Respondeo. Tametsi sæpius id fieret, non tamen erat necesse fieri. Nam sicut absens poterat agere cum Prophera, sic etiam cum Pontifice. Secundò, an immediatè suam quęstionem proposuerit Pontifici, an Deo coram Pontifice? Respondeo: Immediatè Pontifici, & Pontifex Deo. Ita plures sentiunt. Tertiò, an hæc propositio d. buerit fieri coram Arca? Respondeo: Fiebat coram Arca, si adesset; secus, si abesset. Quartò, Quomodo Deus solitus sit dare responsa Pontifici interroganti? Respondeo: Authores dissentiunt, aliqui putant per Angelum voce humana loquentem: Alij, per occultam Spiritus sancti reuelationem. Alij per scedulam. Alij, inter quos Iosephus, per splendorem gemmarum seu lapidum, qui erant in Rationali supra pectus Pontificis. Hoc sic explicant. Si lapides seu gemmæ plus solito splen-

descc-

descerent, signum erat feliciter successurum: si minus solito, malè successurum si nec plus nec minus sed more naturali splendescerent, signum erat Deum non velle respondere: Et sic putant accidisse, quando Saul consuluit Deum per Sacerdotem.

17. Vltimò quæri potest, quando cessauerit hic modus consulendi Deum per Pontificem, & accipiendi ab eo responsa? Abulensis putat cessasse eo tempore, quod inter Alexandrum Magnum & Machabæos intercessit. Genebrardus, eo tempore, quo Ioas Rex occidit optimum Pontificem Zachariam. Alij denique ab initio captiuitatis Babylonicæ, quando sacrificium cessauit. Nam verisimile est, Iudæos propter sua peccata, eodemque tempore, & oraculo & sacrificio spoliatos fuisse, quod contigit ad initum captiuitatis Babylonicæ. Quò videtur spectare illud Oseæ 3. 4. Dies multos sedebunt filij Israël sine Rege & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod.

QVAESTIO VI.

Quos & quantos redditus habuerint Sacerdotes & Pontifex?

1. SIcut Deus ex 12. Tribubus Israël elegit vnam pro diuino seruitio, vt suprà dictum est, nempè tribum Leui, in qua erant Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex; sic eandem tribum, tanquam sibi peculiariter mancipatam, voluit in suam curam suscipere, & de certis redditibus paternè illi prouidere, iuxta illud, Num. 18. 20. Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël. Hinc etiam postea factum est, vt in diuisione terræ promissionis, singulæ tribus

bus acceperint suam portionem, excepta tribu Leuĩ quę per reliquas tribus dispergebatur.

2. Porrò Deus in stipendium pro ministerio, liberaliter illis concessit, quę sequuntur. Primò, vt haberent quadraginta octo vrbes cum agris suis, ad pastum iumentorum. (Num. 35. 1.) Secundò, vt aliarum tribuum decimis alerentur. Tertiò, vt acciperent primitias. Quartò, vt haberẽt oblationes, quæ fiebant à populo. De his singulis breuiter agẽdum est.

3. Igitur vrbes quadraginta octo erant hæ. 1. Hebron. 2. Lobua. 3. Iether, 4. Esthemo. 5. Holon. 6. Dabir. 7. Ain. 8. Ieta. 9. Bethsames. 10. Gabaon. 11. Habae. 12. Anathoth. 13. Almon. 14. Sichem. 15. Gazer. 16. Cibsaim. 17. Bethoron. 18. Eltheco. 19. Gobathon. 20. Aialon. 21. Cethremmon. 22. Thanach. 23. Gethremmon. 24. Gaulon. 25. Bost. 26. Cesion. 27. Dabereth. 28. Iaramoth. 29. Enganim. 30. Masal. 31. Abdon. 32. Haleath. 33. Rohob. 34. Gedes. 35. Hammoth. Dor. 36. Carthan. 37. Iecnan. 38. Cartha. 39. Damna. 40. Naalol. 41. Bosor. 42. Iaser. 43. Iethson. 44. Mephaad. 45. Ramoth in Galaad. 46. Manam. 47. Hesebon. 48. Iazer.

4. Ex his 48. ciuitatibus, tredecim primæ datæ sunt Sacerdotibus, reliquæ Leuitis (Iosue 21.) Porrò ex omnibus, sex erant ciuitates refugij, quarum nomina recensentur, Iosue 20. versu 7. Sunt autem hæ: 1. Cedes in Nepthali. 2. Sichem in Ephraim. 3. Hebron in Iuda. 4. Bosor in Ruben. 5. Ramoth in Galaad. 6. Gaulon in Manasse. Tres primæ citra, reliquæ trans Iordanem (Iosue 21. 7.) Omnes æquali spatio inter se distabant. (Deutteronom. 19. versu 7.) Omnes sitæ erant in montibus, vt eminus videri possent, excepta Bosor, quę sola erat in plano, sed tamen patente loco & conspicuo. Iosue 21. 8.

De

De Decimis.

5. Duo certa ſunt; duo controuerſa Primò certum eſt, Leuitas accepiſſe decimas fructuum, pecorum, & iumentorum à filijs Iſraël, id eſt, ab alijs tribubus, vt patet ex illo Num. 18. verſ. 21. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Secundò, certum eſt, Leuitas ex his decimis, quas accipiebant ab alijs tribubus, iterum dediſſe decimas ſummo Sacerdoti ſeu Pontifici, id eſt, dediſſe decimas decimarum, vt patet ex eodem capite verſu 26. Præcipe Leuitis, atque denuncia, Cùm acceperitis à filijs Iſraël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerre Domino, id eſt, decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum: tam de areis, quam de torcularibus & vniuerſis, quorum accipitis primitias, offerre Domino, & date Aaron Sacerdoti.

6. Prior controuerſia eſt, an Leuitæ communiter dicti, (id eſt, tota tribus Leui, vt completitur Leuitas propriè dictos, Sacerdotes & Pontificem;)an potius Leuitæ propriè dicti, quatenus diſtinguuntur à Sacerdotibus & Pontifice, acceperint decimas ab alijs tribubus filiorum Iſrael? Abulenſis & quidam alij intelligunt de Leuitis propriè dictis. Alij rectius cum Ioſepho de Leuitis communiter dictis, id eſt, de tota tribu Leui. Quod colligitur ex illo 2. Eſdræ 10. verſu trigeſimo ſeptimo: Ipſi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum noſtrorum. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum; Et Leuitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri. Igitur Leuitæ & Sacerdotes ſimul accipiebant decimas à filijs Iſrael; & poſtea Leuitæ ex

ſuis

suis decimis dabant alias decimas Sacerdoti seu Pontifici. Hinc iam oritur.

7. Posterior controuersia, an decimæ decimarum, quæ dabantur à Leuitis propriè dictis datæ fuerint soli Pontifici seu summo Sacerdoti, an generatim omnibus Sacerdotibus? Litanus & Abulensis putant soli Pontifici fuisse datas, ex illo Num. 18. 29. Date Aaron Sacerdoti. Iosephus non solùm Pontifici, sed generatim omnibus Sacerdotibus. Alij denique, soli quidem Pontifici, datas fuisse, sed ad custodiendum & distribuendum Sacerdotibus, iuxta illud Num. 18. 8. Locutus est Dominus ad Aaron, Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum, id est, vt custodias & distribuas filijs tuis Sacerdotibus: Sicut mox sequitur; Omnia, quæ sanctificantur à filijs Israel, tradidi tibi & filijs tuis, pro officio Sacerdotali legitima sempiterna. Quo etiam spectat illud, 2. Esdræ 10. 38 Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad Gazophylacium in domum thesauri, id est, vt custodiatur in Gazophylacio, & inde Sacerdotibus suo tempore distribuatur.

8. Igitur summa omnium hæc est. Tribus Leui, quæ tota erat diuino seruitio consecrata, accipiebat decimas ab alijs tribubus, quæ erant Laicæ. Porrò cùm in tribu Leui, essent tria hominum genera, nempe Leuitæ propriè dicti, Sacerdotes, & Pontifex; Leuitæ ex suis decimis, dabant iterum decimas Pontifici & Sacerdotibus, quia hi in altiori gradu & ordine seruiebant Deo, quam Leuitæ; ac proinde sicut plus honoris, sic etiam plus bonorum temporalium pro sustentatione illis debebatur.

9. Pro maiori explicatione eorum, quæ dicta sunt, notandum est. apud Hebræos fuisse tria decimarum genera. Primum earum, quas cæteras tribus singulis annis tenebantur dare tribui Leuiticæ, pro sustentatione. De his iam dictum est.

Alte-

Alterum earum, quas singuli Patresfamilias debebant quotannis apud se seruare, & postea cum Leuitis comedere in loco, vbi erat Tabernaculum vel templum, idque tribus anni temporibus, nempe in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum. De his intelligendum est illud Deut. 14. 22. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, vt in eo habitet nomen illius invocetur, &c. Tertium earum, quas tertio anno singuli separare debebant in proprijs domibus, & cum Leuitis, peregrinis, pupillis, & viduis communicare, iuxta illud Deut. 14. 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas. Venietque Leuites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur; vt benedicat tibi Dominus Deus tuus. Et Deut. 26. 12. Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Leuitę & aduenę, & pupillo, & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & saturentur. Igitur Leuitæ, tametsi omnium harum decimarum essent aliquo modo participes; tamen ex primo genere potissimum sustentabantur, vt dictum est.

De primitijs & primogenitis.

10. Soli Sacerdotes & Pontifex, non autem Leuitæ proprie dicti, accipiebant primitias & primogenita à filijs Israel. Porrò primitiæ soluebantur ter in anno, vt notant Liranus & alij. Primo in Paschate, de nouis speciis. Secundo in Pentecoste, de nouis panibus. Tertio in Septembri in festo Tabernaculorum, de nouis fructibus. Nam illis tribus anni temporibus, tenebantur

tur omnes mares venire ad locum quem elegerat Dominus (Deut. 16. 16.)

11. De primitijs ſpicarum, quæ in Paſchate offerebantur intelligitur illud Leuit. 23. 10. Cùm ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis; & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, vt acceptabile ſit pro vobis altero die Sabbathi, & ſanctificabit illum. Ritus autem offerendi deſcribitur Leuit. 2. 14. his verbis: Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, infundens ſupra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini eſt.

12. De primitijs panum, quæ offerebantur in Pentecoſte, intelligitur illud Leuit. 23. 15. Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obſtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offeretis ex omnibus habitaculis veſtris panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini, &c.

13. De primitijs nouorum fructuum, quæ offerebantur in Septembri, intelligitur illud Num. 18. 13. Vniuerſa frugum initia, quas gignit humus. & Domino deportantur, cedens in vſus tuos: qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. Et Deut. 18. 4. Dabunt Sacerdoti primitias frumenti, vini & olei. Et Deuter. 26. 2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, accederéque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, &c.

14. Eſt autem magna differentia inter hæc tria genera primitiarum. Primò, quia primitiæ, in Paſ-

in Paſchate erant ex ſolis ſpicis: in Pentecoſte, ex ſolis panibus: in Septembri, ex variis terræ fructibus. Secundò, primitiæ ſpicarum dabantur in ipſa collectione fructuum terræ, nec vlli licebat quicquam comedere de nouis fructibus, antequam primitię ſpicarum Deo oblatę eſſent.)Leuit. 23.14.)At primitiæ in Pentecoſte & Septembri, offerebantur ex fructibus iam collectis, & domi aſſeruatis. (D. Auguſt. q. 32. ſuper Numeros)Tertiò, primitiæ panum & fructuum cedebant integrè in vſum Sacerdotum; primitiæ verò ſpicarum non integrè. Nam vnus manipulus ſpicarum conſumebatur per modum ſacrificij; reliqui comedebantur à Sacerdotibus.

15. Porrò, ſicut primitiæ, ſic etiam Primogenita dabantur Pontifici & Sacerdotibus (Exodi 13. 2. & Num. 3. 13.) Erant autem tria genera Primogenitorum: alia hominum; alia pecorum mũdorum, alia immundorum. Igitur ſingula primogenita primi & tertij generis redimebantur pretio quinque Siclorum, quod dabatur Sacerdotibus. Primogenita ſecundi generis, per ſe illis offerebantur. (Num. 18. 15.)

De Oblatis.

16. Per oblata, generatim loquendo, intelliguntur ea, quæ à filijs Iſraël offerebantur Deo in vſum Sacerdotum. Erant autem triplicia. Nam quædam ex præcepto offerebantur, vt decimæ, primitiæ, & primogenita, de quibus iam dictum eſt. Alia ſponte & ex mera deuotione: alia denique ex voto. De hoc duplici genere multa habentur, Leuit. 22. 18. Leuit. 23. 38. Num. 15. 3. & alibi. Hæc iterum erant varia. Nam quilibet, vel ſponte, vel ex voto poterat offerre hoſtias, libamenta, panes, pecuniam, & quę ſimilia ſunt. Ita autem potiſſimum fiebat in tribus anui temporibus, vt ſupra dictum eſt, nempe in Paſ-

chate

obate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum. Tunc enim tenebantur venire omnes ad locum, vbi erat Templum vel Arca propitiatorij. (Deuter. 16. 16.)

17. Ex dictis colligi potest, quàm diuites fuerint Sacerdotes in veteri Testamento, præ alijs omnibus. Nam primò accipiebant decimas à duodecim tribubus Israel. Vbi notandum est, præter tribum Leui fuisse duodecim tribus filiorum Israel, nempe tribum Ruben, Simeon, Iuda, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Aser, Nepthali, Ephraim, Manasse, Beniamin. Igitur singulæ hæ tribus, diuidebant sua bona in decem partes, & vnam dabant tribui Leui, reliqui nouem sibi reseruatis. Quo fit, vt tribus Leui multò fuerit ditior, quàm cæteræ. Nam singulæ cęteratum habebant tantum nouem partes? Tribus autem Leui duodecim. Præter has decimas, quę communes erant omnibus in tribu Leui. Sacerdotes iterum accipiebant decimas decimarum à Leuitis; & sic non solum erant ditiores, quàm homines aliarum tribuum, sed etiam quàm Leuitæ. Deinde accedebant primitiæ, primogenita, oblata, quę si omnia computentur, in magnum thesauruin excrescere necesse erat reditus & possessiones Sacerdotum,

QVÆSTIO VII.

An Sacerdotes & Pontifex aliquando debuerint seruare continentiam ab vxoribus?

1. REspondeo, Iure diuino debebant seruare continentiam ab vxoribus, pro toto eo tempore, quo in tabernaculo vel templo, ministrabant. Hoc testantur scripturæ & Patres. Ex Scripturis habemus aliquot testimonia. Primum, Exodi 19. 22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, id est, absti-

neant ab vxoribus. In eo enim potissimum consistebat, sanctificatio, vt patet ex eodem capite. Nam v. 10. dicebat Deus ad Moysen: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque vestimenta sua. Moyses autem intellexit, illam sanctificationem de abstinentia ab vxoribus. Nam mox accedens ad populum, & explicans illi voluntatem Dei, Dixit. Estote parati in diem tertium & ne appropinquetis vxoribus vestris. Vbi notandum est, illam sanctificationem, seu abstinentiam ab vxoribus, de qua agitur citato capite, tam populo, quàm Sacerdotibus fuisse præceptam, quia tam populus, quàm Sacerdotes, debebant audire promulgationem legis Mosaicæ, & ad illam toto biduo se disponere per abstinentiam ab vxoribus, & per lotionem vestimentorum, & castrorum purgationem. Speciali tamen titulo præceptam fuisse Sacerdotibus, pro omni eo tempore, quo fungebantur officio Sacerdotali; siue orando pro populo, siue hostias & sacrificia offerendo, siue aliquod aliud sacrum ministerium exhibendo. Hoc enim significatur illis verbis: Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur. Nam tunc dicebantur accedere ad Dominum, quando vel erant oraturi, vel sacrificium oblaturi, vel aliquid simile facturi.

2. Secundum testimonium. 1. Reg. 21. 1. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem. Et infrà: Respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem Sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus. Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò via hæc pollutа est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Hic vides, non licuisse comedere panem sanctum, nisi præmissa sanctificatio-

ratione, quæ in duobus consistebat. Primò, ac potissimum, in abstinentia ab vxoribus. Secundò, in purificatione corporis, si quid maculæ in via contraxisset. Et certè si homines laici debebant hoc modo sanctificari, multo magis Sacerdotes; quippe qui ad maiorem puritatem, ratione status ac officij, obligabantur.

3. Quod sic vlterius declaro, Duo hic præcepta distinguenda sunt. Vnum, quo laici prohibebantur comedere panes sanctificatos, vel vt alibi vocantur panes propositionis. De quo Christus, Matth. 12. 3. Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant: Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi Sacerdotibus? Alterum, quo iubebantur abstinere ab vxoribus, qui manducaturi erant huiusmodi panes. De hoc quæstio est, quosnam obligauerit? Aliqui putant obligasse solos laicos. Ego contra, obligasse etiam Sacerdotes: Et quidem per se primario, Sacerdotes; Quod tripliciter probo. Primò, ex dictis, quia Sacerdotes tenebantur ad maiorem puritatem, quàm laici. Secundò, quia esus panum propositionis per se pertinebat ad solos Sacerdotes: Ergo etiam sanctificatio requisita ad esum istorum panum per se pertinebat ad solos Sacerdotes. Vnde sicut laici non poterant comedere huiusmodi panes, nisi tantum per accidẽs, & in casu necessitatis; ita non tenebantur se sanctificare, nisi tãtũ per accideus, & in casu necessitatis. Tertiò, quia si præceptum de abstinentia ab vxoribus pertinuisset ad solos laicos; vel fuisset illis datum à Deo, antequam Achimelech loquebatur cũ Dauide; vel ab ipso Achimelech, cùm iam loqueretur cũ ipso: Nõ prius, quia nusquam legimus in scriptura, quod Deus dederit tale præceptum pro solis laicis, antequam Achimelech loquebatur cum Dauide: Nec posterius, quia Achimelech, cùm dicebat Dauidi;

Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus; Non dabat nouum præceptum, sed supponebat iam ante à Deo datum esse. At non erat aliud à Deo datum, nisi quo Sacerdotes obligabantur abstinere ab vxoribus, quotiescumque fungerentur officio Sacerdotali, seu, quotiescumque aliquid sacri ministerij, siue orando, siue hostias offerendo, siue panes sanctos comedendo, peragerent. Itaque sensus Achimelech est hic: Vobis quidem non licet comedere panes sanctificatos, sed sacerdotibus: Si tamen vultis propter præsentem necessitatem comedere, cùm alij panes haberi non possunt; necesse est, vos ea puritate & sancti ate id prestare, quà Sacerdotes facere consueuerunt qui abstinent ab vxoribus, quotiescumque huiusmodi panes comesturi sunt. Idem ergo à vobis exigo.

4. Tertium testimonium 1. Paralip. 24. 7. Exiuit autem sors prima Ioarib, secunda Iedeia, tertia Harim, &c. vbi recensentur viginti quatuor familiæ Sacerdotum, qui per vices debebant ministrare in domo Domini, iuxta illud Luc. 1. 5. Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia. Et paulò post: Factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ, ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret. Constat autem Sacerdotes, quando ministrabant Domino secundùm vicem suam, debuisse multos dies perseuerare in ministerio. Nam ibidem versu 23. de Zacharia sic legimus: Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Plerique authores putant fuisse octo dies vnicuique destinatos, nempe à Sabbato vsque ad Sabbatum, vt Iosephus, Amarosius, Theophylactus, & alij apud Maldonatum in Commentario illius loci. Et colligitur ex illo 2. Paralip. 23. 8. Fecerunt ergo Leuitæ, & vniuersus Iuda iuxta omnia, quæ præceperat Ioiada Pon-

Pontifex: & assumpserunt singuli viros, qui sub se erant, & veniebant per ordinem Sabbati cum his, qui impleuerant Sabbatum, & egressuri erant.

5. Igitur Sacerdotes per octo dies, relictis domibus & vxoribus suis, permanebant in templo, & ibi ministrabant. Et quidem tempore sacrificij, erant in ea parte templi, vbi sacrificia offerebantur. Reliquo tempore, habitant in atrio templi, in domunculis ad id destinatis: quo non licebat vxores introducere. Vnde consequens est, debuisse à cohabitatione vxorum abstinere. De qua re sic scribit Siricius Papa in Epistola ad Himerium Tharaconensem Episcopum cap. 7. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quod in lege Moysis passim sacris ordinibus à Domino laxata sint frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet, dicens: Sancti estote, quia & ego Sanctus sum Dominus Deus vester? Cur etiam per oculà suis domibus anno vicis suæ, in templo habitare iussi sunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum vxoribus possent carnale exercere commercium, vt conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, explero deseruitionis suæ tempore, vxorius vsus solius succ ssionis causa, fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Leui, quisquam ad Dei ministerium, fuerat præceptus admitti. Tom. 1. concilior.

6. Idem, quod ad rem attinet, sentiunt alij Patres. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum longè post medium. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias afferebant, non solum in domibus suis, non erant, sed purificabantur ad tempus, ab vxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare, similia habet Innocentius 1. Epist. 3. ad

victricium Rhotomagensem Episcopum cap. 9. Et Beda in c. 1. Lucæ.

QVÆSTIO VIII.

Quanta fuerit auctoritas Pontificis apud populum?

1. REspondeo. Deus multis modis in veteri testamento voluit Pontifici astruere & conciliare authoritatem apud populum. Primò, publica & solemni consecratione, quæ præsente populo, durabat per septem dies. Secundò, unctione sacri olei, quod in nullum vsum prophanum adhiberi poterat. Tertiò, ornatu Pontificali, qui & gemmis pretiosis, & aurea lamina, & tintinnabulis aureis, & malis punicis, omnem alium ornatum, etiam regium longè superabat. Quartò, magna copia redituum annuorum, quæ quidem apud illum populum magni erat momenti. Quin ò, frequenti colloquio cum Deo, præsertim in rebus dubijs proponendis. Sextò, variis ac illustribus miraculis. Ex his aliqua recensebo.

2. Primum contigit in primo sacrificio, quod Aaron obtulit in suo Pontificatu. Tunc enim ignis de cœlo descendit, qui coram populo holocaustum deuorauit. Quo miraculo ostendit Deus, se approbare Sacerdotium seu Pontificatum Aaronis, Leuit. 9. 24. Apparuitq́ne gloria Domini omni multitudini: Et ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas. Vide simile exemplũ 3. Reg. 18.

3. Secundum contigit in seditione Core, Dathan, & Abiron, qui cum suis socijs viui à terra absorpti sunt, eo quod rebellionem excitassent contra Primatum Moysis & Aaronis. Num. 16. Ie-

16. 1. Ecce autem Core, & Dathan, atque Abiron surrexerunt contra Moysen, alijque filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore Concilij per nomina vocabantur. Cũque stetissent aduersum Moysen & Aaron, dixerũt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini? Et infra v. 31. Confestim dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum.

4. Tertium contigit in seditione populi, qui partim incendio perijt, partim per interceſſionem Aaronis saluatus est. Numer. 16. 14. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen & Aaron, sequenti die dicens. Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, & tumultus increscceret, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, post quam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen: Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Fuerunt autem, qui percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti absque his, qui perierunt in seditione Core.

5. Quartum contigit circa virgam Aaronis, hoc modo. Cùm populus sæpè murmuraret contra Aaronem Pontificem, & aliæ tribus filiorum Israël ægrè ferrent, quod ex sola tribu Leui

assumeretur Pontifex, qui alijs omnibus imperaret; voluit Deus in posterum præcauere huiusmodi murmura, & manifesto signo declarare, Aaronem legitimè à se electum esse, cui omnes tanquam summo Sacerdoti, deberent obsequi. Itaque mandauit Mosi; vt acciperet duodecim virgas à duodecim tribubus Israel, in quibus singulis notata essent singula nomina Tribuum Israel. Has cum virga Aaronis poneret in Tabernaculo Testimonij, & sequenti die iterum produceret, tunc enim fore, vt vna ex omnibus miraculosè floreret, & is deinceps, cuius virga floruisset, tanquam legitimus Pontifex haberetur. Factum est sequenti die, sola virga Aaronis inuenta est germinasse, turgentibus gemmis emisisse flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati videbantur. Ex quo omnes manifestè collegerunt, deinceps soli Aaroni, tanquam Pontifici à Deo electo & designato, non autem aliarum tribuum Principibus, in rebus ad Deum spectantibus, obtemperandum esse. Et ne posteros id lateret, mandauit Deus, vt virga Aaronis ad perpetuam rei memoriam, in Arca conseruaretur. Hæc omnia habentur Numer. 17. per totum.

QVÆSTIO IX.

Quæ vtilitas colligi possit ex dictis?

RESpondeo. Duplex vtilitas potest colligi. Vna ex parte Catholicorum. Altera ex parte aduersariorum. Nam Catholici ex ijs, quæ dicta sunt, sic possunt ratiocinari: Noster Pontifex multò excellentior & dignior est, quàm fuerit Pontifex veteris Testamenti: sicut anima perfectior est, quàm corpus; spiritus, quàm littera; imago, quàm vmbra; libertas quàm seruitus. Si ergo Hebræi, qui murmurabant contra

ra ſuum Pontificem, à Deo ſeuerè puniti ſunt; quid nobis fiet, ſi ſimiliter murmuremus? Et ſanè Apoſtolus de hac ipſa re nos præmonuit. 1. Corinth. 10. 1. his verbis: Nolo vos ignorare fratres quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus.) Sed non in plaribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt: neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexunt ludere: neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus CHRISTVM, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura cõtingebant illis: Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſęculorum deuenerunt.

2. Ex quibus verbis tria colligimus, quę maximè huc ſpectant. Primum eſt: quod omnes Hebræi magnis beneficijs à Deo affecti fuerint. Nam omnes miraculosè tranſierunt mare rubrum; omnes ſub nube protecti ſunt, omnes biberunt ex petra conſequente. Alterum quod multi illorum abuſi ſint beneficijs ſibi conceſſis, & in Deum exiterint: Et nominatim, quod aliqui murmurauerint contra Moyſen & Aaronem pontificem. Tertium, quod propterea grauiter à Deo puniti ſint. Hinc infert Apoſtolus, ſi nos Chriſtiani, qui maiora beneficia à Deo

conſecuti ſumus, peccemus in Deum, & nominatim, ſi murmuremus cõtra Pontificem, fore vt multò grauius à Deo puniamur. Et ſic eſt. Maneamus ergo coniuncti cum Pontifice & Epiſcopis, & ſequamur conſilium eiuſdem Apoſtoli, qui nos alibi ſic hortatur: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pernigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. (Hebræorum decimo tertio, verſu decimo tertio.)

3. Aduerſarij ſic poſſunt ratiocinari. Certè, ſi prudenter æſtimemus ea, quæ in veteri Teſtamento ſcripta ſunt de Pontifice Hebræorum, iniquè agimus cum Pontifice Romano, & in multis eum accuſamus, vbi innocens eſt. Primo, obijcimus illi arrogantiam, quod Pontificem Maximum ſe appellet. Et tamen conſtat hunc titulum conceſſum fuiſſe in veteri Teſtamento: & quidem ab ipſo Deo. Sic enim legimus Leuit. 21. v. 10. Dixit Dominus ad Moyſen: Pontifex, id eſt, Sacerdos Maximus, inter fratres ſuos caput ſuum non diſcooperiet. Qui titulus frequenter reperitur in libris Machabæorum; & in Euangelio ſub hac voce, Summus Sacerdos. Si ergo Pontifici in veteri Teſtamento licuit vſurpare hunc titulum, cur in nouo non liceat, præſertim cùm Pontifex in nouo maior & excellẽtior ſit, quàm fuerit in veteri?

4. Secundò, obijcimus illi pompam & ſplendorem in ornatu Pontificali. Et tamen ſcimus Pontificem in V. Teſtamento, ex peculiari Dei inſtitutione, geſtaſſe purpuram, hyacinthum, byſſum tinctam cinnabula aurea, & mala punica in ſacra veſte: Tiaram cum aurea lamina in capite: Duodecim gemmas in pectore: Duos lapides onychinos in humeris auro incluſos. An etiam Deum accuſabimus, qui hunc tam rarum & inſignem ornatum præſcripſit Pontifici in Synagoga

goga Hebræorum? Dicamus potius cum Dauide: Dilexi decorem domus tuæ. Nec vsurpemus illam Iudæ proditoris vocem: Vt quid perditio hęc?

5. Tertiò, obijcimus ipsi diuitias & potentiam temporalem. Sed immeritò. Nam constat, Pontificem in V. Testamento fuisse longè ditissimum: & quidem Deo sic disponente. Accipiebat decimas à duodecim Tribubus Israel: decimas decimarum à Leuiti: primitias, primogenita, & oblationes à toto populo. Sanè, si Pontifex Romanus singulis annis acciperet decimas omnium bonorum à toto orbe Christiano: si decimas decimarum ab Ecclesiasticis: & Religiosis: si denique primitias, primogenita, & oblationes omnium fidelium; fortasse ditior esset, quàm modò est. Si ergo Deus in veteri Testamento voluit Pontificem hoc modo locupletare; cur nos similem for unam inuidemus Pontifici in nouo Testamento?

6. Quartò, obijcimus illi nimiam authoritatem, qua vtitur in Ecclesia Christi, In quo similes sumus Hebræis, qui etiam suum Pontificem Aaronem hac calumnia onerabant. Sed Deus, & miraculo, & vltione testatus est, se velle, vt omnes Aaroni obediant. Quid ergo nos volumus & molimur? Singuli superiores esse non possumus. Vnum aliquem esse necesse est, qui a ijs præsit. Si is Pontifex est, quid molesti illi sumus? Nimirum hæc nostra cœcitas, & infirmitas est, vt semper aliquid carpamus Et certum est, si abrogato Pontifice, Rex aliquis vel Imperator præesset omnibus in Ecclesia, simili calumniæ fore obnoxium Igitur posthac moderatius agendum nobis est, & si verè Christiani esse volumus, ab omni iniqua criminatione abstinendum.

7. Quintò, obijcimus illi, quod glorietur de continua serie & successione suorum antecessorum

rum in Ecclesia Romana. At nihil culpæ hic est. Nam etiam in veteri Testamento successio Pontificum accuratissimè seruata est, & speciali miraculo à Deo confirmata. Voluit enim Deus successionem Pontificum manere in Tribu Leui, & nullo modo transire in alias tribus. Et in eius rei perpetuam memoriam effecit, vt virga solius Aaronis, non autem virgæ aliarum tribuum, repente floresceret, & frondescens in Arca Testamenti conseruaretur. Nos hic impingimus. Nam relicta legitima successione, quæ est in Ecclesia Romana, instituimus nouos ministros, qui alios ante se nullos agnoscunt. In quo similes sumus Ieroboamo, qui asciuit Sacerdotes, qui non erant de tribu ac successione Leui. (tertio Regum duodecimo)

8. Sextò obijcimus illi, sicut & alijs Sacerdotibus, cœlibatum; & vrgemus matrimonium. Sed profectò non alia de causa, quam vt nostram lasciuiam & turpitudinem excusemus. Alioqui, si ex veteri Testamento pensanda res est, sic argumentari oportebat: Pontifex & alij Sacerdotes Leuitici, propter sanctitatem officij, quod gerebant, tenebantur abstinere ab vsu matrimonij toto illo tempore, quo in tabernaculo vel templo ministrabant: At in Nouo Testamento maior est sanctitas officij Sacerdotalis; & in illo officio assiduè versandum illis est: Ergo magis debent colere castimoniam vitæ, quam in veteri Testamento factum est. At nos Lutherani & Caluinistæ id non facimus, quia nulla habita ratione ministerij nostri, manemus in perpetuo matrimonij vsu, non minus, quàm homines seculares: In qua re, nec Sacerdotes Leuiticos, nec Pontificios; sed nescio quos lasciuos ac petulos homines, videmur imitari. Præstaret sequi consilium Apostoli primæ Corinthiacæ septimo versu septimo: Volo omnes esse, sicut meipsum. Et octauo: Dico autem non nuptis: Bonum est illis, si

sic perg.

sic permanent, sicut & ego. Et rationem adiungit: Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Hoc salubertimum documentum nos contemnimus.

9. Septimo, obijcimus illi, quod tam ipse, quàm alij Episcopi & Sacerdotes, solemni ritu vngantur & consecrentur: Et per contemptum solemus appellare vnctos. Sed parum prudenter. Nam constat: Deum in veteri Testamento præcepisse, vt Pontifex in capite vngeretur oleo sanctæ vnctionis. Et similiter, vt tam Pontifex quàm Sacerdotes, & eorum vestimenta, sanguine & oleo aspergerentur. Et quanquam huiusmodi cæremoniæ, quæ in veteri Testamento seruatæ sunt, non necessariò seruari debeant in Nouo, tamen cùm à Deo introductæ & approbatæ fuerint; malæ esse non possunt. Cur ergo vel easdem, vel similes vsurpari non liceat, si bono fine & intentione adhibeantur? Alioquì, quid dicimus de vnctione Regum & Imperatorum in nouo Testamento? An & illa repudianda est? Nemo hoc dixerit. At si illam retinere fas est, cur in alteram tam iniqui sumus? Nostri Ministri, qui sine vnctione & consecratione, sine successione & vocatione, vel ex tonstrinis, vel ex popinis, in officia Ecclesiastica subitò sese ingerunt nullum possunt proferre exemplum ex tota antiquitate, quo tueri se queant.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Ministris Synagogæ extraordinarijs, qui erant Prophetæ.

DVplices erant Prophetæ in V. Testamento Aliqui veri, qui à Deo mittebantur. Alij falsi, qui à Deo non mittebantur. Priores vel vocabantur Prophetæ absolutæ; vel Prophetæ Domini; vel videntes. Posteriores, vel Pseudo prophetæ, vel Prophetæ Baal, vel Prophetæ locorum. Quibus annumerandæ sunt Pythonissæ. De his omnibus dicam hoc ordine. 1. Quinam fuerint veri Prophetæ in V. Testamento. 2. quod fuerit illorum officium 3. quomodo probauerint se à Deo missos. 4 an omnes de Christo prophetauerint. 5. quis illorum fuerit præcipuus, Moyses, an Ioannes Bapt ista. 6. quomodo intelligendum sit, quod Christus ait in Euangelio: Omnes Prophetæ vsque ad Ioannem. 7. quomodo verum sit, omnes Prophetas Hierosolymi occisos esse. 8. quinam fuerint falsi Prophetæ. 9. quomodo veri à falsis discernebantur. 10. quid de Pythonissis sentiendum 11. an etiam in nouo Testamento sint veri & falsi Prophetę.

QVÆSTIO I.

Quinam fuerint veri Prophetæ in V. Testamento?

1. REspondeo. Hi fuerunt præcipui,
1. Moyses. Numer. 12. 6. & Deuteron. 34. 10.
2. Iosue. Ecclesiastici 46. 1.
3. Samuel. 1. Reg. 9. 6.

4. Da-

4. Dauid.
5. Gad. 1. Reg. 22. 5.
6. Nathan. 2. Reg. 7. 2. & 2. Paralip. 9. 29.
7. Alias Silonites. 3. Reg. 11. 29. & Paralip. 9. 29.
8. Addo. 2. Paralip. 9. 29.
9. Michæas, filius Iemia. 3. Reg. 22. 8.
10. Helias Thesbites. 3 Reg 17. 1.
11. Heliſæus. 3. Reg 19 6.

Deinde quatuor illi, qui vocantur maiores Prophetæ, quorum nomina ſunt hæc. 1. Iſaias filius Amos. 2. Ieremias, filius Helciæ, de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathod. 3 Ezechiel, filius Buſi Sacerdos. 4. Daniel qui & Baithaſar. Et alij duodecim qui vocantur minores Prophetæ, vt Oſee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas Moraſtites, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

2 Quibus addi poſſunt tres alij, qui vixerunt ſub finem veteris, & initium noui Teſtamenti. Primus Ioannnes Baptiſta, de quo dictum eſt Lucæ 1. 76. Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Secundus, Zacharias, pater Ioannis Baptiſtæ, de quo ibidem v. 67. Et Zacharias pater illius repletus eſt Spiritu ſancto. & prophetauit dicens: Benedictus, &c. Tertius, Simeon, de quo Luc. 2. 26. Reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini.

3. Præter hos fuerunt etiam aliquot fœminæ Prophetiſſæ, vt Maria ſoror Moyſis, (Exod. 15. 20.) Et Debora vxor Lapideth, (Iudic. 4. 4) Et Holda, vxor Stellum filij Thecuæ, (4 Reg 22. 14.) & Elizabeth, mater Ioannis Baptiſtæ (Luc. 1. 41.) & Anna, filia Phanuel de tribu Aſer, (Luc. 2. 36.) & quatuor filiæ Philippi Diaconi, (Act. 21. 9.) Quibus omnibus præferenda eſt Beata Dei genitrix Maria, quæ prophetauit dicens: Beatam me dicent omnes generationes: non

non gentilium, Turcarum, Iudæorum; sed verè fidelium.

4. Quæres: An non fuerint plures Prophetæ veteris Testamenti, quàm qui iam enumerati sunt? Videntur fuisse plures. Nam 1. Reg. 10. 5. legimus, gregem Prophetarum iuisse obuiam Sauli, postquam à Samuele in Regem vnctus est. Respondeo: Nomen Prophetæ sumitur varijs modis in Scriptura. Primò pro ijs qui futura prædicunt. Et hoc sensu nos agimus hic de Prophetis. Eorum officia paulò post explicabimus. Secundò, pro ijs, qui ex peculiari motione Spiritus sancti, Deum laudant in citharis, Psalterijs, & cimbalis. Sic sumitur loco citato, vbi Samuel ait ad Saulem: Obuiam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes (id est Deum laudantes) & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, (id est, Deum pariter laudabis.) Sic etiam sumitur Numer. 11. 25. vbi de septuaginta senioribus, qui Moysi adiuncti erant, ita legimus: Dumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, id est, Dei laudes celebrarunt. Et 1. Reg. 19. 20. Qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cepernnt & ipsi, id est, Deum laudare. Ita Emanuel Sa ibid. Abulensis & Cornelius Num. 11. 23. Tertiò, pro ijs, qui diuino Spiritu, vel Scripturam explicant, vel ad pietatem exhortantur. Sic sumitur 1. Cor. 14. 3. Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & consolationem.

QVÆSTIO II.

Quod erat officium Prophetarum in veteri Testamento?

1. REspondeo. Primarium officium erat docere, instruere & reformare populum in cultu veri Dei; eumque hoc modo ad Christi aduentũ disponere. Et quidẽ Moyses docuit populum, quando dedit & explicauit illi legem Decalogi, & Deuteronomij. Reliqui Prophetæ, qui diuersis temporibus secuti sunt, reformarunt populum; & aberrantem à lege reuocarunt in viam. Quo spectat illud Ioan. 4, 37. Alius est, qui seminat, & alius est, qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Vbi Christus loquitur de Prophetis & Apostolis. Prophetæ seminauerunt, Apostoli messuerunt. Prophetæ laborauerunt; Apostoli eorum laboribus fruiti sunt. Quomodo hoc? quia Prophetæ, antequam venirent Apostoli, multum laborarunt in erudiendo populo, & eorum corda ad Christum recipiendum præpararunt. Quod si non fecissent, plus laborandum fuisset Apostolis. Vide Origenem, Irenæum, Augustinum, Chrysostomum, & alios apud Maldonatum in illum locum.

2. Huic primario officio annexa erant tria alia. Primum est, arguere, reprehendere, & obiurgare eos, qui vel à vero Dei cultu, vel ab aliqua alia diuina lege recederent. Sic Samuel reprehendit Saulem Regem, eo quod non obediuisset voci Dómini. (1. Reg. 15. 19.) Sic Nathan reprehendit Dauidem propter adulterium & homicidium (2 Reg. 12. 9.) Sic Helias populum claudicantem in duas partes. (3. Regum 18. 21.) Daniel duos senes, quod falso accusassent Susan-

Susannam de adulterio. (Dan 13. 52.) & ita deinceps.

3. Alterum est, prædicere futura. Quod fiebat dupliciter. Nam Prophetæ aliquando prędicebant futura bona, ad populi consolationem, vt aduentum Messiæ, & alia mysteria Redemptionis humani generis Isa. 7. 14. Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Et cap. 11. 1. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et cap. 14. 1. propè est, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob. Et cap 40. 1. Consolamini, consolamini, populę meus, dicit Deus vester. Aliquando prædicebant & minabantur futura mala, quæ imminebant populo propter sua peccata, vt famem, pestem, bellum, captiuitatem. Ierem. 1. 14. Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. Et cap. 5. 15. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus. Et comedet segetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos & filias tuas: comedet gregem tuum & armenta tua: conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam. Et cap. 19. 3. Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnes, qui audierint illam, tinniant aures eius, eo quod dereliquerunt me. Et infrà vers. 11. Sic conteram populum iustum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vlt a restaurari.

4. Tertium est, secreta seu occulta cognoscere. Sic Samuel sciebat omnia, quæ erant in corde Saulis quærentis asinas patris sui. (1. Regum 9. 19) sic Helisæus sciebat contra omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata. (4. Reg. 5. 25) Itemque omnia secreta consilia Regis Syriæ. (4. Reg. 6 12.) sic Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris. (Dan. 2. 26.)

Hinc

Hinc obiter colligo, mirum non esse, si Sancti in cœlo sciant ea, quę apud nos geruntur.

QVÆSTIO III.

Quomodo Prophetæ probabant se à Deo missos esse?

1. NEcesse erat, vt Prophetæ, qui dicebant, se immediatè à Deo missos esse, ad reformandum & arguendum populum, certis ac euidentibus signis cõfirmarent suam missionem; alioqui populus nõ credidisset ipsis, sed pro impostoribus habuisset. Quod fatetur Moyses de seipso. Cùm enim Deus dixisset illi, Exodi 3. 10. Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto, Respondit Moyses cap. 4. 1 Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

2. Dupliciter autem probabant, se â Deo missos esse. Primò, per miracula. Sic probauit Moyses, quando virgam in serpentem mutauit, aquas Ægypti in sanguinem conuertit. & alia prodigia patrauit, quæ plagæ Ægypti appellari solent. Sic Samuel, sic Helisæus, sic alij Prophetæ plures. Luculentum habemus exemplum in Helia, quod est huiusmodi: Tempore Achab Regis fuit disceptatio inter Heliam & Prophetas Baal. Tam hi, quàm ille, legitimè se missos affirmabant. Quid factum? Helias conuocato vniuerso populo, qui in duas partes claudicabat, non alio argumento vsus est, quàm quod diceret, se suam missionem euidenti miraculo confirmare posse; Prophetas Baal non posse. Quod etiam contigit hoc modo: Duo boues in frusta concisi, & super ligna positi sunt in holocaustum: alter pro Helia; alter pro Prophetis Baal. Hi inuocato nomine Dei sui, non potuerunt de cœlo impetrare ignem, quo holocaustum

ſtum conſumeretur. Helias inuocato Deo Iſraël, impetrauit. Itaque holocauſtum ab eo poſitum, igne de cælo miſſo, conſumptum eſt. Quo miraculo permotus populus Heliam tanquam à Deo miſſum acceptauit: & Prophetæ Baal veluti impoſtores, interfecti ſunt. (3. Reg. 18. 20.) Omitto ſimilia exẽpla.

3. Secundò, probabant ſuam miſſionem per veracem prædictionem eorum quæ breui erant euentura. Sic Helias prædixit, tribus proximis annis non fore rorem & pluuiam (3. Reg. 17. 1.) Sic Michæas, Regem Achab infeliciter pugnarum in Ramoth Galaad. (3. Regum 22. v. 17.) ſic Heliſæus, poſt vnum diem fore tantam annonæ vtilitatem, vt duo modij hordei emantur vno ſtatere (4. Reg. 7. 1.) Sic Iſaias, proximo anno fore abundantiam frugum; ſequenti pomorum copiam; tertiò, plenam meſſem & vindemiam. (cap. 37. 30.) Sic Hieremias, breui futurum, vt Nabuchodonoſor Rex vaſtaturus ſit terram Ægypti (cap. 46. 13.) Et quia hæc omnia euenerunt, eo modo, quo ab illis Prophetis dicta ſunt; ideò magnam authoritatem ſibi conciliarunt. Sicut è contrario, quia non eueniebant ea, quæ à falſis Prophetis prædicebantur, nulla illis fides habebatur. Et hoc ſigno diſcernendum eſſe inter veros & falſos Prophetas, conſtat ex illo Deut. 18. 21. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

4. Vnde D. Hieronymus in cap. 37. Iſaiæ, ſuper illud: Tibi autem hoc erit ſignum, ſic ſcribit: Idcirco vel maximè Prophetæ apud populum habebant fidem, quia non ſolum de his, quæ multa poſt ſæcula futura erant, ſed etiam quæ in conti-

nenti,

nenti, & post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant: vt quod intra biennium Rex Assyrius interiret, & vrbi Ierusalem securitas redderetur.

5. Et Rupertus in Prologo in Oseam: Cùm Prophetæ mitterentur ad pronunciandum de longinquo Christi aduentu, simul etiam de propinquo datum vel iniustum est illis, prophetare illud, in quo citius veraces comprobari possent, scilicet Imminentem ab Assyrijs Israëli captiuitatem; itemque instantem Iudæ quoque Babylonis trasmigrationem, & præterea nonnulla etiam minora, quæ litteris eorum legimus inserta. Cùm igitur citò euenisset captiuitas seu transmigratio illa sicut per illos veritas prophetica prædixerat, palam constitit, quod veraciter fuissent locuti in nomine Domini, & quod Dominus misisset eos. Atque ita completa Prophetiæ pars, illud quoque, quod reliquum vel maximum erat de promissione & aduentu Messiæ, verum fore conuincebat.

QVÆSTIO IV.

An omnes Prophetæ veteris Testamenti de Christo Prophetauerint?

1. REspondeo. Omnes vel clarè, vel obscurè de Christo vaticinati sunt. Quod generatim colligi potest ex duobus scripturæ testimonijs. Vnum est, Luc. 1. 68. Benedictus Dominus Deus Israël. qui visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius, id est, Deus prædixit per omnes Prophetas, qui fuerunt ab initio mundi, venturum Redemptorem ex familia Dauid. Alterum. Luc. 24. 27. Et incipiens (Christus) à Moyse & omnibus

nibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

2. Speciatim verò sic ostendi Prophetia dupliciter fieri solet, 1. verbis. 2. signis vel figuris, Igitur aliqui Prophetæ verbis de Christo vaticinati sunt: aliqui signis & figuris. Priori modo. Moyses. Deut. 18. 15. Propheram de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. (Vide Act. 3. 22.) Danid, Psal. 15. 10. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. (Act. 2, 31.) Et Psal. 95. 13. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Et Psal. 96. 8 Adorate, eum omnes Angeli eius. (Hebr. 1. 6.) Et Psal 109. 1. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum Matth. 22. 42.

3. Isaias cap. 7. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel (Luc. 1. 31.) Et cap. 33. 1. Deus ipse eniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Et cap. 44. 3. Effundam aquas super sitientem & fluentem super aridam. Et cap. 5. 34. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et infrà: Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Et infrà: cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Luc. 22. 37.

4. Ieremias cap. 23. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen istum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et cap. 31. 22. Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circumdabit virum.

5. Ezechiel c. 33. 7. Et operiam, cum extinctus fueris,

fueris, cœlum, & nigrescere faciam stellas eius: solem aubetegam, & luna non dabit lumen suum.

6. Daniel cap. 9 24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam; vt consumeretur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & implcatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.

9. Osee cap. 6. 3. Viuificabit nos, post duos dies, in die tertia suscitabit nos, Et cap. 11. 1. Ex Ægypto vocaui filium meum Et cap. 13. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne.

8. Ioel cap 2. 28 Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.

9. Amos 9. 11. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo. Act. 15. 16.

10. Michæas c. 5. 2. Et tu Bethleem Ephrata paruulus in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æterni a:is Matth. 2. 6.) Et c. 6. 7. Filius contumeliam facit Patri, & filia cõsurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius, Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Saluatorem meum. Matth. 10. 35.

11. Nahum cap. 1. 15. Ecce super montes pedes Euangelizantis & annunciantis pacem. (Rom. 10. 15.)

12. Habacuc cap. 2. 3. Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.

13. Sophronius cap. 3. 14 Lauda filia Sion? iubila

iubila Iſraël, lætare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum vltra. Et ibidem Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit.

14. Agæus cap. 2. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cœlum & terram, & mare & aridam. Et mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus.

15. Zacharias cap. 2. 10. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus Et cap. 3. 9. Ecce ego adducam ſeruum meum orientem. Et cap. 12. Ecce vir, oriens nomen eius. Et cap. 8. 3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Ieruſalem: & vocabitur Ieruſalem ciuitas veritas. Et ca. 9. 9. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinę. Et cap. 11. 12. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et cap. 12. 10. Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt. Et cap. 13. 7. Percute paſtorem, & diſpergentur oues.

16. Malachias cap. 1. 11. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et cap. 3. 1. Ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Eſt ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis Et cap. 4. 2. Orietur vobis, timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ.

17. Poſteriori modo nempè per ſigna & figuras, multi prophetæ de Chriſto vatiçinati ſunt.

Primò,

Primò, Ionas cap. 2. 1. Erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Secundò omnes illi, qui prædixerunt Iudæis liberationem ex captiuitate Babylonica; quæ erat figura liberationis totius mundi, qua Chriſtus nos erat liberaturus à captiui ate peccati. Tertiò omnes illi qui expreſſerunt typum vel figuram Chriſti, ſiue quoad incarnationem, ſiue quoad mortem & paſſionem, ſiue quoad reſurrectionem, ſiue quoad alia myſteria. De quibus videri poteſt Proſper in libro de Prædictionibus.

QVÆSTIO V.

Quis fuerit præcipuus omnium Prophetarum Veteris Teſtamenti?

1. ALiqui Moyſen, alij Ioannem Baptiſtam præferuut Vterque enim habet peculiare teſtimoninm ſuæ eminentiæ. Moyſes quidem. Num. 12. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt Ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Ioannis verò, Matth. 11. verſu 9. vbi Chriſtus de illo loquitur: ſed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, Et pluſquàm Prophetam.

2. Reſpondeo· Moyſes fuit præcipuus, non quidem ſimpliciter & omni modo, ſed in duplici ſenſu. Primò, quia Deus loquebatur illi facie ad faciem, ſicut amicus amicò loquitur; reliquis non item, vt conſtat ex teſtimonio allato. Et hæc comparatio procedit de Moyſe & alijs Prophetis, excludendo Ioannem Baptiſtam, iuxta illud Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Secundò, quia, in multis geſſit typum ſeu figu-

tam Christi, vt prolixè explicatum est, cap. 4. parag. 7.

3. Nihilominus aliqui alij Prophetæ, ex alia parte, præferendi sunt Moysi. Nam Isaias plura de Christo in particulari vaticinatus est, quàm Moyses Ioannes Baptista non venturum, vt Moyses, sed præsentem annunciauit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nota: Tria de Ioanne Baptista legimus. 1. quod fuerit Propheta. 2. quod non fuerit Propheta. 3. quod fuerit plus quam Propheta. 4 Primum asseruit Zacharias pater eius, Luc. 1. 76. Et tu puer, Propheta altissimi vocaberis. Alterum asseruit ipse. Cùm enim interrogaretur à Saterdotibus: Propheta es tu? Respondit: Non sum. Tertium asseruit Christus: Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Quæ omnia bene inter se cohærent: Fuit enim Propheta, quia spiritu Prophetico agnouit Christum, nemine indicante. Non fuit Propheta, quia non erat Propheta more aliorum, qui de Christo longè post venturo vaticinabantur. Fuit plus quàm Propheta, quia reliqui Prophetæ ad homines; Ioannes ad ipsum Christum missus est. Vide peculiari modo de illo prædixit Deus per Malachiam cap. 3. 1. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Est enim Angelus, non qualiscumque, sed missus ante faciem Christi; quod de alijs Prophetis dici non potest. Vide Maldonatum in ca. 11. Matth. v. 10.

QVAESTIO VI.

Quomodo intelligendum sit illud Christi omnes Prophetæ vsque ad Ioannem?

1. RAtio dubitandi est, quia etiam post Ioannem fuerunt aliqui Prophetæ, vt Ioannes Euse-

Euangelista, paulus, Agabus, & alij, de quibus quæstione vndecima dicendum est. Respondeo. Verba Christi sunt hæc, Matth. 11. 13. Omnes enim prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Quorum verborum varia est explicatio: sed duæ præcæteris probabiliores. Vna, Christum loqui de omnibus prophetis veteris testamenti, qui Ioannem & Christum præcesserunt. Vt hic sit sensus: Omnes prophetæ veteris Testamenti prædixerunt Christum venturum: Ioannes fuit primus, qui præsentem annunciauit: ita Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius. Altera legem & prophetas vsque ad Ioannem prophetasse, id est, viguisse, vim habuisse, officio suo functos esse, durasse. Ita Maldonatus. Et hoc colligit ex antitheto, quod sequitur: A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. Vbi regnum cœlorum opponitur legi & prophetis, id est, nouum Testamentum opponitur veteri Vt hic sit sensus: Lex & Prophetæ viguerunt vsque ad Ioannem Baptistam: At à tempore Ioannis Baptistæ incœpit Euangelium, seu nouum Testamentum.

2. Dices: Lex duraui t etiam post Ioannem Baptistam, quia non fuit abrogata, nisi per mortem Christi. Respondeo. illa particula, vsque ad Ioannem, non significat, vsque ad natiui tatem Ioannis quasi tunc lex abtogata sit: sed vsque ad prædicationem Ioannis, quia tunc cœpit paulatim deficere sicut tenebræ paulatim deficiunt, quando aurora, accedit. Verum tamen est, non fuisse penitus abrogatam nisi per mortem Christi, vt cap. 6. quæst. 2. §. 6. dictum est.

QVÆSTIO VII.

An verum sit, omnes Prophetas Hierosolymis occisos esse?

1. RAtio dubitandi sumitur ex verbis Christi, vt Luc. 13. 33 Non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Græce est, οὐκ ἐνδέχεται id est, non contingit, seu impossibile est, occidi aliquem Prophetam extra Ierusalem Quod tamen non videtur verum. Primò, quia Ieremias in Ægypto, Ezechiel in Chaldæa occisi sunt, vt testatur Epiphanius in eorum vitis, & Dorotheus in synopsi. Secundò, multi Prophetę occisi sunt à Iesabel in Samaria, vt habetur 3. Reg. 19. 10.

2. Respondeo. Christus non vult significare, nunquam omnino contingere, vt aliquis Propheta extra Ierusalem occidatur. (quia hoc constat falsum esse.) sed rarò contingere. Vtitur autem hyperbole, vt exaggeret ingratitudinem illius ciuitatis, quæ non agnoscebat beneficium à Prophetis acceptum, sed eos, vbicumque poterat, persequebatur & occidebat. Et hinc colligit Christus, se etiam ibi occidendum, quod & factum est.

3. Hæc expositio patet ex ipso textu, qui sic habet: Accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi; Ecce ejicio dæmonia & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare; quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, &c. Hęc facta sunt in Galilęa, vbi Herodes dominabatur. Distabat autem Galilæa, à Ierusalem itinere trium die-

dierum. Et propterea dixit Christus; Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, nempè vt Galilęa veniam in Ierusalem; quia communiter fit, vt Prophetæ non alibi, quàm in Ierusalem moriantur. Itaque sensus verborum Christi consistit in his duobus. 1. non est in potestate Herodis, vt antic pet tempus moriendi, quod mihi à Deo constitutum est. 2. Ibo hinc in Ierusalem, vt ibi occidar, vbi omnes ferè Prophetæ occisi sunt.

QVÆSTIO VIII.

Quinam fuerint falsi Prophetæ in veteri Testamento?

1. REspondeo. Dupiices erant falsi Prophetæ apud Iudæos, vt patet Ieremiæ 23. 13. Alij in Samaria qui prophetabant in Baal alij in Ierusalem, qui quidem dicebant se prophetare in vero Deo, & ab eo missos esse, sed mentiebantur Priores erant idololatræ, posteriores non item. De prioribus est frequens mentio in libris Regum, præsertim 3. Reg 18. v. 19. Vbi Elias interfecit quadringentos & quinquaginta Prophetas Baal, & quadringentos Prophetas lucorum, qui comedebant de mensa Izabel. Item 3. Reg. 22. 6. Vbi quadringenti Prophetæ prædi erunt Regi Israël victoriam contra Ramoth Galaad. Item 4 Reg 10. 19. Vbi omnes Prophetæ Baal, qui tunc erant, à Iehu Rege interfecti sunt in templo Baal. De posterioribus fit mentio in libris Prophetarum, vt Ierem. 14. 14. Dixit Dominus ad me: Falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui propherant vobis. Et cap. 23. v. 21. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non

loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Et cap. 27. versu 15. Ipsi prophetant in nomine meo mendacio r Et Ezechiel. 13.6. Vident vana, & diuinant mẽdacium, dicentes: Ait Dominus: cùm Dominus nõ miserit eos, &c.

2. Ex priori genere fuit Sedecias, filius Chanaana, qui percussit Michęam in maxillam. (3 Reg. 22. versu 24.) Ex posteriori Hananias, filius Azur, Prophe a de Gabaon (Ierem. 28. versu 1.) Item Achab, filius Coliæ, Sedecias filius Maasię, & Semeias Nahe anites, qui cum populo Indęorum in Babylonem erant translati, & falso prophetabãt, brevi fore finem captiuitatis. (Ierem. 29. versu 21. & sequentibus.) Item, senex quidam Prophera in Bethel, qui decepit alium Prophetam varicinantem contra altare, quod erexerat Ieroboam. 3. Reg. 13. 11.

3. Hi, & similes falsi Prophetæ semper ferè contradicebant veris Propheris. Vt quando veri prædicebant famem, bellum, captiuitatem, & alias pœnas à Deo infligendas propter peccata populi; tunc falsi prædicebant fertilitatem, pacem, & prosperitatem, vt patet Ierem. 14. versu 13. Et dixi, Domine Deus: Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis; sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me; Falso Prophetæ varicinantur in nomine meo. Huius rei multa occurrunt exempla. Sedecias, qui erat vnus ex Prophetis Baal, contradicebat Micheæ, qui erat Propheta Domini. Ille asserebat Regem Israel feliciter expugnaturum Ramoth Galaad, Quod negabat Michæas. (3. Reg. 22. versu 11.) Item, Hananias contradicebat Ieremiæ. Ille asserebat, Vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor, post biennium remittenda esse in Ierusalem; Ieremias negabat id tam cito futurum. (Ierem. 28. 2.) Item Achab, Sedecias, & Semeias contradicebant eidem Ieremię. illi dicebant, popu-

lum

sum rediturum ex captiuitate Babylonica: hic septuaginta annis mansurum in captiuitate, Ierem 29. 21.

4. Quæres, quæ fuerit causa huius contradictionis? Respondeo. Fuit hæc. Veri Prophetæ quærebant salutem populi Iudæorum; ideoque minabantur captiuitates & afflictiones, vt populum reuocarent à peccatis, & per pœnitentiam Deo reconciliarent. At falsi prophetæ studebant proprio commodo & vtilitati; ac proinde, vt populo placerent, & ab eo munera acciperent, promittebant pacem, prosperitatem, & rerum omnium abundantiam: & sic miserè decipiebant populum. Hoc conqueritur Deus Isaiæ 32. 1. populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Populeus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Et Ezechielis. 3. versu 10. Deceperunt populum meum dicentes. pax & non est pax. Et infrà versu 19. Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas. Et cap. 22. versu 25. Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapientesque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt.

5. Dices; Præter falsos prophetas, qui erant in Ierusalem & Samaria, fuerunt etiam alij, vt Balaam, Numer. 22. 5. & 2. petri 2. 15. Respondeo. Nos hic tantum agimus de illis, qui fuerunt apud Iudæos, siue fuerint in Iudæa, siue in Samaria. Inter eos non fuit Balaam. An autem Balaam, quem constat fuisse gentilem, fuerit propheta Dei, an Diaboli, quæstio est. Eugubinus putat fuisse prophetam Dei primò, quia rogatus à Balac Rege Moabitarum, vt malediceret populo Israël, voluit prius consulere Deum, qui etiam suggessit illi, quid faciendum esset (Numeri vigesimo tertio, versu tertio:) Secundò, quia Hebræi tradunt fuisse amicum Iob (qui in libro Iob

vocatus sit Eliu) & initio quidem fuisse virum Sanctum & Prophetam Dei; sed postea propter inobedientiam & auaritiam, factum esse malum. Quod posterius etiam testatur Petrus loco citato. Nec obstat, quod fuerit gentilis, quia multi alij gentiles à Deo consecuti sunt donum Prophetiæ; vt Mercurius Trimegistus, & Sibillę apud Ægyptios; Zoroastres apud Persas: Orpheus apud Græcos; Abaris apud Hyperboreos; Zamolxis apud Getas.

6. Alij docent non Dei, sed Diaboli Prophetam fuisse; quod videtur probabilius. Primò, quia vocatur Ariolus (Num. 22. 5.) Et ob hanc causam magni authores aiunt, fuisse magum, vt Cyrillus lib. 6. de adoratione, Theodoretus qu. 40. Aug. serm. 103, de tempore, & alij. Secundò, quia quæsiuit augurium. (Num. 24. 1.) & ad illud captandum septem aras exstruxit ipsi Baal, eique victimas immolabat (Num. 22. 41. & cap. 23. 1.) Tertiò quia sicut alijs sæpè maledixerat, ita etiam rogatus à Balac Rege Moabitarum, voluit maledicere populo Israel; & in hunc finem captauit auguria & vaticinia Diaboli At Deus præueniens, occurrit illi, & quasi inuitum coegit populo Israelis benedicere, quod alioqui non erat facturus. Quartò, nec verum est, Balaam fuisse Eliu amicum Iob. Nam Eliu fuit Idumæus seu ex regione Ansiridis, vt dicunt septuaginta interpretes, cap 32. Iob v. 2. Balaam verò fuit ex Mesopotamia, vt patet Deut. 23. versu 4. vide Cornelium in cap. 22. Numerorum versu 5.

CAPVT

CAPVT IX.

Quomodo falsi Prophetæ à veris discernebantur?

1. REspondeo, Duobus modis, vt colligitur ex ijs, quæ quæst. 3. dicta sunt. Primò, per virtutem miraculorum. Nam veri Prophetæ, vt probarent se missos esse à Deo, suam missionem miraculis confirmabant. At falsi non poterant id præstare, vt patet exemplo Prophetarum Baal, qui non potetant ignem de cœlo impetrare, ad comburendum sacrificium, quod offerebant; Elias autem impetrauit. Secundò, per veraces prædictiones. Nam veri prophetæ prædicebant aliqua, quæ statim fiebant; & sic fidem & authoritatem astruebant sibi apud populum. At falsi falsas habebant prædictiones. Et ex hoc capite populus iubebatur discere, an quinuis qui Prophetam se dicebat, missus esset à Deo, necne, vt habetur Deut. decimo octauo, versu vigesimo.

2. Quod confirmari potest variis exemplis. Nam Prophetæ Baal prælixerunt Regi Israel; Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere & tradet Dominus in manus Regis. 3. Regum 22. versu 12. Non est factum. Similiter Hananias prædixit. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Contriuit iugum Regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabnchodonosor Rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem. Ierem 28. v. 2. Neque hoc factum. Idem dici potest de Achab, Sedecia, Semeia, & alijs, & quorum prædictiones cõstat fuisse falsas.

QVÆSTIO X.

Quid de Pythonibus & Pythonissis sentiendum?

1. DE illis extant aliqua Scripturæ testimonia, quę hic recensebo. Primum est. Deuter. 18. 9 Quando ingressus, fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue, ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos scisciretur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos, aut quæ rat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.

2. Secundum est 1. Regum 28. 3 Saul abstulit magos, & ariolos de terra. Cõgregatiq́ue sunt Philisthijm. Et vidit Saul castra Philisthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis. Consuluitq́ue Dominum & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. Dixitq́ue Saul seruis suis: Quęrite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier Pythonem habens in Endor. Mutauit ergo habitum suum: vestituſq́ est alijs vestimentis, & abijt ipse, & duo viri cum eo, veneruntq́; ad mulierem nocte & ait illis: Diuina mihi in Pythone, & suscita mihi, quem dixero tibi.

3. Tertium est 4. Reg. 21. 6. Manasses traduxit filium suum per ignem; & ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit Pythones, & aruspices multiplicauit. Quartum est 4. Reg. 23. 24. Sed & Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant

rant in terra Iuda & Ierusalem, abstulit Iosias.

Quintum, Isaiæ 6. 19. Cùm dixerint ad vos; Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui stridٍent in incantationibus suis: Nunquid nõ populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis.

Sextum, Isaiæ 19. 3. Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, & consilium eius prȩcipitabo: Et interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos, & Pythones, & ariolos.

Septimum, Isaiæ 29. 4 Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: Et erit quasi Pythonis de terra vxor tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.

Octauum, Act 16. 16 Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem, obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat, dicẽs: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui enunciant vobis viam salutis: Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus & conuersus spiritui dixit, Prȩcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora.

4. Circa hæc testimonia solent multa disputari. 1. quid sit lustrare filium, vel filiam per ignem. 2. Qui dicãtur Arioli Aruspices, Pythones diuini, incantatores. 3. Quid somnium & augurium. 4 Quid sit quȩrere veritatem à mortuis. Et quȩ similia sunt. Nobis sufficiat explicare, quod proposui; nempe, qui sint Pythones & Pythonissȩ. Nihil dicam de etymologia nominis, sed de vsu Vius obtinuit, vt illi dicantur Pythones, qui ex instinctu dæmonis diuinant de rebus futuris. Et quidem, si viri sunt, vocantur Pythones, Pythonici, Pithij: si fœminȩ, Pythonissæ Pythiȩ, Pythonem aut spiritum Pythonis habentes. vt hoc melius intelligatur, notanda sunt, quȩ sequuntur.

5. Prædictio futurorum, quatenus excedit captum humanum, duplex est. Vna fit ex in-

ſtinctu Dei; altera ex inſtinctu Dæmonis. Prior ordinariè vocatur Prophetia, à qua Prophetæ: poſterior, diuinatio, â qua diuini dicti ſunt. Diuus Thomas in 2. 2. quæſtione 95. articulo 1. & 2.

6. Rurſum diuinatio duplex eſt. Vna per explicitam, altera per implicitam Dæmonis inuocationem. Tunc aliquis cenſetur explicitè inuocare Dæmonem, quando vel expreſſis verbis illum inuocat, vel cum eo pactum init; vel aliquid reipſa facit ex pacto iam inito; vel ſciens & volens aliquid vſurpat, quo Dæmon ſolet futura prædicere. Tunc implicitè ſeu tacitè, quando id, quod occultum eſt, conatur inueſtigare per media vana & indebita, quæ per ſe nihil proſunt ad certam futurorum cognitionem. Tametſi enim in tali caſu, non petat exp eſsè ſubſidium à dæmone, tamen dæmon ſponte ſe ingerit, & homini curioſo perſuadet, euenturum, id quod per huiuſmodi vana & indebita media futurum eſſe ſignificatur.) D Thomas ibidem artic. 3. Sanchius lib. 2. Moralium cap. 38. n. 3. & alij ab illo citati.)

7. Prior diuinatio, quæ eſt per explicitam dæmonis inuocationem, varijs modis fieri ſolet prout varijs modis dæmon conſulitur, aut reſpondet.

Primò conſulitur per ſuos Prophetas & Pythoniſſas, de quibus nunc agimus. Et tunc per eoſdem reſpondet. Quomodo autem reſpondeat, quæſtio eſt. Quamuis enim certum ſit, dæmonem præſentem eſſe in ventre Pythonicorum & Pythoniſſarum; tamen non ſatis conſtat inter authores, an loquatur per os eorum, more humano: an verò per vmbilicum, aut vicinas partes. Aliqui hoc, aliqui illud aſſerunt. Nec obſtat, quòd Veteres ventriloquum appellent. Hoc enim poteſt vtroque ſenſu accipi: vel quod loquatur per vmbilicum, aut vicinas partes, quæ

circa

circa ventrem sunt: vel quod, vox illius, tametsi exeat per os humano more, tamen ex imo ventre prodire videatur. Vide Lorinum in cap. *16.* Actor. v. 16.

8. Secundò, consulitur per sacrificia animalium: & tunc respondet per signa quædam apparentia in extis animalium. Hoc genus diuinandi vocatur Aruspicium. Vnde Aruspices dicti sunt.

9 Tertiò consulitur per inuocationem & preces in idolis. Et tunc respondet per idola. Quod vocatur Oraculum.

10. Quartò consulitur per somnia, vt quando quis cubat, vel certo loco, vel cum certa vnctione, vel cum alijs cæremonijs, eo fine, vt inter somniandum accipiat à dæmone notitiam rerum futurarum.

11. Qnintò consulitur per præstigium; vt quando dæmon ex pacto apparet alicui in externa forma, quæ oculos præstingat, & de occultis illum instruit.

12. Sextò per varia signa, siue in corporibus terrestribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide: siue in aëre, siue in aqua, siue in igne.

13. Septimò per mortuos; vt quando quis petit à dæmone excitari mortuum, qui respondeat de aliquo futuro euentu. Sic fecit Saul, petens à Pythonissa, vt ope diaboli suscitaret Samuelem. (1 Reg. 28. 8.) An autem Samuel apparuerit ope dæmonis, an potius virtute Dei, quæstio est alterius loci. (Diuus Thomas, Sanchius loco citato, & Lessius cap. 43, dubio 5.)

QVÆSTIO XI.

An etiam in nouo Testamento sunt veri & falsi Prophetæ?

1. NOuum Testamentum incipit à Christo Apostolis. Est ergo quæstio, an à tempore Christi & Apostolorum fuerint aliqui Prophetæ qui futura prædixerint? Ratio dubitandi sumitur ex illo, Matt. 11. 13. Omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Ergo nullus post Ioannem Baptistam prophetauit. Item ex illo Heb. 1 1 Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quasi dicat: Olim loquebatur per Prophetas; iam non amplius per Prophetas, sed per Filium.

2. Respondeo: In nouo Testamento, sunt etiam veri & falsi Prophetæ. Veri sunt hi. Primò, Christus ipse, qui prædixit suam mortem & passionem (Matth. 20 19) Crucifixionem, (Ioan. 3,14. & c. 8. 28 & c. 12. 23.) Ascensionem (Ioan. 3 13. & cap 6. 63) Spiritus sancti missionem, (Ioan. 7. 39. & c. 14. 16. & c. 15. 26.) Et multa alia.

3. Secundò, Ioannes Euangelista, qui prædixit multa in Apocalypsi, quæ, teste Hieronymo in epistola ad Paulinum, tot habet Sacramenta, quot verba.

4. Tertiò, Paulus Apostolus, qui duo potissimum prædixit. Primò sua vincula. Acto. 20. 23. Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur: dicens: Quoniam vincula, & tribulationes, Ierosolymis me manent. Deinde, suam & sociorum liberationem ex tempestate maris. Act. 27. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse. Amissio enim nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis. Astitit enim mihi hac nocte An-

gelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet astitere: Et ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote viri: Credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

5. Quarto, Agabus, qui etiam dolegitur prædixisse. Primò, futuram famem. Act. 11. 27. In his diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam: Et surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Secundò, Paulum à Iudæis vinciendum, Act. 21. 10. Superuenit quidam à Iudæa Propheta, nomine Agabus. Is cùm veniisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit. Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus gentium.

6. Quintò, Filiæ philippi Diaconi, de quibus Actorum vigesimo primo versu nono: Huic (Philippo) erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Quid prophetauerint, non constat. Nec audiendus Lutherus, qui in libro de abroganda Missa priuata, ait, fuisse prophetantes, id est, prædicantes, seu docentes verbum Dei, vt inde conuincat, etiam mulieres posse docere & concionari. Quod est contra Apostolum primæ Timothei secundo, versu vndecimo: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto. Et primæ Corinthiacæ decimoquarto versu trigesimoquarto: Mulieres in Ecclesia taceant. Nō enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.

7. Præter hos Prophetas Noui Testamenti, quorum fit mentio in Scripturis, fuerunt multi alij post tempora Apostolorum, qui etiam Prophetiæ donum consecuti sunt: de quibus videri possunt

possunt vitæ Sanctorum, & Martyrologia. Porrò Prophetæ Noui Testamenti partim conueniunt cum Prophetis Veteris Testamenti; partim ab eis discrepant. in duobus conueniunt. Primò, quod vtrique vel per miracula, vel per veracem prædictionem, probauerint, se à Deo missos esse. Secundò, quod aliquando verbis, aliquando externis signis futura prædixerint. Hoc posteriori modo multa prælixerunt Isaias, Ieremias, Ezechiel Oseas, Agabus, alij. Isaias quidem, dum nudus & discalceatus ambularet per plateas (cap 20. 2.) Ieremias, dum indueret lumbare lineum, & postea absconderet illud iuxta Euphratem in foramine petræ. & putrefactum inde extraheret (cap. 13. 2.) Ezechiel, dum in latere describeret obsidionem ciuitatis Ierusalem, & panem stercore conspersũ comederet (cap. 4. 1. & sequentibus.) Oseas, dum acciperet vxorem fornicariam, & ex ea prolem generaret. (cap. 1. 2.) Agabus, dum alligaret manus & pedes suos zona Pauli Apostoli,) Actorum 21. vers. 11.)

8. In eo discrepant quod Prophetæ Veteris Testamenti prophetauerint de Christo venturo: Prophetæ N. Testamenti de aliis rebus, quæ post Christum futuræ erant. Vnde illud, quod initio obijciebatur, Omnes Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt, sic debet intelligi; Omnes; vsque ad Ioannem, prophetauerunt de venturo Christo: Ioannes Christum præsentem demonstrauit: Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi.

9. Hæc de veris Prophetis. De falsis generatim loquitur Christus, Matth. 7. 15. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces: A fructibus eorum cognoscetis eos. Et Matth. 24 11. Multi Pseudo prophetæ surgent, & seducent multos. Et Apostolus 1. Ioan. 4. 1. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex

Deo

Deo sint: quoniam multi Pseudo prophetæ exierunt in mundum. Talis fuit Elymas magus, quærens Sergium proconsulem auertere à fide. (Actor. 13. 6. Tales Hymenæus & Philetus, qui docebant Resurrectionem esse iam factam, & subuertebant quorumdam fidem. (2. Timoth. 2. 18.) Tales illi, de quibus Apost. ad Galat. 1. 7. Sunt aliqui, qui vos conturbant. Tales Marcus, Montanus, Marcianus, apud Baronium, tomo 2. Annalium. Tales denique. vt vno verbo dicam, omnes hæretici: non modò veteres, sed etiam moderni, qui simillimi sunt falsis Prophetis in veteri testamen. 1. Qui falsi Prophetæ dicebant, se missos esse à Deo. 2. Non poterant probare, se missos esse. 3. Semper fausta, & quæ populo grata erant, vaticinabantur; vt pacem, victoriam, fertilitatem & rerum omnium abundantiam. Ierem. 14. 13.) & ideò à plerisque libenter audiebantur.

10. Similiter faciunt moderni nostri Prophetæ. Primò, aiunt, se à Deo missos esse ad reformandam Ecclesiam Secundò, non possunt probare se missos esse; Nec vllo miraculo aut veraci prædictione id hactenus probarunt. Prædixit quidem Lutherus: Pestis eram viuus, moriens ero mors tua, Papa; sed fuit mendax prædictio. Mortuus est Lutherus; viuit adhuc Papa. Tertiò, semper fausta, & quæ populo grata sunt, vaticinantur. Eorum vox est; per fidem saluabimini; Bona opera nihil proderunt; Non opus est ieiunijs & castigatione corporis; Crescite & multiplicamini; Si non vult vxor, veniat ancilla Hanc vocem plerique libentius audiunt, quàm illam Christi & Apostolorum; Pœnitentiam agite; Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; Abstinete à carnalibus desiderijs, Sobrij estote, & vigilate.

CAPVT

CAPVT X.

De Religiosis Synagogæ, qui erant Nazarei, & Rechabitæ?

1. PRæter Leuitas, Sacerdotes, Pontifices, & Prophetas, de quibus dictum est, erant etiam alij in Veteri Testamento, qui à communi populo distinguebantur. Primò, quidem Nazarei & Rechabitæ, qui erant quasi religiosi. Deinde, Esseni, pharisæi & sadducæi, qui erant quasi sectarij. De vtrisque agendum est. De prioribus in hoc capite, De posterioribus in sequenti.

Nazarei.

2. Igitur Nazaræi, apud Iudæos, erant homines Religiosi, (seu viri, seu fœminæ) qui voto se consecrabant Deo, & à communi aliorum consuetudine separabant. Erant autem duplices. Alij temporarij, qui ad certum tempus obligabant se voto, vt ad vnum mensem, duos tres, vel vltra. (Num 6. 13. & sequentibus.) Alij perpetui, qui ad totam vitam erant obstricti, vt Samson & Samuel. (Iudic. 13. 7. & 1. Reg. 1. 28.) Vocabantur autem Nazaræi, id est, separati, consecrati, comati. (Cornelius in c. 6. Num. v. 9. & Castrius in c. 4. Lamentationum Ieremiæ.) Et poterant esse ex quauis tribu. Nec, quatenus præcisè erant Nazaræi, ad vllam Leuiticam aut Sacerdotalem functionem obligabantur, (Serarius in c. 13. Iudicum q. 5.

3. Statuta eorum describuntur à Moyse, Num. 6. Erant autem hæc 1. Abstinebant à vino, & ab omni potu, qui inebriare potest. Itemque ab aceto,

aceto, & vuis, tam siccis, quàm recentibus 2. Alebant comam toto tempore separationis suæ. Vel, vt Scriptura loquitur Nouacula non ascendebat per caput eorum. 3. Non ibant ad funus vel ea uer mortui, ne quidem Patris aut Matris. Et generatim, non debebant super mortuo contaminari. Quarò, In fine voti seu separationis, (quod intelligendum est de temporarijs) offerebant ad ostium tabernaculi tres victimas, 1. Agnum anniculum in holocaustum. 2 Agnam anniculam in sacrificium pro peccato. 3. Arietem in hostiam pacificam; Et præter hæc, Canistrum panum azimorum qui conspersi erant oleo; & lagenam absque fermento vncta oleo: ac libamina singulorum. His peractis, radebantur ante ostium tabernaculi & capilli eorum, qui erant Deo consecrati igne comburebantur. Et sic erat finis voti ac separationis. Vide infrà capite 15.

4. Circa tertium statutum, notandum est. Iudæos variis modis solere contaminari super mortuo. 1. Si esset in domo, in qua quis erat morituus. 2. Si tangerent cadaver mortui, aut ossa illius. 3. Si attingerent vasa, quibus fuerat vestus. 4. Si tangerent illius sepulchrum. 5. Si irent ad funus mortui. (Num. 19 11. & sequentibus.) His omnibus modis contaminabantur etiam Nazarei: Et insuper alio peculiari modo; si nimirum essent in aliquo loco, vbi quis moreretur. Si ergo aliquo istorum modorum fuissent contaminati tempore separationis suæ debebant raso capite & oblato sacrificio expiari, & de nouo consecrari, non secus, ac si antea non fuissent Nazarei. (Num. 6. 9.) Itaque si quis illorum vouisset separationem per decem menses, & in aliquo istorum mẽsium fuisset contaminatus, debebat ab initio inchoare decem menses, perinde ac si ante non fuisset separatus. (Num. 6 12.)

5. Erant autem Nazarei in magno honore apud

apud Iudæos. Et meritò. Nam ipsemet Deus per Prophetam Amos, cap. 2. recensens beneficia, quæ præstiterat populo Iudæorum, commemorat potissimum hæc tria. 1 Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti. 2. Ego exterminaui Amorrhæum. 3. Ego suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos. Quod etiam confirmatur ex lib. 1. Machabæorum, c. 3 v. 49 Cùm enim Iudæi congregati essen in Maspha, & audirent appropinquare exercitum Antiochi Regis; maximè fuerunt solliciti de Nazaræis, vt illi in tuto collacarentur. Textus sic habet: Attulerunt ornamenta Sacerdotalia, & primitias & decimas; & suscitauerunt Nazaræos qui impleuerant dies; & clamauerunt voce magna in cœlum, dicentes; Quid faciemus istis, & quo eos ducemus?

6. Quæres 1. Quamdiu durauerit institutum Nazaræorum? Respondeo; Durauit ab initio legis Mosaicæ; vsque ad tempora Apostolorum. Nam Moyses descripsit illorum institutum, vt paulò ante dixi, Et Paulus Apostolus cum quibusdam alijs hoc instituum amplexus est, vt patet Actor. 18. 18. Et Actor. 21. 23. Nec obstat, quod Ioseph Patriarcha, qui diu vixit ante legem Mosaicam, vocetur Nazaræus. (Gen. 49. 26.) Non enim vocatur Nazaræus ratione instituti seu voti, sed ratione vocabuli, quia Nazaræus idem est, quod separatus. Ioseph autem fuit separatus à fratribus. Et quidem multis modis. 1. Moribus & innocentia. 2. Conuersatione, quia fratres oderant illum, & abhorrebant ab illius consortio. 3. Loco, quia fuit venditus in Ægyptum, & per multos annos separatus à fratribus habitantibus in Chanaan. 4. Carcere. in quo manfit intonsis crinibus, ac quasi Deo relictus cõsecratus. Vide Cornelium in cap. 49. Genesis versu 26.

7. Quæres 2. Qui apud Christianos sint simi-

les

les Nazaræis Iudæorum? Respondeo. Religiosi quorum typum seu figuram gesserunt Nazaræi, vt notat Nazianzenus orat. in laudem S. Basilij, Gregorius lib. 2. Moral. cap. 39 D. Thom. in 2. 2. quæst. 186 art. 6. Figura consistit in his. Primò, Sicut Nazarei speciali gratia à Deo suscitabantur. (Amos 2. 11,) ita etiam Religiosi. Secundò, Sicut illi erant separati à communi hominum conuictu & consuetudine, ita & hi. Tertiò, sicut illi, ratione voti abstinebant à vino & omni potu, qui inebriare potest, ita & hi, ratione voti, sectantur paupertatem & frugalitatem. Quartò, Sicut illi cauebant ab omni immunditia legali, etiam minima, ita & hi à minima labe peccati. Quintò, Sicut illi non ibant ad funera parentum suorum, ita & hi deponunt omnem affectum carnalem erga parentes & amicos. Sextò, Sicut illi alebant in capite comam Deo consecratam, ita & hi alunt pias meditationes de rebus ad Deum pertinentibus. Septimo, Sicut illi, qui à Deo consecrati erant, à populo honorabantur; ita & hi. Denique sicut illi in fine separationis offerebant Deo victimas immaculatas; ita & hi, in fine vitæ offerunt Deo animas immaculatas. Vide eundem Cornelium in cap. 6. Num. v. 9.

Rechabitæ.

8. Rechabitæ dicti sunt à Rechab, qui fuit Pater Ionadab. Hic Ionadab præcepit filijs & posteris suis hæc tria 1. Vt non biberent vinum. 2. Vt non ædificarent domos, sed habitarent in tabernaculis. 3. Vt non sererent sementem, nec plantarent vineas Quę omnia accuratissimè ipsi seruabãt. (Ierem. 35. 6. & sequentibus.) Ob hanc causam Monachi à D. Hieronymo appellati sunt (Epist. 13 ad Paulinum.)

9. Vixit autem Ionadab sub Iosia Rege Iudæ & Iehu

& Iehu Rege Israe. Nam 4. Reg. 10. 15. sic legimus: Cumque abijsset inde, inuenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab, Est. Et, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se, in currum dixitque ad eum: Veni mecum & vide zelum meum pro Domino. Et imposuit eum in curru suo duxit illum in Samariam. Et percussit omnes, qui reliqui erant de Achab in Samaria vsque ad vnum, iuxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam Congregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: &c.

10. Porrò Rechab, à quo dicti sunt Rechabitæ, fuit filius Hamath, ducens originem ex socero Moysis Raguele, qui alio nomine dictus est Iethro princeps Madian. (Exod. 3. 1) & Cinæus, qui erat ex stirpe Cin (Iudic. 1. 16) Vnde sæpè pro eodem vsurpantur hæc duo nomina, Cinæi & Rechabitæ, vt 1. Paralip. 2. 55 Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calo e patris domus Rechab. Vel vt Hebræi & septuaginta dicunt: Qui venerunt de Hemath patre domus Rechab, id est, familiæ Rechabitarum.

11. Quod autem Deo placueri institutum Rechabitarum, aperte constat ex Ieremiæ loco citato, vbi sic legimus: Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino in diebus Ioakim filij Iosiæ Regis Iuda, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum, &c. Et introduxi eos in domum Domini, &c. Et posui coram filijs Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum:

Et

Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: ſed in taber aculi habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis dibus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, Patris noſtri in omnibus, quæcunq; præcepit nobis, ita vt non bibamus vinum cunctis diebus noſtris, nos, & mulieres noſtræ, filij & filiæ noſtræ: & non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam & agrum, & ſementem non habuimus: ſed habitauimus in tabernaculis, & bedientes fuimus circa omnia quæ præcepit nobis Ionadab Pater noſter, &c. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Vade & dic filijs Iuda, & habitatoribus Ieruſalem: Nonquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum: & non biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto Patris ſui. Ego autem locutus ſum ad vos de mane cõſurgens & loquens, & non obediſtis mihi. Mittamq; ad vos ſeruos meos Prophetas, conſurgens de luculo & dicens: Conuertimini vnuſquiſq; à via ſua peſſima, & bona facite ſtudia veſtra, &c. Et non inclinaſtis aurem veſtram neque audiſtis me. Firmauerunt igitur filij Ionadab, filij Rechab præceptum patris ſui, quod præceperat eis. Populus autem iſte non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Ecce ego adducam ſuper Iuda, & ſuper omnes habitatores Ieruſalem vniuerſam afflictionem, quã locutus ſum aduerſus illos, & non audierunt, vocaui illos, & non reſponderunt mihi. Domui autem Rachabitarũ dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, pro eo, quod obediſtis præcepto Ionadab Patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis ptoptereea

hæc

hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel; Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus,

12. Vbi tria notanda sunt. Primo, præceptum illud, quod datum fuit Rechabitis, fuisse difficillimum. Quid enim difficilius, quàm vitos & vxores, filios & filias, non tantum ad breue tempus, more Nazaræorum; sed in perpetuum abstinere ab omni vino, nunquam habitare in domibus, nunquam serere agros, nunquam plantare vineas? Secundo, hoc præceptum non fuisse diuinum, sed humanum, vt patet ex antithesi, quam Deus facit. Sic enim argumentatur: Si Rechabitæ seruant præceptum, quod ab homine acceperunt, quanto magis Iudæi debebant seruare præceptum, quod à Deo acceperunt? Tertio, Rechabitas non solùm rectè ac laudabiliter fecisse, quod obseruarint præceptum parentis sui Ionadab, sed etiam meritos esse à Deo peculiarem benedictionẽ sicut è contrario, Iudæos meritos esse pœnam & afflictionem. Nam Rechabitis dicitur: Non deficiet vir de stirpe vestra, stans in conspectu meo cunctis diebus. Iudęis autem: Ego adducam super vos afflictionem,

13. Hinc si sapiunt, colligant aduersarij nostri hæc pauca. Primò, præcepta hominum non esse contemnenda. Secundo, sicut Rechabitæ laudabiliter fecerunt, seruando præceptum parentis sui Ionadab; ita laudabiliter facere Catholicos, seruando præceptum matris Ecclesiæ. Imo tanto laudabilius, quanto maior est authoritas Ecclesiæ, quàm priuati hominis. Tertio, Catholicos propterea non deficere, (deficientibus Manichæis, Pelagianis, Donasticis, & alijs hæreticis,) quia seruant præcepta Ecclesiæ, & quo quisque accuratius ea seruat, eo maioribus à Deo beneficijs cumulari. Alios vero propterea sensim deficere quia ex vna parte contemnunt præcepta Ecclesiæ, in quo deficiunt à Rechabitis: & altera, non

ta, non seruant præcepta Decalogi, in quo similes sunt Iudæis. Et vt aliquam suæ ignauiæ prætexant excusationem, aiunt; præcepta Decalogi esse impossibilia. In quo fingunt Deum tyrannum, quasi præcipiat homini sub graui pœna, quod ab homine præstari nullo modo possit.

CAPVT IX.

De sectarijs synagogæ, qui erant Pharisæi, Sadducæi, Esseni.

1. COmmunis sententia est, tres fuisse Iudæorum sectas nempè Phariſæorum, Sadducæorum, & Essenorum. Ita Flauius Iosephus lib. 2. capt. cap. 12. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius in cap. 22. Actuum Apostolorum, Abulensis in cap. 3. Matth. qu. 6. 3 Serarius lib. 1. Trihæresij cap. 3. & alij. De hoc triplici Sectariorum genere breuiter agendum est hoc ordine. 1. Vnde dicti sint Phariſæi. 2. Ex qua Tribu & familia fuerint. 3. Quæ fuerint illorum dogmata. 4. Qui mores & instituta. 5. Quando & quo autore cæperint. 6. An fuerint distincti à Scribis. 7. Sadducæi vnde dicti. 8. Quæ illorum dogmata & instituta. 9. Qui hoc tempore similes Phariſæis & Sadducæis. 10. Essenі vnde dicti, & quæ illorum dogmata & instituta.

QVÆSTIO I.

Vnde dicti sint Phariſæi?

1. DIcti sunt Phariſæi à Parasch, quod tria significat. 1. Expandere seu explicare. 2. Exponere, declarare, Interpretari. 3. Di-

uidere seu separare. Hæc tria conueniebant Phariſæis. Primò, quia expandebant seu explicabant se oculis hominum, vt fierent conſpicui, & illuſtres in populo. Dilatabant enim Phylacteria ſua, amabant ſalutationes in foro; primum locum ambiebant in conuiuijs. (Matth. 23. 5.) Secundò exponebant & interpretabantur legem Moſaicam. Quò pertinet illud: Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. (Matth. 23. 2.) Tertiò ſeparabant ſe ab aliis, quaſi ſanctiores & peritiores eſſent. Vnde Hieronymus libro Traditionum in Geneſim: Phariſæi, inquit, qui ſe quaſi iuſtos ſeparauerunt, diuiſi appellantur. Et Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Apoſtoli: Primatij quidam erant, & quaſi ad nobilitatem Iudaica n ſegregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi. Nam dicitur hoc verbũ ſegregationem interpretati: quo modo in Latina lingua egregius, quaſi à grege ſeparatus. Vide Maldonatum in cap. 3. Matthæi verſ. 7. & Selarium lib. 2. Tribus reſij cap. 1.

QVÆSTIO II.

Ex qua tribu & familia fuerint Phariſæi.

1. REſpondeo: Poterant eſſe ex omni tribu & familia. Nam illorum inſtitutum non erat alligatum ad certam tribum, ſicut inſtitutum Leuitarum & Sacerdotum erat alligatum ad tribum Leui: Nec ad certam familiam, ſicut inſtitutum Pontificum erat alligatum ad familiam Aaron, & quidem ad primogenituram illius familiæ, vt ſuprà dictum eſt. Vnde Chryſoſtomus in cap. 15. Matthæi ait, Per omnes tribus in duodecim partes diſſeminati erant Phariſæi. Et patet in exemplis. Nam Paulus fuit ex tribu Beniamin, vt ipſe de ſe fatetur. (Philip. 3. 5. Circumciſus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Be-

bu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus. Hircanus, & Flauius, Iosephus, ex tribu Leui; & alij ex alijs tribubus.

2. Quæres, An fuerint ex ordine nobilium, aut plebeiorum? Respondeo. Ex vtroque poterant esse: Porrò nobilitas apud Iudæos, ex triplici potissimum capite æstimabatur. Primò, ex zelo religionis Iudaicæ. Hoc sensu Paulus fuit nobilis Pharisæus. Nam & contra nascentem Christi Ecclesiam, & contra Sadducæorum, zelosè pugnabat pro sua Religione. Philip. 3. 5. Secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei. Et Act. 23. 6. Sciens autem Paulus, quia vna pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio. Viri fratres: Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, &c. Vnde Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli, introducit Paulum de se loquentem his verbis, Nō eram piger Iudæus. Quicquid erat, quod legi meæ aduersarium videbatur, impatienter ferebam, acriter instquebar. Et mox subiungit: Hęc apud Iudæos nobilitas.

3. Secundò, ex eminentia honoris. Sic Nicodemus fuit nobilis Pharisæus, de quo Ioan. 3. 1. Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine. Princeps Iudæorum. porrò principes Iudæorum vocabantur, vel, qui inter Iudæos erant locupletissimi: vel certè, qui erant capita familiarum: sicut etiam principes Sacerdotum dicti sunt, qui Sacerdotalium familiarum erant capita, vt notat Maldonatus in commentario illius loci.

4. Tertiò, ex dignitate sacerdotali. Sic Hyrcanus, & Flauius, Iosephus fuerant nobiles pharisæi, quia summi sacerdotes. Sic etiam illi, qui ad Ioannem Baptistam legatione functi sunt, de quibus 1. 19. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? postea subditur: Et qui missi fuerant,

rant, erant ex Phariſæis. Hinc conſtat, aliquos Phariſçorum fuiſſe Leuitas, alios Sacerdotes, alios Pontifices. Addo, alios etiam Scribas & legis Doctores vt quæſtione ſexta videbimus.

QVÆSTIO III.

Quæ fuerint dogmata Phariſæorum?

1. MAgna difficultas eſt, an doctrina Phariſæorum fuerit vera, an falſa? Falſam fuiſſe inſinuat Chriſtus, Matthæi 16. 6. cùm ait: Cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum Vbi per fermentum intelligit doctrinam eorum, vt patet ex ſequentibus verbis: Tunc intellexerunt (Apoſtoli) quia non dixerat cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum. Contra, veram fuiſſe, inſinuat, Matth. 23. 2. cùm ait: Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite. Hoc non diceret, ſi doctrina illorum fuiſſet falſa. Eodem ſpectat illud Apoſtoli Pauli. Act. 26. 5. Secundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. Si fuit certiſſima, non potuit eſſe falſa.

2. Hæc tria teſtimonia explicanda ſunt, & ex eorum explicatione patebit, quid de propoſita quæſtione ſtatuendum ſit. Illud igitur. Cauete à fermento, id eſt, doctrina Phariſæorum, manifeſtè ſignificat, aliqua ſaltem eorum dogmata fuiſſe falſa. Quænam illa fuerint, ex varijs authoribus colligi poteſt. Primò, docebant omnia fato euenire, vt refert Epiphanius hæreſi 16. Secundò, valdè addicti erant aſtronomiæ: & maiorem, quàm par eſt, efficaciam tribuebant planetis & ſideribus, teſte eo eodem Epiphanio. Tertiò, dicebant animas iuſtorum migrare de corporibus in corpora; non item animas malorum (Ioſephus l. 2. de

Capt.

Capt. cap. 12.) Hinc natus ille Iudæorum error, quod alij dicerent; Christum esse Heliam, alij Ieremiam, alij vnum ex alijs Prophetis. Putabant enim animam alicuius Prophetæ migrasse in Corpus Christi. Quartò, nimirum vrgebant traditiones seniorum, inter quas aliquæ erant inutiles. Quod sæpè illis obijcit Christus in Euangelio. Quintò, male sentiebant de pietate filiorum erga parentes, vt cap. 1. quæstione vltima explicatum est. Sextò, similiter malè de religione iuramenti, ibidem. Septimò, respuebant Baptismum Ioannis. (Luc. 7. 30.) Octauò, negabant Christum esse Deum, & Saluatorem à Prophetis promissum. Quæ omnia repugnabant veritati. Itaque propter eiusmodi dogmata, meritò dixit Christus: Cauere à fermento Phariſæorum.

3. Alterum testimonium est; Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo, quęcumque dixerint vobis, seruate & facite. Quæritur, quid significet illa particula, Omnia? An absolutè omnia, quæcunque dixerint? Nullo modo. Alioqui oportuisset etiam facere, quæ falso docebant Phariſæi. Quæ ergo omnia? Variæ sunt interpretationes. Maldonatus sic interpretatur omnia quæcumque lex, & Moyses vobis dixerint, Scribis & Phariſæis recitantibus, seruate & facite. Alij sic: Omnia, quęcumque Scribæ & Phariſæi, prælegendo libros Moysis, dixerint vobis, seruate & facite. Sensus idem est. Sed manet quæstio, An omnia, quæ dixerint Scribæ & Phariſæi, recitando verba Moysis; an etiam quę dixerint, explicando verba Moysis? Hoc posterius multi concedunt, cum hac limitatione: Quæ dixerint, explicando verba Moysis in cathed a id est, publica authoritate. Vide Augustinum lib. 4. de doctrina, Christiana, cap 27. & ib. 16. contra Faustum cap. 29. & Epist. 166. Et Serarium lib. 2. Triheresij cap. 6.

4. Dices, ergo Iudæi debebant credere Christum non esse prophetam illum, quem Deus promisit per Moysen, Deut. 18 15. Sequela patet, quia Scribæ & pharisæi publicâ authoritate, & in pleno concilio damnarunt Christum, nec agnouerunt pro tali prophetâ. Si ergo quæcumque illi dicebant publicâ auctoritate, debebant fieri, necesse erat, Iudæos non agnoscere Christum, tanquam prophetam à Deo promissum. Respondeo. propter hanc obiectionem, nonnulli aliter explicant verba Christi Nimirum sic. Omnia præcepta legis Mosaicæ, moralia, cæremonialia, & iudicialia, quę à Scribis & pharisæis publicâ auctoritate vobis præponuntur, seruate & facite: Secundùm verò opera eorum nolite facere. Causam addit: Dicunt enim, & non faciunt. Quæ sunt illa, quæ dicunt & non faciunt? Sequitur; Alligant enim onera grauia & importabilia, (nempè præcepta legis Mosaicæ, quæ seruatu difficilia sunt,) & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere, id est, alios onerant multitudine præceptorum; & ipsi nullum ex illis seruant. Vide Chrysostomum in catenâ aureâ, & Emanuelem in notationibus.

5. Tertium Testimonium est, Act 26. 5. Secundùm certissimam sectam nostræ religionis, vixi pharisæus. Græcè est ἀκριβεστάτην, exquisitissimam, accuratissimam, Syriacè primam, seu præcipuam & principalem. Quo sensu id dixerit, quæstio est. Respondeo. Secta pharisaica dupliciter spectari potest, primò, quoad primam suam originem & institutionem. Secundò. quoad vitia, quæ postea irrepserunt. priori modo fuit certissima & accuratissima; posteriori, in multis erravit. Non quod singuli errarint, sed maior pars, vt latius explicabo sequenti quæstione, §. 3.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Qui fuerint mores, & instituta Phariſæorum.

1. HOc generatim constat ex ijs, quæ Christus in Euangelio illis obiecit Nam primò, vocauit illos hypocritas, auaros, stultos, inanis gloriæ cupidos, sepulchra dealbata, plenos rapina & immunditia, plenos hypocrisi & iniquitate, serpentes, genimina viperarum, filios gehennæ, generationem malam & adulteram. Secundò, dixit de illis: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Tertiò, obiecit illis Matth. 15. 3. Quare vos transgredimini mandata Dei, propter traditionem vestram? Quartò, grauissimè ac sæpius in eos inuectus est, repetendo illud: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, Matth. 23. & Luc. 11.)

2. Speciatim hæc illis obiecta sunt. 1. Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, (Matth. 23. 5.) 2. Quando dant eleemosynam, vel orant, faciunt hoc publicè in plateis & Synagogis, vt honorificentur ab hominibus. (Matth. 6. 2.) 3. Isaias de illis prædixit: Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. (Matth 15. 8.) 4. Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias) Matth. 23. 5.) 5. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Sextò, claudunt regnum cœlorum ante homines: Ipsi enim non intrant, nec introeuntes sinunt intrare Octauo, Circumeunt mare & aridam, vt faciant proselytum; & cùm factus fuerit, faciunt eum filium gehennæ duplo, quam seipsos. Nonò, Decimant mentham & rutam, & omne olus; & relinquunt iudicium, misericordiam & fidem Decimo,

exterius mundi sunt; interius pleni sparcitia; vndecimò, ædificant sepulchra Prophetarum, & dicunt: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testantur se esse filios eorum, qui Prophetas occiderunt. Hęc & similia habentur Matt. 23.

3. Quæres, An omnes Pharisæi fuerint tales? Repeto quod suprà dixi: Aliud est loqui de secta Pharisaica secundùm se, & quoad primam institutionem; aliud de vitijs, quæ postea irrepserunt. Secta Pharisaica secundùm se, & ex prima sua institutione, fuit bona & laudabilis, sine doctrinam, siue moras spectemus. Et hoc sensu intelligitur illud. Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixit Phariseus. At postea, vt fieri solet extortæ sunt superstitiones, & falsa dogmata, quibus obnoxij fuerunt posteriores Pharisęi tempore Christi, ideoque grauiter ab eo reprehensi. Non quod omnes, sed plerique fuerint tales. Nam constat aliquos fuisse immunes ab illis vitijs, vt Nicodemum, Gamalielem, & discipulum eius Paulum, qui de seipso scribit Actorum 22. 3. Eruditus iuxta veritatem paternæ legis. Et Philip. 3. 5. Secundum legem Pharisęus secundùm iustitiam, quę in lege est, conuersatus sine querela.

4. Idem fit in Nouo Testamento. Multi Ordines Religiosi ab initio bonam ac salutarem regulam professi sunt, qui postea in multis à regula deflexerunt: non vitio sui instituti aut vocationis, sed negligentia humanæ fragilitatis. Contra accidit Caluinistis. Qui si primam Caluini doctrinam & institutionem sequantur, bonisesse nō possunt: sin ab ea deflectant, melioris vitæ spem ac subsidium habent. Vide quæ diximus in Opusculo de Ecclesia.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Quando, & quo authore cœperint Phariſæi?

1. SErarius lib. 2. Trihæreſij cap. 11. putat eos cœpiſſe ante tempora Ionathæ Machabæi, pluſquam 130. annis ante Aduentum Chriſti: Quod tripliciter probat, Primò, ex illis Ioſephi verbis. Circa hoc tempus (Ionathæ) erant tres Iudæorum hæreſes, Secundò, quia Phariſæi antiquiores ſunt Sadducæis: At hi fuerunt ante tempora Ionathæ: ergo multo magis illi. Tertiò, quia conſtat ex hiſtorijs. tempore Ioannis Hyrcani qui vixit 24. annis poſt Ionatham, fuiſſe maximum numerum, & auctoritatem Phariſæorum. Ex quo colligi poteſt, eos cœpiſſe ante tempora Ionathæ, quia ſi tunc primum cœpiſſent, (quod aliqui putant) non potuiſſent tam paucis annis in tantum numerum excreſcere; præſertim cùm non niſi viri docti ad eorum ſectam admitterentur.

2. Quod attinet ad ipſorum authorem ſeu inſtitutorem, putat Diuus Hieronymus in cap. 8. Iſaiæ, Scribas & Phariſæos à Schamai & Hillel, duobus magnis Synagogæ viris, ortos eſſe. At Serarius cap. 12. ab ijs quidem propagatos, ſed ab alijs initium ſumpſiſſe. Quod etiam ſentit Genebrardus in Chronologia. Nota Docent Iudæi Moyſen in monte Synai, non ſolum â Deo accepiſſe legem, quam ſcripſit; ſed etiam intelligentiam legis, quam non ſcripſit: eamque viua voce tradidiſſe Ioſue ſucceſſori ſuo Hunc eandem tradidiſſe Senioribus, qui ipſum ſecuti ſunt: Hos Prophetis: Prophetas viris magnis Synagogæ, poſt reditum ex captiuitate Babylonica. Ex his viris ortam eſſe ſectam Phariſæorum, ac poſtea ab Hillel & Schamai propagatam. Vide Serarium loco citato.

QVAESTIO VI.

An Phariſæi fuerint diſtincti à Scribis?

1. TRia hic ſtatuenda ſunt Primo, Scribas fuiſſe legis peritos, ſeu legis Doctores, qui Græcè νομικοὶ, vel νομοδιδάσκαλοι appellati ſunt, vt notat Maldonatus in capite 2. Matth. v. 4. & Serarius lib. Trihæreſij cap. 7. Et conſtat ex Luc. 7. 30. & Lucæ 11. 43. Secundo, Scribas ſeu legis peritos, fuiſſe diſtinctos à Phariſæis, vt paſſim patet ex Euangelio, Matth. 23. 13. Væ vobis Scribæ & Phariſæi. Tertio, aliquando tamen factum eſſe, vt ijdem ſimul eſſent Scribæ & Phariſæi. Scribæ quidem, ratione officij, quia legem docebant: Phariſæi autem ratione ſectæ, quia ſectam Phariſæorum profitebantur Sicut apud nos, aliquando ijdem ſunt Doctores Academici, & Dominicani Doctores, ratione officij, Dominicani, ratione inſtituti. Hoc patet Matt. 22. 34. Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenìunt in vnum: & interroganit eum vnus ex eis legis Doctoribus. Ecce vnus ex Phariſæis, erat legis Doctor, id eſt, Scriba. Sic enim interpretatur Marcus cap. 12. v. 28. Et acceſſit vnus de Scribis; nempè ille idem, quem Matthæus dixit eſſe vnum ex Phariſæis. Perinde ac ſi aliquis de me diceret: Acceſſit ad eum Becanus, vnus ex Doctoribus Academicis. Et alter: Acceſſit ad eum Becanus, vnus ex Ieſuitis.

2. Vbi notandum eſt, aliter inter ſe diſtingui Scribas & Phariſæos; aliter Phariſæos & Sadducæos. Nam Scribæ & Phariſæi diſtinguuntur inter ſe, ſicut Doctores Theologiæ & Religioſi vel, ſicut medici & milites. Nam ſicut fieri poteſt, vt vnus idemque homo, ſimul ſit Doctor

Theo-

Theologiæ & Religiosus aut simul medicus & miles: sic etiam, vt vnus idemque homo simul sit Scriba & Pharisæus, vt ex euangelio ostensum est. At Pharisæi & Sadducæi distinguuntur inter se, sicut duæ sectę oppositæ; ita vt nullus Pharisęus simul possit esse Sadducęus; nec vllus Sadducęus simul Pharisęus. Vide Abulensem in c. 23. Matt. q. 12.

QVÆSTIO VII.

Vnde Sadducæi dicti?

1. RESpondeo. Vel à Sadoc, seu Tsadok, primo sectæ illius conditore: vel à Zaddik, seu Tsedek, quod est iustus, quasi nominati essent iusti, seu iustitiarij. Priorem etymologiam adunt Phylastrius, & multi Rabini apud Serarium cap. 19 posteriorem Epiphanius hęresi 14. Hieronymus in cap. 22 Matthęi, Abulensis in idem caput, q. 123.

2. Porrò Sadoc, primus sectæ Sadducæorum author, fuit discipulus magni illius & veteris Pharisæi Antigni; sed postea adiunxit se Dositheo, qui ex Iudæo factus fuit Samaritanus. De quo sic scribit Tertulianus libro de præscriptionibus cap. 4. 5 Taceo Iodaismi hæreticos Dositheum; inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducęos, qui ex huius erroris radice surgentes ausi sunt ad hanc hæresin, & resurrectionem carnis negare. Vide plura apud Epiphanium hæresi 13.

3. Ex dictis duo colligo primò, Pharisæos antiquiores esse, quàm Sadducæos. Nam Sadoc primus auctor Sadducæorum, fuit discipulus Antigni, qui erat ex secta Pharisæorum. Secundò, Sadducæos aliquo modo ortos esse ex Samaritanis. Nam Sadoc auctor Sadducæorum, defertas

Antigni Phariſæi diſciplina, confugit ad Doſitheum, è Iudæo Samaritanum factum. Non tamen ſecutus eſt ſectam Doſiſthei in omnibus, ſed noua quædam dogmata commentus eſt, vt iam videbimus.

QVÆSTIO VIII.

Quæ fuerint dogmata & inſtituta Sadducæorum?

R. REſpondeo. Hæc potiſſimum. Primò, non admittebant Prophetas, aut alios libros Veteris Teſtamenti; niſi libros Moſis, vt refert Hieron. in cap. 22. Matthæi, Tertullianus lib. de præſcript. cap. 45. Maldonatus in cap. 3. Matth. v. 7. & alij. Hinc Chriſtus diſputans contra Saddoccos de reſurrectione mortuorum, non alijs teſtimonijs, quàm Pentateuchi vſus eſt, quia ſolum Pentateuchum ipſi pro vera Scriptura agnoſcebāt. Alioqui ex Pſalmis & Prophetis potuiſſet multò clariora teſtimonia adducere. Vide Hieron. loco citato.

2. Secundò, nullam admittebant traditionem: nullam Scripturæ interpretationem à Moyſe, vel Prophetis, vel Doctoribus acceptam: vt refert Elias in Thisbi, verbo, Sadoc, vbi ſic ſcribit: Duos diſcipulos habuit Antignus vir Sochæus, quorum alteri Zadok, alteri verò Baiethos nomen erat: qui deficientes à præceptore ad homines malos, cœperunt negare legem ore tenus traditam; neque fidem habuerunt, niſi ei, quod in lege ſcriptum erat. Hancque ob cauſam vocati Caraim. Hinc nata eſt illa diſtinctio Iudæorum, vt alij dicantur Rabbiniſtæ, qui admittunt traditiones & interpretationes Rabbinorum, alij Caraim, id eſt, lectionarij, ſcripturatij, textuarij, qui illas reſpuunt. vide Scaligerum

lib. 2.

lib. 2. de emendatione temporum, & Setar. l. 2. Tribęresij c. 31.

3. Tertiò, Non credebant resurrectionem, nec animarum immortalitatem, neque Angelum, neque spiritum: Neque aliud quidpiam, quod non sensu, aut manifestatione comprehenderent. Matth. 22. 13. Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Pharisæi autem vtraque confitentur. Hinc perpetua erant dissidia inter duas illas sectas, Sadducæorum, & Pharisæorum. Quod ibidem etiam insinuatur, his verbis. Facta est dissentio inter Pharisæos & Sadducæos.

4. Quartò, vbique molesti erant Christo. Et quidem varijs modis. Primò, petendo ab eo signum de cœlo. (Matth. 16. 1.) Secundò, proponendo illi caprioſas quæstiones. (Matt. 22. 23.) Tertiò, ægrè ferendo, quod discipuli eius docerent populum. (Act. 4. 2.) Quartò, eosdem capiendo & in carcerem conijciendo. (Actor. 5. 17.) Quintò, illos in iudicium adducendo. (Act. 23. 6.)

QVÆSTIO IX.

Qui hoc tempore sint similes Pharisæis & Sadducæis?

1. REspondeo: Si vlli alij, maximè Præsbyteri Lutherani & Caluiniani sunt illis similes. Hoc facilè demonstratur ex dictis in hunc modum. Primò, Pharisæi & Sadducæi introduxerunt nouam doctrinam, discrepantem à doctrina Synagogæ. Hi quidem negando resurrectionem, spiritum & Angelum: illi verò asserendo omnia fato euenire, & animas bonorum de corporibus in corpora transmigrare. Idem faciunt Lutherani & Caluinistæ. Introducunt nouam doctrinam, discrepantem à doctri-

na

na Ecclesię. Hi quidem asserendo, Deum esse auctorem peccati; & prędestinare homines ad ęternam damnationem, sine vlla ipsorum culpa. Illi verò, docendo, corpus Christi esse vbique, in Eucharistia manere substantiam panis cum substantia Corporis Christi; infantes in Baptismo habere propriam fidem actualem.

2. Secundò; Pharisæi & Sadducæi, inter se quidem erant hostes infensissimi, sed in oppugnando Christo mirè inter se conspirabant. Sic Lutherani & Caluinistæ, dum inter se agunt, multis conuitijs se mutuo proscindunt ac lacerant: At in oppugnanda Christi Ecclesia, malitiosè inter se consentiunt. Vtrique docent, Ecclesiam multis sæculis ante Lutheri aduentum errasse in fide: &, vt ipsi loquuntur, adulteram ac meretricem factam esse. Vnde consequenter fateri debent, omnes filios, qui illis sæculis in Ecclesia per Baptismum nati sunt, adulterinos fuisse ac spurios: nec Christum ijsdem sæculis nisi spurios & adulterinos fœtus ex sua sponsa suscepisse, ac educasse, quæ est magna in Christum blasphemia.

3. Tertiò, Sadducæi pro suo arbitratu, quosdam Scripturę libros admittebant; alios reijciebant. Admittebant libros Mosis: reijciebant reliquos. Idem faciunt Lutherani & Caluinistæ. Vtrique reijciunt libros Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum. Lutherani insuper, Apocalypsin, Epistolam Iacobi, & nonnullas alias, prout ipsis opportunum. Catholici admittunt omnes, quos antiqui Patres, Innocentius primus, Augustinus, & alij, communi consensu admiserunt.

4. Quartò, Sadducæi nullam admittebant traditionem: nullam Scripturæ interpretationem à Mose, vel Prophetis, vel Doctoribus acceptam. Similiter faciunt Lutherani & Caluinistæ. Reijciunt traditiones diuinas & Apostolicas, contra

ta illud Apostoli 2. Thessalonicensium 2. 14. Tenete traditiones, quas didicistis. Reijciunt interpretationem Scripturę, quam per traditionem ab Apostolis & alijs Ecclesiæ Doctoribus accepimus. Suo arbitrio Scripturam interpretantur.

5. Quintò, Sadducęi nihil volebant credere, nisi quod sensu aut manifesta ratione comprehenderent. Idem faciunt Caluinistę. Non credunt Christum pręsentem esse in Eucharistia. Quare? Quia aiunt, se non posse ratione naturali comprehendere, quomodo idem corpus eodem tempore possit simul esse in duobus locis. Cùm ergo constet, Christum esse in cœlo; putant euidenter sequi, non esse in altari vel Eucharistia.

6. Sextò, Sadducęi in oppugnanda resurrectione mortuorum, ridiculo argumento vtebantur contra Christum, hoc modo: Vna mulier successiuè habuit septem viros. Si ergo resurrectio admittenda, quis illorum in resurrectione recepturus est illam mulierem? Quibus respondit Christus: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Similiter faciunt Caluinistæ: Ridiculè argumentantur contra præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, in hunc modum: Scriptum est Matth. 15. 17. Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: Si ergo Corpus Christi est pręsens in Eucharistia, & intrat in os, vt Catholici asserunt; ergo in ventrē vadit, & in secessum emittitur. Quibus, quid aliud respondendum, quàm quod Sadducæis responsum est? Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

7. Hæc de Doctrina. Si mores spectemus, Fateor, non modo Lutheranos & Caluinistas, sed etiam aliquos Catholicos posse similes esse Pharisæis, & illorum vitia imitari. Nam, vt ait Poëta, Iliacos intra muros peccatur, & extra. Sed tamen duo Phariſæorum vitia præ cæteris expendenda sunt,

sunt. Vnum est, quod fuerint superbi, arrogantes, ambitiosi, amantes honorum ac titulorum. Sic faciunt nostri aduersarij. Superbi ac arrogantes sunt, quia contemnunt antiquos Patres, & suam sententiam ac iudicium ipsis præferunt. Amantes sunt titulorum, quia volunt vocari Euangelici, Orthodoxi, Reformati, à Deo lecti. Alterum est, quod ad opinionem sanctitatis aucupandam soliti sint legem Dei scribere in membranis, & affigere fronti, brachijs, & parietibus. Nec aliud insonare, quàm legem & Prophetas. Sic etiam nostri aduersarij. Nihil aliud in ore habent, quàm verbum Dei. Vbique in templis, in hospitijs, in parietibus affigunt hanc sententiam: Verbum Domini manet in æternum.

QVÆSTIO X.

Esseni vnde dicti, & quæ illorum dogmata & instituta?

1. VNde dicti sint Esseni, (quos alij vocant Essæos, alij Hessæos, alij Hasidæos vel Asidæos) non satis constat. Serarius lib. 3. Trihæresij cap. 1. adfert varias coniecturas & opiniones. Non est restanti momenti, vt magnoperè laborandum sit. Quisque sequatur opinionem, quã velit.

2. Quæ autem fuerint eorum dogmata & instituta, paucis explicandum est ex Iosepho & Serario. Præcipua fuerunt hæc. 1. Abhorrebant à voluptate, & viuebant cœlibes. 2. Habebant bona communia, more Religiosorum. 3. Non vtebantur famulis, sed ipsi sibi ministrabant. 4. In victu sectabantur austeritatem. 5. Albis vtebantur vestibus. 6. In qualibet vrbe erant multi simul. 7. Maxima apud eos hospitalitas. 8. Sine viatico faciebant iter, quia vbique ferè inueniebant suæ sortis homines, à quibus gratuito habebant

bebant hospitium. 9. Peculiari ratione dediti erant pietati. 10. Manè ante solis ortum nihil prophani, loquebantur, sed precibus ac orationibus erant intenti. 11. Post preces, quisque conferebat se ad suos labores. 12. Deinde iterum in vnam collecti, & lineis velaminibus præcincti, frigida aqua se lauabant & purificabant. 13. Post hanc lotionem ibant modestè ad cœnaculum, vbi Sacerdos ante, & Post cibum, orabat, reliquis astantibus. 14. Finito prandio, redibant ad consuetos labores. 15 Quibus finis is, eo ritu cœnabant, quo antea pransi erant. 16. Seruabant accuratè silentium. 17. Nihil ferè agebant, nisi ex Curatorum suorum imperio. 18. Sine Curatorum facultate, nihil consanguineis poterant dare. 19. Nouitios quadriennio probabant. 20. Accuratè seruabant Sabbatum. 21. Credebant animarum immortalitatem. 22. Aliqui inter illos futura prædicebant. Hæc omnia fusè prosequitur Serarius ex Iosepho Flauio. Qui etiam affirmat multos Essenorum, ad fidem Christianam fuisse cõuersos.

CAPVT XII.

De Iudice controuersiarum in veteri Testamento.

QVæritur 1. An Pontifex in veteri Testamẽto fuerit Iudex controuersiarum. 2. An Põtifex in dirimendis controuersijs fuerit infallibilis Iudex, ita vt non potuerit errare. 3. An etiam in nouo Testamento sit aliquis Iudex infallibilis, & quis ille sit.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An Pontifex in Veteri Testamento fuerit iudex controuersiarum?

1. REspondeo Certum est. fuisse Hoc testatur Iosephus lib. 2. contra Apionem, cùm ait: pontifex ante alios sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, dijudicat controuersias, conuictos delicti punit: qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.

2. Et manifestè colligitur ex illo Deut. 17. 8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicium intra portas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.

3. Circa hunc locum aliqua notanda sunt. primum est, quod variæ fuerint controuersiæ in populo Iudæorum. Hic quidem duæ speciatim recensentur. Vna de sanguine; altera de lepra. Alibi tamen summatim insinuantur quatuor genera, vt 2. paral. 19. 10. Vbicumque quæstio est, de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus Nam aliquæ, vt ibi interpretatur Liranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi: aliæ ex

ex præceptis cęremonialibus, ad diuinum cultum spectantibus: alię denique ex pręceptis iudicialibus quę ad externam pacem & iustitiam conseruandā erant accommodata.

4. Alterum est, quod in singulis ciuitatibus constituti fuerint inferiores Iudices, qui ex officio debebant huiusmodi controuersias dirimere, vt habetur Deuter. *16.* 18. Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Et 2 paralip. 19 5. Constituit Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.

5. Tertium est, quod quando inferiores Iudices non poterant inter se conuenire, nec controuersias ad se delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere; necesse fuerit confugere Hierosolymam ad superiores Iudices quibus tanquam supremus Iudex, præsidebat pontifex: & illius sententiæ, sub pœna mortis, oportebat acquiescere. Hoc patet ex verbis paulò ante citatis: Si difficile & ambiguum apud te (id est in ciuitate tua, in qua habitas) iudicium esse perspexeris, &c.

6. Hinc colligimus, duplex apud Iudæos fuisse Tribunal & Concilium: Vnum maius; alterum minus. Inter ea fuit multiplex discrimen. primo, quia maius erat tantum in Ierusalem: minus in singulis ciuitatibus: Secundo, in maiori dijudicabantur maiores controuersiæ; in minori faciliores. Tertio, in maiori præsidebat pontifex: non item in minori. Quarto, a minori licebat appellare ad maius; non contra à maiori ad minus. Quinto, in maiori erant septuaginta personæ, præter pontificem: in minori, viginti tres. Sexto, maius vocabatur Sanedrin, vel Synedrion, vel Concilium Seniorum; minus non item. De maiori sæpè fit mentio in Euangelio, vt Matthæi 14.

ci 14. 55. & Luc. 9. 22. & act. 4. 5. Videantur Interpretes.

6. Vtrumque Concilium habuit suam originem sub Mose. Et minus quidem institutum est, ex consilio Iethro: maius verò, mandato Dei Occasio minoris instituendi describitur Exo. 18. v. 13. his verbis: Altera autem die sedit Moses, vt iudicaret populum, qui assistebat Mosi à mane vsque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondit Moses. Venit ad me populus, quærens sententiam Dei. Cùmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me. vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est. Vltra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere. sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas. & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicedit: leuiusque sit tibi partito in alios onere. Quibus auditis, Moses fecit omnia, quę ille suggesserat: Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore: Quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, facilioratantummodo iudicantes.

8. De maioris Concilij institutione sic legimus, Numer. 11. vers. 16. Et dixit Dominus ad Mosen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri; & duces eos ad ostium Tabernaculi

culi fœderis, faciesque ibi stare tectum, vt descendam, & loquar tibi: Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solùm graueris. Et infrà v. 24. Venit ergo Moses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit, circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem: & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans Septuaginta viris. Cùmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltrà cessauerunt.

9. Porrò cum vtrumque concilium, progressu temporis, penè collapsum esset; iterum restitutum & renouatum fuit à Iosaphat Rege Iuda, vt habetur 2. Paral. 19. 4. his verbis: Habitauit ergo Iosaphat in Ierusalem: rursumque egressus est ad populum de Bersabee vique ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum Patrum suorum. Constituitque Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca. Et præcipiens Iudicibus, videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Hæc omnia intelliguntur de minori Concilio. Iam sequitur de maiori In Ierusalem quoque constituit Leuitas & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis; inter cognationem & cognationem; vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cęremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porrò Zabadias

Filius

ſi ius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quę ad Regis officium pertinent. Vbi vides, Pontificem fuiſſe præſidem ſeu caput Concilij Seniorum.

10. Igitur, vt verbo repetam, quę dicta ſunt, ſub Moſe in deſerto, res ita geſta eſt. Primo, ſolus Moyſes (qui erat Pontifex extraordinarius) iudicabat omnes omnino controuerſias, quæ in populo oriebantur. Deinde, vt hoc onere nonnihil ſublenaretur, additi ſunt illi Tribuni, Centutiones, quinquagenarij, & decani, qui minores cauſas iudicaret, & grauiores ad illum remitterent: Denique ad maius ſolatium, ſeptuaginta Seniores electi ſunt, qui etiam in cauſis grauioribus illi aſſiſterent. Poſt mortem Moſis, cùm iam filij Iſrael veniſſent in terram promiſſionis, duplex Tribunal ac Iudicium conſtitutum eſt: vnum Hieroſolymis, pro cauſis difficilioribus; alterũ in ſingulis ciuitatibus, pro facilioribus. Hoc poſterius reſpondebat Concilio Tribunorum ac Decanorum: illud prius Concilio ſeptuaginta Seniorum.

11. Huc addi poteſt, aliter in deſerto ſub Moſe, aliter in terra promiſſionis ſub alijs Pontificibus, actum eſſe. Et quidem duplici diſcrimine: altero ex parte Pontificis, altero ex parte Concilij Seniorum. Nam pontifex poſt ingreſſum in terram promiſſionis, non dirimebat controuerſias, niſi ex lege ſcripta. At Moſes, præſertim antequam lex integrè ſcripta eſſet, multas dirimebat ex viua Dei voce & oraculo. Cuiuſmodi ſunt illæ tres; Prima, quid faciendum eſſet cum ijs, qui propter immunditiam legalem non poterant cum alijs celebrare Paſcha? (Num. 9. 6.) Secunda, quâ pœna deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbathi? (Num. 16. 32.) Tertia, an filiæ Salphaad poſſent habere hæreditatem inter cognatos patris ſui? (Num. 27. 1.) De his controuerſijs nihil tunc erat ſcriptum

ptum in lege. Igitur Moses viua voce consuluit Deum, & accepto responso, voluntatem Dei executus est. Ac primum hæc omnia in legem scripta relata sunt.

12. Ex parte Concilij Seniorum, hoc erat discrimen. Septuaginta Seniores, qui à Mose electi sunt, acceperunt spiritum Prophetiæ in ipsa electione, (Num. 11. 25.) De alijs, qui posteà in illorum locum per interualla temporis, subrogati sunt, non constat accepisse. Hoc tamen credibile est singulari Dei assistentia vsos esse, quoties de rebus difficilioribus consultandum esset, & maximè hanc assistentiam Pontifici, qui omnibus præsidebat, speciatim concessam fuisse, quando supremi Iudicis officio, inferenda sententia fungebatur. De qua re dicam aliquid paulò post.

13. Dices, Hæc omnia procedunt de controuersijs legalibus, in quibus Pontifex erat supremus Iudex, vt bene probatum est, non autem de controuersijs fidei, in quibus sola Scriptura erat Iudex. Respondeo. Hoc sine fundamento dicitur. Nam omnes controuersiæ, siue essent de fide, siue de alijs rebus, vocabantur legales, duplici de causa. Primò, quia oriebantur ex ipsa lege, non satis benè intellecta. Secundò, quia per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deut. 17. 10.) Omnes porrò, sine vlla exceptione, pertinebant ad Pontificem, tanquam ad supremum Iudicem; etiam illæ, quæ erant de fide & religione. Hoc manifestè constat ex illis verbis, paulò ante citatis: Amarias Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. At controuersiæ de fide & religione, maximè ad Deum pertinent: ergo Pontifex in illis controuersijs præsidebat. Quid autem est, præsidere in controuersijs, nisi iudicem agere? Item ex verbis præcedentibus? Vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus.

Omnes

Omnes hæ quæstiones deferabantur ad Pontificem Et præter has, non erant vllę alię ergo nulla erat exempta à iurisdictione Pontificis.

14 Et confirmatur exemplo. Nam inter controuersias fidei (de quibus maximè nunc agimus) erat vna præcipua de Messia. At hæc ipsa, quando dubitatum fuit tempore Herodis; an Messias iam natus esset, deferebatur ad Concilium Sacerdotum, in quo Pontifex præsidebat, vt patet ex Euangelio Matthæi 2. 3. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetas: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaqam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Vbi tria notanda sunt. Primò, quod Rex Herodes & totus Hebræorum populus dubitauerit de loco, in quo Messias esset nasciturus. Secundò, quod hanc, dubitationem non ausi fuerint ipsi per se discutere, sed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum. Tertiò, quòd Sacerdotes, vt satisfacerent officio suo, dissoluerint hãc dubitationem ex Scriptura, tanquam ex Norma & regula, cui se conformabant.

QVÆSTIO II.

An Pontifex fuerit infallibilis Iudex.

15. ALiqui ex Lutheranis concedunt quidem, fuisse Iudicem controuersiarum, sed negant fuisse infallibilem. Quod nos affirmamus. Et tripliciter probari potest. Primò, ex discrimine, quod erat inter Summum Pontificem & alios inferiores Iudices. Nam quando oriebatur aliqua controuersia difficilior; in cuius decisione

sione inferiores Iudices vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant; volebat Deus, vt partes litigantes deferrent eam ad Pontificem in superiori Concilio præsidentem, cum hac promissione, quod ab eo accepturi essent iudicij veritatem. (Deuteronom. 17. 9) At si Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo iudicij veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta: Ergo dicendum est, in tali casu falli non potuisse.

2. Secundò, Ex mandato Dei. Nam Deus, sub pœna mortis, mandabat omnibus, vt acquiescerent sententiæ Pontificis. (Deuter. 17. 12.) At certum est, non mandasse, vt acquiescerent sententiæ falsæ, præsertim in negotio fidei ac religionis; Ergo certum est, sententiam Pontificis, præsertim in negotio fidei ac religionis, non potuisse esse falsam, sed ex peculiari Dei assistentia infallibilem.

3. Tertiô, Ex parte litigantium. Nam si Pontifex quando publicè in Concilio pronunciabat sententiam, potuisset falli, vel à legitimo scripturæ sensu aberrare; nunquam litigantes, qui illum consulebant, fuissent securi. Cur ergo sub pœna capitis tenebātur sequi illius decisionem? Cur altera pars, cum tanto onere, debebat subiacere sententiæ contra se latæ, quam poterat suspicari falsam & iniquam esse? Denique cur totus populus in negotio religionis iubebatur id sequi, quod Pontifex iudicabat sequi oportere, si Pontifex errare poterat.

4. Obijciunt Lutherani, Pontificem, etiam cum toto Concilio sæpè errasse in negotio religionis. Quod probant varijs exemplis. Primò, quia Aaron Pontifex fuit Author idololatriæ, quando proposuit populo vitulum adorandum. Exodi 32. 4. Secundò, quia Vrias contra legem Dei exstruxit nouum altare in tẽplo, ad formam altaris Damasceni, & in eo sacrificia obtulit.

(Regum 16. 10.) Tertiò, quia tempore Isaiæ, omnes speculatores populi, erant cæci (Isaiæ 56. 10.) Quartò, quia tempore Ieremiæ, à Prophera vsque ad Sacerdotem, omnes loquebantur mendacium. (Ierem. 6. 13.) Quintò, quia idem Ieremias, propter verbum Domini, publico decreto omnium Sacerdotum & Propheratum, fuit condemnatus ad mortem, (Ieremiæ 26. 11.) Sextò, quia Christus à Pontificibus, Scribis, & senioribus populi, in publico Concilio, morti adiudicatus est.

5. Respondeo. Frustra hæc obijciuntur. Primò, quia Aaron nec erat Pontifex, quando vitulum ex auro conflauit; nec fuit author idololatriæ. Nihil ergo iuuat Lutheranos hoc exemplum. Quod non fuerit Pontifex, certum est. Nam à Mose consecratus est in Pontificem, anno secundo egressionis ex Ægypto, prima die mensis primi, quando tabernaculum fuit erectum. (Exod. 40. versu 31.) At vitulus iam antea conflatus erat, cùm adhuc Moses fuit in monte Sinai cum Deo, & acceptis ab eo tabulis lapideis, iubebatur construere tabernaculum per Beseleel filium Vri. (Exod. trigesimoprimo, & trigesimosecundò.) Similiter, quod populus fuerit author idololatriæ, non autẽ Aaron, diserte habetur Exod. 32. 1. Videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moses, congregatus aduersus Aaron, dixit, Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.

6. Secundo, Vrias non erauit, tanquam Iudex & præses Concilij, in dirimendis controuersiis legalibus; sed extra Concilium, erauit in facto, volens satisfacere mandato Regis Achaz, quod non negamus. Itaque nec hoc exemplum ad rem facit. Non enim est quæstio inter nos, An Pontifex nulla in re potuerit errare, aut peccare? Potuit certè in multis, non minus, quam alij. Sed quæstio est, an in sententia publicè ferenda,

circa

circa controuersias legales potuerit errare, vel falsam sententiam dicere? Non potuit. Nec Vrias hoc modo errauit.

7. Tertiò, Isaias per speculatores, quos ait cœcos esse, non intelligit Pontifices sui temporis, sed Scribas & Pharisæos, qui erant futuri tempore Apostolorum, quando Ierusalem erat vastanda à Romanis, sub Vespasiano Imperatore, vt interpretatur sanctus Hieronymus. Et patet ex ipso contextu, qui sic habet: Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel: adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cœci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti, non valentes latrare. Sensus est: ait Dominus Deus: Ego post captiuitatem Babylonicam, in qua dispergentur Iudæi, iterum congregabo illos in Ierusalem (quod contigit sub Cyro Persarum Rege. 1. Esdræ 1.) Deinde etiam gentiles eis aggregabo, (quod factum est tempore Christi & Apostolorum, quando gentiles ad lucem Euangelij vocati sunt, & ex vtroque populo coaluit vna Ecclesia.) Postea, dicam Romanis (qui propter infidelitatem vocantur bestiæ agri) venite ad deuorandum, id est, ad deuastandam & euertendam ciuitatem Ierusalem. Sed ob quam causam? Quia speculatores eius, Scribæ & Pharisæi, merebuntur hanc pœnam, duplici titulo. Primò, propter suam cœcitatem & incredulitatem. Nam neque ipsi volent Christum agnoscere pro Messia; neque permittuntur, vt Iudæi in eum credant. Et sic vtrique propter incredulitatem digni erunt, qui puniantur. Vnde Christus Matth. 15. 14. Cœci sunt, & duces cœcorum. Et cap. 23. 13. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia claditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Secundò, quia erunt canes muti, non valentes latrare,

id est, ignaui Pastores, non defendentes gregem sibi creditum, nec vitia subditorum reprehendentes. Ex hac interpretatione, quæ textui & Hieronymo conformis est, nihil potest colligi quod sit contra nos. Nam nostra assertio est, Pontificem in veteri testamento non potuisse errare in definiendis legalibus controuersijs, quæ ad ipsum in Concilio deferebantur. Hæc non euertitur per hoc, quod Pharisæi tempore Apostolorum, fuerint cæci, & incredduli in Christum.

8. Quartò, Nec dictum Ieremiæ, quod Lutherani obijciunt, ipsis patrocinatur. Non enim intelligendum est de errore vel mendacio Pontificis in decisione controuersiarum legalium; sed de dolo seu mendacio Sacerdotum & Prophetarum in prædictione futurorum. Cùm enim Ieremias, & alij Prophetæ à Deo missi prædicerent fore, vt populus propter scelera sua puniretur, & in captiuitatem duceretur; Sacerdotes & Pseudoprophetæ blandiebantur populo, & omnia prospera vaticinabantur: & sic miserè illum decipiebant. Hic sensus colligitur ex ipso textu. Nam Ieremiæ prædictio erat hæc: Vir cum muliere capietur, senex cum pleno dierum Et transibunt domus illorum ad alteros, agri & vxores pariter, quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student Quid porrò Sacerdotes & Pseudoprophetæ à sequitur; A Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem populi mei cum ignominia dicentes; Pax, Pax, & non erat pax. Vel vt septuaginta vertunt; A Sacerdote & vsque ad Pseudoprophetam omnes fecerunt mendacium, & curabant contritionem populi mei, parui pendentes & dicentes; Pax, & vbi est pax? quasi dicat. Quidquid ego ædifico; hoc mali Sacerdotes & Prophetæ destruunt. Ego reprehendo scelera populi, & prædico

dico illi captiuitatem; vt hac tatione permoueam ad dolorem & contritionem. Illi contra, dolo & mendacio decipiunt populum, promittendo prosperitatem & pacem; & sic conantur abstergere & curare contritionem, quam ex mea comminatione conceperat. Ex hoc sensu quid inferent aduersarij? Vel nihil, vel hoc: Sacerdotes & Prophetę in veteri Testamento mentiebantur in prædictione futurorum: Ergo Pontifex errabat in decisione controuersiarum legalium. Illatio aduersarij digna.

9. Quintò, quod obijcitur, Ieremiam publico decreto Sacerdotum & Prophetarum fuisse condemnatum ad mortem, non spectat ad præsentem quæstionem. Primò, quia tametsi Sacerdotes & Prophetę peccarint in hoc facto, non tamen errarunt in decisione alicuius controuersiæ legalis (de quo errore hic disputamus) sed tantum in eo, quod dicerent falsam esse prædictionem Ieremiæ de immirente euersione Ierusalem, vt iam explicaui. Deinde, non soli Sacerdotes & Prophetę, sed etiam populus condemnauit illum ad mortem. Cùm enim dixisset Ieremias ex persona & mandato Dei. Dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ, mox sequitur: Et audierunt Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Et paulò post: Apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo, erit domus hęc, & vrbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator? Igitur sententia condemnationis non fuit legitimè & iudicialiter lata in Concilio seu Synedrio, in quo Legales controuersiæ decidebantur; sed in tumultuario concursu ac seditione vulgi, vt etiam à Hieronymo notatum est. Et hoc patet ex euenta. Nam prin-

cipes Iuda, cùm audissent tumultum populi, & conspirationem factam contra Ieremiam, venerunt ad introitum temp'i (vbi seditio excitabatur) & liberarunt Ieremiam à sententia mortis, quod non facilè feciſſent, si sententia à summo Pontifice in Concilio fuisset pronunciata Inspiciatur textus.

10. Ad id denique, quod affertur de Christo à Pontifice, & senioribus morti adiudicato, facilis responsio est. Fateor Caipham, qui tunc erat Pontifex, erraſſe cum Concilio, nec amplius habuisse infallibilem Dei assistentiam, quia Synagoga iam ferè exspirabat. Vide quæ dicta sunt de hoc puncto cap 6. q. 2 §. 5. & sequentibus.

QVÆSTIO III.

An etiam in nouo Testamento sit aliquis Iudex controuersiarum, & quis?

1: CErtum est, aliquem esse. Quis ille sit, quæstio est? Lutherani & Caluinistæ volunt Scripturam esse: Nos, nõ Scripturam, sed Ecclesiam, seu Pontificem, qui est pastor & Caput Ecclesiæ. Quod probaui sex argumentis in peculiari tractatu de Iudice controuersiarum. Quæ breuiter hic reponam.

2. Primum sumitur ex officio Iudicis, hoc modo. Qui est Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, vt vterque litigantium clarè intelligat, quænam sit sententia Iudicis: Et alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latam esse: Alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed vterque suam causam prosequetur. At Scriptura non potest hoc præstare: Ergo non potest esse Iudex controuersiarum. Maior per se clara est Minorem probo, quia Lutherani & Caluinistę multis iam annis litigant de his punctis. 1. De Baptismo paruulorum. 2 De reali

reali præsentia Christi in Eucharistia. 3. De prædestinatione 4. De Persona Christi. 5. De Exorcismo. 6 De numero & Canone librorum Scripturæ. Et tamen Scriptura, quam volunt esse Iudicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controuersias. Nec hactenus auditum est, ita pronunciasse sententiam, vt vel Lutherani vel Caluinistæ fassi sint, contra se pronunciatam esse. Hoc constat ex euentu. Nam vtrique pergunt in studio & ardore litigandi: quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam clarè semel esse latam. Tunc enim, vel vltro cessarent à suscepta contentione, & sententiæ acquiescerent: vel certè, si existimarent iniustè secum actum esse, ad alium Iudicem prouocarent. Neutrum fit.

3. Secundum argumentum sumitur ex parte Scripturę, in qua duo spectanda sunt: Littera, & sensus: sicut in homine, corpus & anima. De illis, vt aliqui interpretantur, locutus est Apostolus. 2. Corinth. 3. 6. cum ait: Littera occidit, spiritus autem viuificat, q. d: Si sequaris verum Scripturę sensum, qui est quasi spiritus & anima viuificans, proderit tibi ad salutem Si autem, neglecto vero & legitimo sensu, hæreas tantum in externa littera, & contendas illum esse sensum quem externa littera præ se fert, sępè errabis. Quam interpretationem sequitur Augustin. serm. 70. de tempore.

4. Hoc posito, duo probanda sunt. Vnum est, quod Scriptura, si litteram spectes, non possit esse Iudex Controuersiarum. Alterum, quod neque si sensum spectes possit esse Iudex. Priorem partem sic probo: Ille non potest esse infallibilis Iudex controuersiarum, qui ducit homines in errorem & hæresim : At Scriptura, si nudam illius litteram spectemus, ducit homines in errorem & hæresim ; Ergo non potest esse infallibilis Iudex controuersiarum. Maior per se notą

se nota est, quia propterea quærimus infallibilem Iudicem, ne erremus: Ergo qui ducit nos in errorem, non est infallibilis Iudex. Minor patet ex Apostolo, quia Scriptura secundùm litteram occidit, id est, in lapsum & errorem ducit.

5. Sic olim occidit Iudæos, qui omnia, quæ in Mose & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundùm externam litteram & sensum interius latentem non percipiebant. Et hoc est, quod ait Apostolus 2. Cor. 3. 15. Vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, id est, Adhuc Iudæi non intelligunt Mosen, quem quotidiè legunt, quia non penetrant interiorum ipsius sensum, sed externa littera contenti sunt. Vel clarius: Non agnoscunt Christum, qui in Mose sub externis cæremonijs ac sacrificijs, tanquam sub velamine occultatus est. Adhuc hærent in ipso velamine, & non considerant, quid sub illo lateat reconditũ. Quod etiam obijcit illis Christus, Ioan. 5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. q. d. Si vultis certò cognoscere, me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moses & Prophetæ scripserunt, non tantum debetis legere scripturas, quoad externam litteram; sed multò magis scrutari internum sensum & spiritum, qui sub externa littera, quasi sub vmbra aut figura delitescit. Hoc hactenus nõ feciſtis. Tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis sitam esse vitam æternam; tamen nescitis, in qua parte sita sit. Non est sita in externa littera, in externis cæremonijs & figuris, vt vos putatis; sed in spiritu, in sensu, in mysterio. Ibi me quærite & inuenietis.

6. Posteriorem sic probo, Scriptura, quoad verum & legitimum sensum, sæpè est obscura. & difficilis intellectu; ac proinde, sæpè oritur con-

tro-

trouersia de vero & legitimo ipsius sensu. Omnis autem cõtrouersia requirit aliquem Iudicem; Debet ergo esse aliquis Iudex, qui definiat hunc esse legitimum sensum, illum non esse. At hic Iudex non potest esse ipsa scriptura. de cuius mente & sententia controuersia mouetur, Ergo aliquis alius, distinctus à scriptura.

7. Tertium argumentum sumitur ex parte controuersiarum. Multæ enim sunt controuersiæ circa fidem & religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certè non sufficiens ad hoc, vt Scriptura de illis sententiam ferre possit, Ergo in ijs dirimendis, alius Iudex quærendus est. Eiusmodi autem controuersiæ sunt hæ. 1. An libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ Ecclesiastici, & Machabæorum sint Canonici & diuini, necne? 2. Quot sint Sacramenta nouæ legis? 3. An exorcismus, & aliæ cæremoniæ in Ecclesia Catholica vsitatæ, possint adhiberi in Baptismo? 4. An Baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi? An baptismus vna mersione conferri debeat? 6. An Christiani, loco Sabbati, debeant colere diem Dominicam? 7. An B. Maria manserit virgo post partum? 8. An Petrus Apostolus fuerit Romanæ Ecclesiæ Episcopus? 9. An symbolum fidei sit verè canonicum & Apostolicum? 10. An in veteri Testamento fuerit aliquod externum remedium pro fœminis contra peccatum originale.

8 Quartum sumitur ex vsu & praxi veteris Testamenti. Nam omnes controuersiæ legales, quæ erant maioris momenti, à summo Sacerdote seu Pontifice, tanquam à supremo in terris. Iudice, non autem à Scriptura debebant dirimi ac definiri, vt suprà copiosé ostensum est.

9. Quintum ex vsu & praxi noui Testamenti, vbi idem hactenus seruatum est. Nam tempore Apostolorum fuit orta controuersia de circumcisione: An scilicet noui Christiani, qui tunc fi-

Euangelij recipiebant, non posſint ſaluari, niſi circumciderentur, & legalia ſeruarent? Quæ controuerſia potiſſimum intelligebatur de gentilibus ad fidem conuerſis. Erat autem duplex de hac re ſententia: Vna quorundam, qui ex Iudæis facti erant Chriſtiani; qui dicebant gentiles per fidem Chriſti non poſſe ſaluari, niſi circumciderentur, & cæremonias legis Moſaicæ obſeruarent. Altera Pauli & Barnabę, qui aſſerebant, non opus eſſe circumciſione, & obſeruatione legalium (Actuum 15. 1.) At quomodo deciſa & definita eſt hæc controuerſia? An ad ſolam Scripturam, tanquam ad communem Iudicem delata eſt? Nihil minus. Sed potius ex conſenſu vtriuſque partis delecti ſunt aliqui, qui Hieroſolymam irent ad Apoſtolos, vt ipſi in ſolemni Concilio de tota re cognoſcerent, & definitiuam ſententiam pronunciarent. Quod & factum eſt. Nam ex vna Parte deſignati ſunt Paulus & Barnabas; & ex altera, alij, qui ſimul Hieroſolymam profecti, Apoſtolos & ſeniores adierunt. His coacto Concilio, & inuocato Spiritu ſancto, reſponderunt his verbis: Viſum eſt Spiritui ſancto: & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.

9. Poſt tempora Apoſtolorum, aliæ atque aliæ controuerſiæ, diuerſis locis atque ætatibus exortæ ſunt, quas ſimiliter à Pontifice Romano, vel à Concilijs ab eo approbatis, deciſas ac diremptas eſſe, notum eſt ex hiſtorijs Eccleſiaſticis. Et qui illorum ſententiæ noluerunt acquieſcere, pro hæreticis habiti & damnati ſunt. Huius rei multa exempla adduxi in ſupradicto tractatu de Iudice Controuerſiarum.

10. Sextum ſumitur ex analogia Iudicis controuerſiarum ciuilium. Quod ſic propono. Inter res fidei ac religionis ex vna parte, & inter res ciuiles

ciuiles ac politicas ex altera, potest spectari multiplex analogia. 1 Sicut in politicis ac ciuilibus sæpè oriuntur lites ac controuersiæ, quę requirunt aliquem Iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam fit in fide ac religione. 2. Sicut in controuersijs ciuilibus distinguuntur hęc tria: Iudex, Lex scripta, & Consuetudo: sic etiam in controuersijs fidei, hæc tria, Iudex, Scriptura vtriusque Testamenti, & Traditio. 3. Sicut Princeps vel Magistratus sæcularis fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum, ciuilium: Sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Iudicis in decisione controuersiarum fidei. 4 Sicut Lex scripta est quasi Norma quędam seu Regula, quam sequitur Iudex sæcularis in decidendis controuersijs ciuilibus: sic etiam Scriptura vtriusque Testamenti est quasi Norma quędam seu Regula, quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in decidendis controuersijs fidei. 5. Sicut sola Lex scripta non est sufficiens & integra Norma omnium controuersiarum ciuilium, sed Lex scripta & consuetudo simul: sic etiam sola Scriptura vtriusque Testamenti non est sufficiens & integra Norma omnium controuersiarum fidei, sed Scriptura & traditio simul. Hæc clara sunt, Obiectiones alibi solutæ.

CAPVT XIII.

De Instrumentis Diuini cultus.

1. DIxi hactenus de ministris Synagogæ, qui ad diuinum cultum erant deputati: Nunc dicendum est de instrumentis, quibus diuinus cultus peragebatur. Deinde de ipso cultu, qui consistebat in sacrificijs, Sacramentis, & obseruantijs legalibus. Et quidem instrumenta diuini cultus erant hęc. 2. Taberna-

culum. 2. Templum, quod ſucceſſit in locum Tabernaculi. 3. Arca fœderis, quę prius fuit in Tabernaculo, poſtea in templo. 4. Propitiatorium, quod erat ſupra Arcam. 5. Candelabrum habens ſeptem lucernas. 6. Menſa panum propoſitionis. 7. Altare thymiamatis. 8. Altare holocauſti. 9. Vaſa ſacra. 10. Veſtes ſacerdotales. De quibus D. Thomas in 1. 2. quæſt. 102. artic. 4. Et quidem de veſtibus ſacerdotalibus iam antea dictum eſt, cap. 8. quęſt. 5. De reliquis hic dicendum. Addam aliquid de Synagogis & Cathedris, in quibus Scriptura legebatur & explicabatur.

Tabernaculum & Templum.

2. Tabernaculum erat immobile & portabile, quod per partes poterat diſſolui, & eonuaſari, quando mouenda erant caſtra, Exodi 26. Templum verò à Salomone ędificatum, erat fixum & immobile, de quo 3. Reg. 6. & ſeq. Ratio duplex eſt. Vna litteralis, altera myſtica, Litteralis eſt, quia Iudæi ab egreſſu ex Ægygto, vſque ad tempora Salomonis, non fuerunt quieti. Nam primò per 40. annos erraruut in deſerto. Poſtea habuerunt perpetua bella cum vicinis gentibus in Palæſtina. Itaque conueniens fuit, vt haberent Tabernaculum mobile, quod poſſent transferre de loco in locum, non autem fixum & immobile, ne à gentibus occuparetur. At tempore Salomonis, cum eſſent in ſumma pace & quietè, poterant ſine vllo periculo habere Templum fixum & immobile, in quo Deo ſeruirent. Myſtica eſt, quia per Tabernaculum, quod erat mobile & mutabile ſignificabatur ſtatus vitę prędentis, quæ ſimiliter mutationibus obnoxia eſt. Per templum verò, quod erat fixum & ſtans, ſignificabatur ſtatus futurę vitæ immutabilis Vnde etiam legimus, quod in ędificatione templi non ſit auditus ſonitus mallei vel ſecuris (3. Regum 6. v. 7.)

quia

quia nec in futura vita erit vllus strepitus aut turbatio (Apocal. vigesimo primo versu quarto.

3. Quod ad structuram vtriusque attinet, Tabernaculum erat longum triginta cubitis: latum decem? altum decem. Et diuisum in duas partes, quarum vna dicebatur Sanctum, habens viginti cubitos in longitudine: Altera, Sanctum Sanctorum habens decem cubitos. Itaque Sanctum erat quadrangulum, habens longitudinem viginti, & latitudinem decem cubitorum. Inter vtrumque erat velum, quo Sanctum diuidebatur à Sancto Sanctorum. Et quidem in Sancto erat candelabrum, mensa panum propositionis, & altare thymiamatis; In Sancto Sanctorũ, Arca fœderis cum propitiatorio. In Sanctum quotidie ingrediebantur Sacerdotes manè & vesperè, tum vt adolerent thymiamata; tum etiam vt vesperè accenderent lucernas candelabri, & manè eas extinguerent At in Sanctum Sanctorum, solus Pontifex ingredi poterat, idque semel in anno, nempe in festo expiationis, (Leuit. 16.

4. Erat autem tabernaculum constructum ex viginti tabulis lignorum Setim inauratis, in longitudine versus meridiem: Et totidem in longitudine versus Septemtrionem. At versus Occidentem, vbi erat latitudo, habebat octo tabulas. Versus Orientem, nullam. Ibi enim erat ingressus in Tabernaculum, ideoque nihil aliud ibi erat, nisi quinque columnæ inauratę, quæ velo tegebantur: ita vt Sacerdotes eleuato velo, possent intrare (Exod. 26. 25. & sequentibus.)

5. Tegebatur autem tam supernè, quàm ad latera: Primo quidem, decem cortinis, factis ex cocco, purpura, hyacintho ac byssо: quæ per modum tentorij erant tensæ & expansæ. Secundo, vndecim sagis seu stragulis cilicinis. Tertio, pellibus arietum rubricatis. Quartò, pellibus ianthinis,

thinis, contra pluuias & procellas. (Exodi. 26. 30. & ſequentibus.) Dices. Si Tabernaculum fuit vndique tectum & velatum, quomodo potuit lumen admittere? Reſpondeo. Admittebat lumen per illam partem Orientalem, vbi Sacerdotes, ſubmoto velo, ingrediebantur. Ibi enim nulla erat tabula, vt dictum eſt, ſed tantum quinque columnæ inauratæ.

6. In circuitu Tabernaculi erat Atrium, ſupernè patens & ſub dio, quod vndequaque ambiebat Tabernaculum; ita vt Tabernaculum ſtaret in medio Atrij, ſicut apud Chriſtianos templum ſolet ſtare in medio cemiterij, (Exodi. 40. 31.) Hoc atrium erat quadrangulum, habens centum cubitos in longitudine, & quinquaginta in latitudine, & quinque in altitudine. (Exodi. 27. 18.) Cingebatur ſexaginta columnis æneis; quarum viginti erant ad Meridiem; viginti ad Aquilonem; decem ad Occidentem; & decem ad Orientem. In iſtis columnis eminebant paxilli, id eſt, claui, è quibus tentoria, id eſt, vela vel cortinæ ſuſpendebantur. (Exodi 27. verſu 10. & ſequentibus, & Exodi 35. verſu 17) In introitu atrij, erat tentorium, ſeu cortina cubitorum viginti, pendens ex quatuor columnis (Exodi vigeſimo ſeptimo, verſu 16) Ab introitu atrij vſque ad Tabernaculum erat longitudo & latitudo quinquaginta cubitorum, vt caperet populum. Nam iſte locus erat quaſi templum laicorum, in quo orabant & ſacrificia offerebant. Non enim poterant intrare in Tabernaculum. In eodem atrio, non quidem verſus introitum, ſed verſus Tabernaculum erat altare holocauſti ſub dio & inter altare & Tabernaculum erat labrum æneum, ad lauandum. Exodi trigeſimo, verſu decimooctauo.

7. Templum, quod Salomon poſtea ædificauit, fuit multò maius ac capacius, quam Tabernaculum. Et tria in eo ſpectari debent. 1. Templum.

plum ipsum. 2. Atria circa templum sub dio. 3. Porticus Salomonis sub tecto. Porrò templum ipsum, sicut etiam de Tabernaculo dictum est, continebat duas partes. Vna respondebat Sancto, in qua erant candelabra, mensæ & altare thymiamatis. Altera Sancto Sanctorum, in qua Arca fœderis, cum propitiatorio. Inter vtramque partem erat velum, de quo Matth. 27. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.

8. De atrijs quæstio est, quot fuerint? constat vnum tantum fuisse iuxta Tabernaculum: plura, quàm vnum, iuxta templum. At quot? Aliqui distinguunt. Aiunt duo fuisse, tempore Salomonis: Vnum interius iuxta templum. pro Leuitis & Sacerdotibus, vbi erat altare holocaustorum, & mare æneum: alterum exterius. pro populo, vbi laici orationis causa conueniebant. De vtroque intelligitur illud. 2. Paralip. 4. 9. Fecit etiam atrium Sacerdotum. & basilicam grandem. Tria verò tempore Herodis: Primum pro Sacerdotibus: Secundum pro laicis: Tertium pro immundis & gentilibus. Vide Azorium lib. 6. Institut. Moral. cap. 53. & Cornelium in cap. 27. Exodi versu 9.

9. Nota secundum atrium fuisse quasi templum laicorum, in quo orabant, victimas Sacerdotibus offerebant, sacrificia spectabant, hostias pacificas comedebant: ideoque in Euangelio templi nomine appellari. Matth. 21. 12. Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur. Et infrà Pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna filio Dauid. Quæ omnia intelliguntur de atrio laicorum. Nam in templum propriè dictum nulli licebat ingredi, nisi Sacerdotibus Aaronicis

(Hebr.

(Heb. 9. 6.) Nec Christus aut pueri vnquam illud ingressi. Vide Maldonatum in cap. 21. Matth. v. 12. & Cornelium loco citato.

10. De porticu Salomonis similiter quæstio est, an fuerit aliquid distinctum ab atrio seu templo laicorum? Probabile est, fuisse dictinctum. 1. quia porticus erat sub tecto; atrium sub dio. 2. in porticu ambulabant Iudæi, in atrio orabant. De porticu dicitur Ioan. 10 23. Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. De atrio. Domus mea domus orationis vocabitur. Vide Azorium lib. 6. ca. 13. qu. 3.

Arca fœderis.

11. Arca fœderis (de qua Exodi 25. 10.) primo fuit in Tabernaculo, postea in templo. Et quidem, quamdiu fuit in Tabernaculo, sæpè de loco in locum translata est. Nam post finitam peregrinationem in deserto, cùm iam filij Israel ingressi essent terram promissionis; primò posita fuit in Galgalis. Secundò in Silo. Tertjò, in Nobe. Quartò, in Gabaon. Quintò, in Hierusalem. Ratio litteralis est, quia Arca manebat ordinariè in illo loco, vbi Pontifex residebat: At ille sepè mutabat locum, antequam templum erat ædificatum à Salomone Mystica est, quia Arca fuit figura cœtus Beatorum. At beati in hac vita, erant varijs mutationibus obnoxij: In altera, sunt quieti & constantes. Nam hæc vita comparatur Tabernaculo, quod mouebatur; altera, templo Salomonis, quod certo loco consistebat.

12. Forma Arcæ erat quadrangula, non quadrata. Habebat enim duos cubitos, & dimidium longitudinis: vnum cum dimidio, latitudinis: & vnum cum dimidio; altitudinis. In quatuor angulis habebat quatuor circulos aureos, quibus inducebantur vectes inaurati, ad portādum. Erat

autem

eutem facta ex lignis Setim inauratis, in eum finem, vt in ea reponerentur tabulæ legis Decalogi. Vnde etiam dicta est Arca Testimonij, id est, Legis, quia lex continebat attestationem diuinæ voluntatis: Et in ea Deus testamentum reliquerat, quid à nobis fieri vellet. Item, Arca testamenti seu fœderis, quia lex quę seruabatur in Arca, erat conditio fœderis inter Deum & Hebræos initi.

13. Et ob hanc causam summa erat veneratio Hebræorum erga Arcam: quod etiam ex his colligi potest. Primo, quia ponebatur in Sancto Sanctorum, tanquam in loco honoratissimo. (Heb. 9. 3.) Secundo, præcedebat castra, quando populus proficiscebatur, & super illam columna nubis imcumbebat. (Num. 10. 33.) Tertiò, portabatur ordinariè à Leuitis, (1. Paralip. 15. 15.) Extraordinariè à Sacerdotibus; vt in transitu Iordanis, & in demolitione murorum Iericho. (Iosue 6. 6.) Numquam à laicis. Vnde etiam morte punitus est Oza, quod cum laicus esset, ausus fuisset, non dico portare, sed vel manu attingere Arcam Domini. (2. Reg. 6. 7.) Quarto, quando à Leuitis eleuabatur Arca vt præcederet castra, tunc orabat Moses coram illa, dicens: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Quando verò deponebatur, dicebat Moses: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israël. (Num. 10. 34.) Propter has & similes causas vocabatur gloria Israel. Vnde vxor Phineos 1. Reg. 4. 21. Translata est, inquit, gloria de Israel, quia capta est Arca Domini.

14. Est autem vetus quęstio, an præter duas tabulas legis Decalogi, fuerit aliquid aliud in Arca? Nam quod nihil aliud in ea fuerit, colligi potest ex illo 3. Reg. 8. 9. In Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulę lapideę, quas posuerat in ea Moses in Horeb, quando pepigit Dominus

fœdus

fœdus cum filijs Israël. At Apostolus affirmat, præter duas tabulas fuisse, etiam manna, & virgam Aaron. Sic enim scribit Hebr. 9. 4. Tabernaculum habens Arcam Testamenti, in qua vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, quę frondauerat, & tabulæ Testamenti. Ad hanc quæstionem respondet Chrysostomus & Theophylactus, tempore Mosis in Arca nihil fuisse nisi tabulas legis, sed postea à Ieremia, circa tempus captiuitatis Babylonicæ, appositam fuisse vrnam cum manna, & virgam Aaronis. Idque Paulum Apostolum per traditionem accepisse à Gamaliele præceptore suo, de quo ipse meminit. Actor 22. 3. Alij alii er respondent, vt videre est apud Riberam & Cornelium. in caput nonum Hebræorum.

25. Est & alia quæstio; An Arca, quę primo fuit in Tabernaculo, deinde in templo Salomonis vsque ad tempus captiuitatis Babylonicæ, postea etiam fuerit in templo secundo, quod post reditum ex captiuitate Babylonica ædificatum est? Respondeo. Non fuit. Quod sic ostendo: Ieremias Propheta, antequam templum Salomonis vastaretur, ex instinctu Dei abstulit Tabernaculum. Arcam & altare thymiamatis, & portauit (ope Angelorum, vt multi volunt) in montem Nebo, & ibi in quadam spelũca occultauit, vt expressè habetur. 2. Mac. 2. 4 his verbis: Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum & Arcam iussit Propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exijt in montem in quo Moses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Ieremias, inuenit locum spelunceæ, & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et mox additur: Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autẽ cognouit Ieremias, culpans illo dixit: Quod ignotus erit locus donec congreget

Deus

Deus congregatione populi, & propitius fiat; & tũc Dominus ostendet hęc, & apparebit Maiestas Domini. Ex quo colligit Epiphanius in vita Mosis, Dorotheus in Syhopsi, & alijboni Authores, Tabernaculum, Arcam, & altare thymiamatis occultanda, vsque ad finem mundi, & tunc demum manifestanda, ad conuersionem Iudæorum. Si ita est, sequitur primò non fuisse Arcam in templo secundo, quod post reditum ex Babylone ædificatum est. Secundò falsum esse, quod aliqui asserunt, eo tempore, quo templum secundum à Romanis euersum est. Arcam à Tito in triumphum ductam esse. Quod ideò sibi persuadent, quia Romę in arcu Titi triumphali, apparet depicta Arca, sed errant. Non est Arca, sed mensa panum propositionum, vt affirmat Iosephus, qui triumphi spectator fuit. Vide Cornelium in cap. 25. Exodi, & Serarium in cap. 2. lib. 2. Machab. q. 17. 18. 19.

Propitiatorium.

16. Super Arcam, quæ supernè patebat, erat operculum ex puro auro factum, quod dicebatur propitiatorium, vel oraculum. Super illud stabant duo Cherubin, seu duo Angeli Cherubini, similiter ex puro auro; alter in dextero latere, alter in sinistro, qui expansis & coniunctis alis, tegebant propitiatorium: & super illas alas sedebat Deus, tanquam in throno, habens sub se Arcam cum operculo, id est, cum Propitiatorio, tanquam scabellum pedum suorum, (Exodi 25. versu decimo septimo. & sequentibus.) Quo etiam spectant hæc testimonia. 4 Reg. 18. 15. Dominus Deus Israel, qui sedes super Cherubim, id est, super alas Cherubinorum. Et primo Paralipomenon. 28. 2. Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum Dei nostri. Et Psal. 98. 5. Adorate scabellum

te scabellum pedum eius, id est. adorate Arcam; vel, prosternite vos ante Arcam; quæ est scabellum pedum Domini Dei, sedē is super alas Cherubin Vide Bellarm. in Commētario illius Psalmi, Cornelium in cap. 25. Exodi. Azorium lib. 6. Institut. moralium capite 44. & 45.

17. Porro coperculum arcæ dictum est, vel propitiatorium, vel oraculum. Propitiatorium, quia erat locus placationis, vbi Deus loquens cum Mose, placabatur, & propitiabatur populo, Exodi 25. 22. Loquar ad te supra propitiatorium, & de medio Cherubin, qui erunt super Arcam testimonij. Oraculum verò; quia Deus dabat ibi responsa; seu viuæ vocis oracula, quando Moses consulebat illū de rebus dubijs, vel futuris (Numer. 7. 80.) Cum ingrederetur Moses Tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super Arcam Testimonij inter duos Cherubim. Vnde & loquebatur ei. Vide, quæ dicta sunt c. 7. q. 4. §. 9. & q. 5. §. 16.

Candelabrum.

18. Dictum est de Arca & Propitiatorio, quæ erant in Sancto Sanctorum. Nunc dicendum est de candelabro, mensa panum propositionis, & altari thymiamatis, quæ erant in Sancto, Candelabrum quidem ad meridiem; mensa ad Septemtrionem; altare in medio vtriusque. (Exodi 40. 20.) Loquor autem de vnico Candelabro, quod fuit in tabernaculo, non de decem candelabris, quæ fuerunt in templo Salomonis.

19. Igitur candelabrum constabat ex auro purissimo. Ex illius hastili procedebant sex calami seu rami, qui omnes æqualiter cum hastili in altum assurgebant. Superius erant septem lucernæ, vna in hastili; reliquæ in sex ramis. (Exodi 25. 31.) Hæc lucernæ illuminabant mensam panum

ni propositionis, & altare thymiamatis; sed tantum nocte. Quod intelligitur ex illo Exodi 27. 20. Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij, extra velum, quod appensum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque manè luceat coram Domino. Vbi notandum est illud vsque mane, vt sensus sit: Luceat nocte & non die. Igitur quotidie per totum annum, vespere Sacerdotes accendebant lucernas, vt tota nocte arderent. Mane verò eas extinguebant, mundabant, componebant & oleum infundebant. Quod apertius explicatur Leuitici vigesimoquarto, versu secundo: Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron à vespere vsque ad mane coram Domino. (Vide etiam primo Regum tertio, versu tertio, & 2. Paralip. 13. versu vndecimo.) Præter candelabrum, erant emunctoria ex auro purissimo, quibus lucernę emungebantur: & thuribula, seu vasa, in quibus ea, quæ emuncta erant, extinguebantur. (Exodi vigesimoquinto, v. 38.)

Mensa panum propositionis.

20. Hæc mensa facta erat ex lignis Setim, auro obductis: longa duos cubitos; lata vnum; alta vnum & medium. Supernè labio seu limbo aureo, & clausura aurea circumdata, ne panes decidérent: Habens quatuor pedes, quibus fulciebatur. Singuli pedes habebant singulos annulos, in quos vectes lignei, & auro obducti inferebantur, ad mensam tollendam, & de loco in locum transportandam. (Exodi 25. 23.)

21. In hac mensa ponebantur duodecim panes, de

nes, de quibus notanda sunt hæc. Primò, erant duodecim, quia totidem erant tribus filiorum Israel. Secundò, dicebantur panes propositionis, vel panes faciles, quia in conspectu Dei proponebantur. (Exodi 25. v. 30.) Tertiò, erant azymi ex simila puriſſima, & singuli ponderabant duas decimas. (Leu. 34. 5.) Quartò, sex ponebantur in vna parte mensæ, & totidem in altera. (ibidem vers. 6.) Quintò, his panibus imponebatur thus, ad significandum, Deo oblatos esse. (ibidem versu 7.) Sextò, singulis Sabbatis auferebantur veteres, & ponebantur noui, adhuc calidi. (ibidem versu 8.) Sep imò, veteres comedebantur à solis Sacerdotibus. (Matt. 12. 4.) Octauò, noui pinsebantur à Leuitis, (1. Paralip. 9 32.) Nonò, simila, ex qua fiebant, offerebatur à populo. (Leuit. 24. 5.) Vnde sequitur, & Laicos, & Leuitas; & Sacerdotes aliquid egisse circa hos panes. Laici offerebant materiam; Leuitæ pinsebant; Sacerdotes manducabant. Falsa igitur est Hebræorum Traditio, de qua Hieronymus in cap. 1. Malachiæ: Panes propositionis, iuxta Traditiones Hebraicas, ipsi Sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant.

Altare thymiamatis.

22. Altare erat duplex; Vnum thymiamatis seu incensi, in quo incendebatur thus, & alia aromata suauissimi odoris: alterum holocaustorum, in quo omnes victimæ offerebantur. Igitur de altari thymiamatis, de quo nunc sermo est, hæc notanda sunt (Exodi 30)

23 Primo, factum erat ex lignis Setim inauratis, longum cubitũ vnum; latũ cubitum vnum; altum cubitos duos. Habens quatuor cornua, & coronam auream per gyrum. In medio habens craticulam reticulatam, per quam fauillæ & cineres aromatum incensorum decidebant sub altare, vt inde

vt inde suo tempore eximerentur. Habens insuper quatuor annulos, per quos inserebantur duo vectes quibus portabatur à Sacerdotibus per desertum.

24. Secundò, Hoc altare positum erat in Sancto, inter candelabrum & mensam panum propositionis, obuersum propitiatorio seu Oraculo, quod erat in Sancto Sanctorum super Arcam. Vnde etiam vocari solet altare Oraculi; quia ita erat obuersum Oraculo, vt per aperturam, quæ erat supernè in pariete, diuidente Sanctum à Sancto Sanctorum, ascenderet fumus aromatum ex altari thymiamatis, & perueniret ad ipsum Oraculum, vbi Deus residens super alas Cherubin, dabat responsa: idque eo fine; vt Deus isto suffitu ac odore aromatum, tanquam supremus omnium Dominus, honoraretur.

25. Tertiò, in hoc altari nullæ victimæ, sed tantum thymiamata, seu aromata suauissimi odoris incendebantur, non tantum à Pontifice, sed etiam à minoribus Sacerdotibus, qui quotidie bis, semel mane & semel vespere illud præstabant, vt cap. 7. quæstione 4. §. 1. dictum est. Non quod Deus delectaretur eiusmodi odoribus (cùm sit incorporeus,) sed quod esset signum magnæ veneration is, ac reuerentiæ erga Deum, tanquam supremum Dominum, vt iam ante insinuaui.

Altare holocausti.

27. Hoc altare, in quo holocausta, & quæuis alia sacrificia Deo immolabantur & cremabantur, non erat in tabernaculo, sed in Atrio Sacerdotum, sub dio positum, propter ignem, fumum & nitorem victimarum, vt suprà dixi. De quo similiter hęc notanda sunt, (Exodi vigesimoseptimo & trigesimooctauo.)

Primò, erat factum ex lignis Setim, quę æneis tabulis

tabulis interius & exterius tegebantur, ne ab igne læderentur. Longum cubitos quinque, latum totidem; altum tres. Interius cauum & inane, ad continendum ignem pro comburendis sacrificijs. (Exodi vigesimoseptimo, v. 1. & 8.)

Secundo, habebat superne craticulam æneam, foraminibus plenam, instar retis, quæ totam altaris longitudinem & latitudinem occupabat. Huic craticulę imponebantur victimę, vt à subiecto igne crematentur, & earum cinis per foramina craticulæ sub altare decideret.

Tertio, ex eadem craticula pendebat arula ænea, vel foculus æneus, in ipsa altaris cauitate, in quo foculo erat ignis ad comburendas carnes, quæ in superiori craticula ponebantur. His ignis (qui de cœlo fuerat missus) quotidie nouis lignis appositis fouebatur à Sacerdotibus, ne vnquam extingueretur. Foculus, in quo erat ignis, pendebat in cauitate altaris, & supernè per quatuor catenulas affigabatur ad quatuor altaris & craticulæ cornua.

Quarto, altare habebat quatuor annulos aureos, per quos vectes inferebantur ad portandum altare. Totidem annulos & vectes habebat craticula, distinctos ab annulis & vectibus altaris, vt seorsim portari possit.

Quintò, in hoc altari, mane & vespere quotidie, primò immolabatur Agnus, quasi iuge sacrificium, de quo sequenti capite. Deinde aliæ victimæ, siue essent votiuę, siue spontaneæ, siue præceptę, ob aliquod festum incidens.

Labrum æneum, & reliqua vasa sacra.

27. Vasa, quæ seruiebant pro Tabernaculo & Atrio, erant potissimum hæc. Primò, labrum æneum (Exodi trigesimo, versu decimooctauo & capite trigesimooctauo, versu octauo.) Secundò,

Aceta-

Acetabula, phialæ, thuribula, cyathi. (Exodi vigesimoquinto, versu vigesimonono.) Tertiò, Labetes ænei. (Exodi vigesimoseptimo, versu 3.) Quartò, mortariola & crateres. (Num. 4. 7.) De singulis dicam aliquid.

28. Labrum æneum erat vas quoddam ex ære factum, vt in eo lauarentur Sacerdotes, antequam accederent ad sacrificia. Et similiter partes victimarum, antequam immolarentur. Erat autem factum ex æneis speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi, vt habetur Exod. trigesimooctauo, versu 8. Apud Hebræos vocabatur Conoha; apud Septuaginta Interpretes Λουτήρ, id est, lauatorium. Huic simile curauit fieri Salomon, sed multò capacius, quod ob magnitudinem dictum est Mare æneum. De quo 3. Regum 7. versu vigesimotertio. Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum in circuitu. Et stabat super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem.

29. Acetabula, phialæ, Cyathi, thuribula, facta erant ex puro auro, & seruiebant in vsum mensæ; & in ea tanquam in repositorio, asseruabantur. Hoc sensu intelligendum est illud Exodi 37. 16. Et vasa ad diuersos vsus mensæ, acetabula, phyalas, & ciathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. Villapandus lib. 4. de templo c. 57. per acetabula intelligit crateres aureos, quibus singuli panes imponebantur. Per thuribula, eorum opercula, ne panes à pulueribus, vel à muscis fœdarentur. Per phialas, vasa, quibus imponebatur thus supra ipsos panes. Per cyathos, vasa, quibus vinum pro panibus libabatur.

30. Alij sic explicant. Acetabula erant scutellæ vel catini, ad excipiendum & continendam si-

milam, quæ offerebatur. Phialæ erant vasa parua & concaua, parata ad vinum, & alia huiusmodi ad sacrificijs fundēda. Septuaginta vocā Σπόνδους, id est, mortaria. Hieronymus sæpè appellat mortariola. Cyathi ad eundem vsum seruiebant: thuribula facta erant ad duplicem vsum. 1. ad offerendum thymiama, quod adolebatur. 2. ad asseruandum thus, quod ponebatur super panes propositionis. (Leuit. 24. 7.) Noster alibi crateras; Septuaginta, libatoria vertunt.

31. Lebetes ænei (de quibus Exodi 27. 3.) subseruiebant altari holocaustorum, ad suscipiendos cineres victimarum, qui cadebant per foramina craticulæ positæ supra altare, vt habetur loco citato: faciesque in vsus eius (altaris) lebetes ad suscipiendos cineres, &c.

32. Quæres, quid hæc omnia significauerint? Vel, cuius rei figura fuerit tabernaculum, & reliqua, quę iam recensita sunt? Respondeo. Tabernaculum fuit figura Ecclesię Christi, quatenus complectitur Ecclesiam militantem in terris, & triumphantem in cœlis. Quod sic declaro. Tria spectari poterant in tabernaculo. 1. Atrium, quod erat circa tabernaculum. 2. Sanctum, quod erat vna pars tabernaculi. 3. Sanctum Sanctorum, quod erat altera pars tabernaculi.

Igitur Atrium fuit figura Ecclesiæ militantis, quoad communem vitam Christianorum. Nam in Atrio erant tria. 1. Locus orationis laicorum. 2. Labrum æneum, ad abluendas sordes. 3. Altare holocausti, ad cremanda animalia. Similiter tria sunt in communi vita Christianorum. 1. Communis oratio. 2. Sacramentum pœnitentiæ, quo abluuntur peccata. 3. Mortificatio vitiorum, per ieiunium, & alia pia opera.

Sanctum fuit figura eiusdem Ecclesiæ militantis, quoad viram perfectorum. Nam in Sancto erant tria. 1. mensa panum propositionis. 2 altare

tare thymiamatis. 3. Candelabrum lucens. Sic etia sunt in vita perfectorum. 1. Sacramentum Eucharistiæ, quod fuit significatum per panes propositionis, vt docent Hieronymus, Cyrillus, Damascenus & alij. 2. Iugis oratio & contemplatio, quæ fuit præfiguiata per aromata, quæ incendebantur in altari thymiamatis. (Apoc. 5. 8.) 3. Doctrina & Sanctitas, cuius typum gessit Candelabrum lucens (Matth. 5. 5.)

Sanctum Sanctorum fuit figura Ecclesiæ triumphantis. Nam tria erant in Sancto Sanctorum. 1. Arca fœderis. 2. Propitiatorium. 3. Cherubini. Sic tria sunt in cœlo. 1. Cœtus Beatorum. 2. Humanitas Christi glorioſa. 3. Angeli sancti. Rursum, in Arca erant tabulæ Decalogi, vrna cum manna, & virga Aaronis floreſcens. Sic in cœtu beatorum, est perfecta charitas Dei & proximi; abundantia diuinæ suauitatis; & glorioſa sanctorum corpora.

Synagoga & Cathedra.

33. Synagogæ, vt initio capitis sexti dictum est, erant ædificia sacra, in quibus Iudæi singulis Sabbatis solebãt scripturam legere & explicare. Dictæ sunt autem Synagogæ, id est, congregationes, quia erant domus seu Ecclesiæ, in quibus Iudæi congregabantur. Sicut enim Christiani hoc tempore solent congregari in templis, ad audiendas conciones diebus festis; ita Iudæi soliti erant congregari in Synagogis, ad legendam & audiendam legem Mosaicam. (Marci 1. 21. & Lucæ 4. 16. & Act. 13. 14.)

34. In singulis Synagogis erant Cathedræ, seu scdilia, in quibus sedebant, tum illi, qui legebant & explicabant legem Mosaicam; tum illi, qui audiebant, vt patet Matth. 23. 6. vbi de Scribis & Pharisæis dicitur: Amant primas Cathedras in Synagogis. Ex quo sequitur, quasdam fuisse Cathedras honoratiores pro Phariſæis & legis

Doctoribus: alias minus honoratas pro populo, qui ab illis instruebatur.

35. Quæres 1. In quem vsum fuerint ædificatæ Synagogæ? Respondeo. In triplicem vsum, vt colligitur ex scriptura. 1. Ad docendum & prædicandum Moysen ac Prophetas. 2 Ad orandum. 3. Ad puniendos delinquentes. Ita Toletus in c. 16. Ioannis, annot. 2. & Torniellus in annalibus, anno mundi 2594. n. 14. Nam primò, solebant Doctores populi singulis Sabbatis conuenire ad Synagogas, ibique legere & explicare libros Moysis ac Prophetarum. Act. 15. 21. Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; vbi per omne Sabbatum legitur. Et quidem ordinarij Doctores erant Scribæ & Phariſęi, Matth. 23. 2. Super cathedram Moysis sederunt Scribę & Phariſæi. Quod autem officium sępè vsurpauit Christus. Marci 1. 21. Sabbatis ingressus in Synagogam, docebat eos. Et Lucæ 4. 15. Et ipse docebat in Synagogis eorum. Et alibi. Solebant aliquando ordinarij Doctores, postquam legissent & explicassent aliquem Scripturæ locum, offerre etiam alijs potestatem legendi & explicandi, præsertim aliundè accedentibus. Sic obtulerunt Paulo & Barnabæ. Actor. 13. Ingressi Synagogam die Sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis & Prophetarum, miserunt Principes Synagogę ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite: Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitę, &c. Sic etiam videtur obtulisse Christo, Lucæ 4. 16. Intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ: Et vt reuoluit librum: inuenit locum, vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant

erant intenti in eum. Cœpit autem dicere, &c. Certè minister, qui obtulit illi librum Isaiæ, fecit hoc iussu Scribarum & Pharisæorum, qui Synagogæ præsidebant.

36. Secundò, solebant etiam Iudæi, orationis causa, venire ad suas Synagogas, vt patet, Iudith 6. 21. Conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israël. Vbi per Ecclesiam non potest aliud intelligi, quam Synagoga illius loci. Sicut etiam Psal. 25. 12. In Ecclesijs benedicam te Domine Et Psal 67. 27. In Ecclesijs benedicite Deo Domino. Quod apertè confirmatur ex illo Matth. 6. 5. Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Vbi reprehenduntur Scribæ & Pharisæi, non ideo præcisè, quod orarent in Synagogis (quia hoc erat licitum & vsitatum) sed quod ibi orarent, vt viderentur ab hominibus. Itaque non tam oratio in Synagogis, quàm inanis gloria fuit à Christo reprehensa.

37. Tertiò, solebant denique in suis Synagogis punire eos, qui vel verè deliquerant, vel falsò putabantur deliquisse. Quod faciebant dupliciter. Primò, eijciendo illos extra Synagogam. Quam pœnam valdè formidabant Iudæi. Ioan. 9. 22. Hæc dixerunt Parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret Et Ioan. 12. 42. Ex Principibus multi crediderunt in Christum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur.

Secundò, alias pœnas corporales, in ipsis Synagogis, infligendo. Matth. 10. 17. In Synagogis suis flagellabunt vos. Et Matth. 23. 34. Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in Synagogis vestris. Et actor. 22. 19. Ego eram con-

cludens in carcerem: & cædens per Synagogas vos, qui credebant in te Et cap. 26. 11. Per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare.

38 Quæres 2. Quando primum cœperint ædificari Synagogæ? Aliqui putant tempore captiuitatis Babylonicæ. Tunc enim Iudæi in exilio constituti, non habebant templum, in quo orarent, & Legis Mosaicę explicationem audirent. Itaque necesse fuit, vt ędificarent quasdam domos, in quibus id præstare possent. Alij rectius sentiunt, multo ante id factum esse, vt Toletus & Torniellus loco citato. Ratio est, quia ante Captiuitatem Babylonicam, tępore Regum ac Iudicum necesse fuit, Iudæos habere aliquem locum, in quo singulis Sabbatis orationi & lectioni Legis Mosaicæ vacarent. Hoc autem non potuit fieri in eo tantum loco, vbi erat Tabernaculum vel Templum; quia moraliter erat impossibile, omnes Iudæos singulis Sabbatis ex totis Iudæa in vnum locum conuenire (hoc enim tes solum fiebat in anno, nempè in Paschate, Pentecoste, & Festo Tabernaculorum, vt habetur Deut. 16. 16.) Ergo necesse est, in varijs locis fuisse Synagogas. in quibus commodè id fieret. Et hoc probant testimonia superius citata, Psal. 25. 12. Et Psal. 67. 27. Itemque illud 2 Paralip. 17. 9. Docebant populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circumibant cunctas vrbes Iuda atque erudiebant populum. Quod sine dubio factum est in Synagogis, quæ erant in vrbibus Iuda.

39 Quæres tertiò, quæ fuit antiquissima inter omnes Synagogas? Toletus, Torniellus, & Rabini putant illam fuisse antiquissimam, quæ erat in Maspha. Ibi enim constat fuisse domum quandam seu Ecclesiam tempore Iudicum & Regum, ad quam deuotionis causa solebant conuenire Israelitæ. Iudic. 11. 11. Locutus est Iephte

omnes

omnes sermones tuos coram Domino in Maspha. Et cap. 20. 1. Egressi sunt omnes filij Israël, & pariter congregati ad Dominum in Maspha; Et conuenerunt in Ecclesiam populi Dei. Et 1. Reg. 7. 5. Dixit autem Samuël. Congregate vniuersum Israël in Maspha, vt orem pro vobis Dominum. Et 1. Machab. 3. 46. Congregati sunt, & venerunt in Maspha, contra Ierusalem; Quia locus orationis erat in Maspha antè in Israël. Ex his testimonijs tria colligo. 1. In Maspha fuisse Ecclesiam populi Dei 2. Fuisse ibidem locum orationis. 3. Idque tempore Iephte, Samuelis & Machabæorum.

40. Dices; Hęc omnia possunt intelligi de Tabernaculo & Arca fœderis, quæ erant in Maspha. Respondeo. Non possunt. Nam Tabernaculum & Arca, nec tempore Iephte, nec tempore Samuelis, nec tempore Machabæorum, fuerunt in Maspha. Imò nunquam ibi fuisse, verisimile est. Quod sic ostendo. Tabernaculum primò fuit in Galgatis, tempore Iosue (Iosue 5. 10.) Deinde, in Silo, tempore Samuelis (1. Regum 4. 3.) Tertiò in Nobe, tempore Dauidis (1. Reg 21. 1. & cap. 22. versu 19.) Quartò, in Gabaon, tempore Salomonis (3 Regum 3. 4 & 1. Paralip 21. 29.) Quintò in Ierusalem in templo Salomonis (3. Reg. 8. 4.) Vbi autem manseris tempore captiuitatis Babylonicæ, non constat. Similiter Arca fœderis, primò quidem fuit in ipso Tabernaculo, in Galgatis, & in Silo, vsque ad tempora Samuelis. Deinde separata fuit à Tabernaculo, & ex Silo translata in castra Israelitarum pugnantium contra Philisthæos, sub eodem Samuele (1. Reg. 4. 1.) Postea capta fuit à Philisthęis, & in Azoto posita in templo Dagon. (cap. 5. v. 1. & 2.) Inde translata in Accaron. (v. 10.) Inde in Agrum Iosue Bethsamitæ (cap. 6. v. 14.) Inde Cariathiarim in domum Abinadab in Gabaa: (cap. 7. v. 1.) Inde in domum

Obededom Gethei. (2. Reg. 6.10.) Inde in ciuitatem Dauid (v. 12.) Numquam legitur fuisse in Masipha. Vnde sequitur, domum seu Ecclesiam, quæ fuit in Maspha à tempore Iosue vsque ad Machabæos, nihil aliud fuisse, quàm Synagogam, in quam orationis causa conueniebant Israelitæ.

41. Quæres 4. Quam multæ fuerint Synagogæ? Respondeo. Initio fuerunt paucæ: sed postea, crescente populo, multiplicatæ sunt. Adeò quidem, vt tempore excidij Ierosolymitani numerarætæ fuerint 480. Synagogæ in sola vrbe Ierusalem: quarum aliæ erant pro ciuibus; aliæ pro Iudæis aduenis, qui religionis causa veniebant Ierosolymam, vt tradunt Toletus & Torniellus loco citato, & Genebrardus in Chronologia, vbi agit de rebus gestis sub Ioachim summo Sacerdote. Quod enim Iudæi aduenæ habuerint Ierosolymis suas Synagogas, constat ex illo Actor. 6. 9. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia. Erant etiam plurimæ extra Ierusalem in alijs ciuitatibus, quarum fit mentio Matth. 4. 23. & Lucæ 4. 15. & alibi.

42. Quæ 5. An in sola Iudæa fuerint Synagogæ? Respondeo. Etiam extra Iudæam fuerunt multæ, vt Damasci, Salaminæ, Antiochiæ, Pisidiæ, Iconij, Thessalonicæ, Beroeæ, Athenis, Corinthi, Ephesi; vt habetur in Actibus Apostolorum, cap. 9. 2. cap. 13. 5. & sequentibus, cap. 14. 1. cap. 17. 1. & sequentibus, cap. 18. 4. & sequentibus. Nam illis ciuitatibus habitabant Iudæi permixti cum gentilibus, vt patet ex locis citatis. Vnde etiam Synagogæ, quæ ibi erant, non appellabantur Synagogæ gentilium, sed Iudæorum. Act. 13. 5. Cùm veniissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum. Et cap. 14. 1. Factum est autem Iconij, vt simul

introi-

introirent in Synagogam Iudæorum. Et cap. 17. versu 1. Venerunt Thessalonicam, vbi erat Synagoga Iudęorum.

43. Quæres 6. An omnes Synagogæ ædificatæ fuerint à solis Iudæis? Respondeo. Non omnes. Nam etiam Gentiles, qui benè affecti erant erga Iudęos, solebant Synagogas pro illis exstruere. Habemus exemplum in Centurione, de quo Seniores Iudæorum ad Christum Luc. 7. v. 4. Dignus est, vt hoc illi præstes: Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.

Epilogus huius Capitis.

44. Hic obiter notandum est, instrumenta diuini cultus, de quibus actum est hactenus, fuisse magni momenti apud Deum & homines. Quod ex triplici capite colligi potest. Primò, ex parte ipsius Dei. Nam ipse speciatim mandauit fieri Tabernaculum, Arcam, Propitiatorium, & alia instrumenta, quæ recensuimus. Secundo, ex parte Iudæorum, qui fuerunt valdè prompti ac liberales in faciendis expensis, quæ ad fabricam erant necessaria. Exodi 35. v. 20. Egressa omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysis, obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi testimonij. Quidquid ad cultum, & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dexteralia &c. Tertiò, ex parte gentilium, qui & ipsi, ex instinctu Dei, multa conferebant ad promouendum Dei cultum vt Cyrus. Rex Persarum, de quo 1. Esdræ 1. 2. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ędificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudęa. Et Selencus Rex Asiæ, ac alij vicini

Reges, de quibus 2. Machab. 3. 1. Igitur cùm sancta Ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, fiebat vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximum muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ Rex, de redditibus præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Hinc discant Christiani Pontifices, Reges, subditi; quid sui officij sit in promouendo Dei cultu. Pontifices imitentur Oniam in pietate: Reges, Cyrum & Seleucum in liberalitate: Subditi populum Israeliticum in conferendis expensis. Nisi hoc faciant, eueniet ipsis, quod Iudæis, quando defecerunt à cultu Dei accidit. Ierusalem euersa est, Templum incendio conflagrauit: omnes in captiuitatem abducti sunt.

CAPVT XIV.

De Sacrificijs Mosaicis.

5. SAcrificia Mosaica tripliciter diuidi possunt: 1. ratione materiæ. 2. ratione formæ & finis. 3. ratione temporis. Et quidem, ratione materiæ, diuiduntur in victimas, oblationes, & libamenta. Ratione formæ ac finis, in holocausta, hostias pacificas, & hostias pro peccato. Ratione temporis, in iugè sacrificium, quod quotidiè; & in sacrificium Agni Paschalis, quod in Paschate; & in alia sacrificia, quæ in alijs solemnitatibus offerebantur. De quibus dicam hoc ordine. 1. De victimis, immolationibus & libaminibus. 2. De holocaustis, hostijs pacificis, & hostijs pro peccato. 3. De iugi sacrificio. 4. De Agno Paschali. 5. De sacrificijs alia-

tum

rum solemnitatum. 6. De igne, quo vtebantur Sacerdotes in sacrificijs. 7. Addam aliquid de sacrificio noui Testamenti; quod per sacrificia Mosaica fuit præfiguratum.

De Victimis, Immolationibus, & libamentis.

2. Igitur, ratione Materiæ, triplicia erant sacrificia Mosaica. 1. Victimæ seu hostiæ. 2. immolationes; 3. Libamenta. Erat enim triplex materia à Deo designata, quę in Iudæorum sacrificijs offerri poterat ac debebat. Primò, animalia; vt oues, capræ, hædi, boues, vituli, columbæ, passeres, turtures. Secundò, fructus terræ; vt panis, similа, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum. Tertiò, liquores, vt sanguis, vinum, oleum, aqua. Nec aliquid his amplius. Cùm ergo fiebat sacrificium ex animalibus, vocabatur hostia seu victima: cùm ex fructibus terrę, immolatio: cum ex liquoribus, libamen seu libamentum.

3. Erat autem diuersus modus offerendi in hoc triplici eorum genere. Nam animalia offerebantur mactatione & combustione: fructus terræ immutatione, liquores, effusione. Porrò illa immutatio fructuum erat etiam varia. Nam panis in frusta dissecabatur; similа sartagine, clibano, vel craticula coquebatur; sal vrebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur.

4. Hic quæri potest, cur non alia animalia, nec alios fructus, nec alios liquores, licuerit offerre in sacrificijs Mosaicis, quam quæ iam numerata sunt? Ratio dubitandi est, quia præter illa, sunt alia multò præstantiora. Optima autem quęque Deo offerenda sunt. Hinc sacrificium Abelis fuit Deo gratum, non autem Cain: quia Abel obtulit de primogenitis animalium: Cain

verò, non de primitijs frugum sed de communibus frugibus. Respondeo. In hac re debet nobis sufficere voluntas Dei, qui in lege Mosaica sic voluit & ordinauit. Nec tamen desunt rationabiles causæ, cur id factum sit; de quibus videri potest D. Thomas in 1. 2. quæst. 102. & 103.

De Holocausto, Sacrificio pro peccato, & hostia pacifica.

¶ 5. Ratione formę ac finis, erat etiam triplex sacrificium in lege Mosaica 1. Holocaustum. 2. Sacrificium pro peccato. 3. Hostia pacifica. Vide D. Thomam 1. 2. q. 102. art. 2, ad 8.

6. Holocaustum erat sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res oblata comburebatur, & in fumum resoluta, sursum ad Deum ascendebat; ita vt nihil inde cederet in vsum humanum. Per hoc enim perfectissimè designabatur. Omnia esse ipsius Dei, & omnia ad ipsius honorem referenda. Et in hunc finem erat potissimum institutum hoc genus sacrificij: tametsi interdum etiam pro peccato populi & Sacerdotum offerri poterat.

7. Sacrificium pro peccato, partim cremabatur, partim cedebat in vsum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Per hoc significabatur, (vt notat D. Thomas) quod expiatio peccatorum fiat quidem à Deo, sed per ministerium sacerdotum. Solet autem offerri pro peccatis quibusdam externis, & pro peccatis commissis per ignorantiam, vel negligentiam circa cæremonias legis Leuit. 4. & 5. Item, pro peccato furti, periurij, calumniæ Leuit 6. & 7. Porrò, sicut diuersa erant peccata, & diuersæ personæ, quæ peccabant; ita etiam diuersa erant sacrificia pro peccato. Aliud enim offerebatur pro periurio, aliud pro alijs peccatis. Similiter, aliud

pro

pro Pontifice, aliud pro Rege, aliud pro Synagoga, aliud pro priuatis hominibus.

8. Hostia pacifica poterat ex duplici titulo offerri. 1. In gratiarum actionem: pro beneficijs à Deo acceptis. 2 Ad noua beneficia à Deo impetranda. Diuidebatur autem in tres partes: quarum vna comburebatur ad honorem Dei: altera cedebat in vsum Sacerdotum; tertia in vsum offerentium. Per hoc significabatur, quod salus hominis procedat à Deo, per directionem Sacerdotum, & cooperationem illius, qui saluatur.

9. Ab hac diuisione, quæ iam explicata est, parum differt illa, quâ sacrificium diuiditur in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium: Latreuticum dicitur, quod solum fit ad Deum colendum, testando eius principatum, & nostram seruitutem seu subiectionem. Hoc potissimum fit holocausto Eucharisticum, dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficijs accipiendis. Vtrumque in veteri lege dicebatur hostia pacifica, Propitiatorium est, quod offertur pro peccatis & pro peccatorum pœnis ac flagellis auertendis. Hoc idem est, quod sacrificium pro peccato.

10. Adhuc tria notanda sunt ex D Thoma, quæst. 102. art. 3. ad 8. & 10. Vnum est, quod si conferamus hæc sacrificia Mosaica inter se, ratione sanctitatis & præstantiæ; primum locum obtineat Holocaustum; Secundum, Hostia pro peccato; Quartum, Hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Ratio est, quia hæc sacrificia instituta sunt ad cultum & honorem Dei; Ergo, quo maior vel minor est obligatio colendi Deũ, eo maior vel minor dignitas est sacrificij, quo illum colimus. Obligamur autem hoc ordine. 1. Propter infinitam ipsius maiestatem. 2. Propter offensam in ipsum commissam. 3. Propter accepta beneficia. 4. Propter sperata beneficia. Ergo

iuxta hunc ordinem. Primo loco censeri debet Holocaustum. Secundo, hostia pro peccato. Tertio, hostia pacifica pro beneficio accepto: Quarto, hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Idem ordo dignitatis colligi potest ex parte ipsius sacrificij. Nam holocaustum totum comburebatur in honorem Dei; cetera non item: Ergo ex hac parte, ceteris erat praestantius. Hostia pro peccato, partim cremabatur ad honorem Dei, partim comedebatur: sed à solis Sacerdotibus, non à populo, & in solo atrio, non alibi; & ipso die sacrificij, non alio. Hostia pacifica pro beneficio accepto, partim cremabatur ad honorem Dei, in quo erat par hostiæ pro peccato; partim comedebatur, non tamen à solis Sacerdotibus, sed etiam à populo: nec in solo atrio, sed vbique in Ierusalem: & in hoc erat inferior. Hostia pacifica pro impetrando beneficio, poterat comedi, non solum à populo, & extra atrium; sed etiam extra diem sacrificij. Poterat enim conseruari in sequentem diem; & in hoc erat infra sanctitatem Hostiæ pro beneficio accepto.

11. Alterum est, quod tametsi carnes victimarum saepè venirent in vsum Sacerdotum & populi, vt iam dictum est; nunquam tamen sanguis, aut adeps. Nam sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei; adeps verò adurebatur igne. Huius rei varias assignat causas D. Thomas. Vide infra cap. 15. §. 11. & seqq.

12. Tertium est, quod tametsi pro diuersitate peccatorum, diuersa fuerint instituta sacrificia, non tamen seruabatur illa proportio, vt quo maius esset peccatum, eo praestantior esset res oblata in sacrificio: sed contra potius quo maius esset contra peccatum, eo vilior species animalis offerebatur, vt ex Rabbi Mose notauit D. Thomas. Nam capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro idololatria, quod est grauissimum

pecca-

peccatum. Pro ignorantia verò Sacerdotis, offerebatur vitulus, pro negligencia Principis, Hircus, (Leuit. 4. & seqq.)

De iugi sacrificio, quod quotidie offerebatur.

13. Iudæi ex præcepto diuino, iubebantur quotidie offerre duos agnos anniculos, & immaculatos in holocaustum: alterum mane, & alterum vespere. Et cum illis similam conspersam oleo, & vinum pro libamine. Hæc autem oblatio vocabatur iuge sacrificium, vel holocaustum sempiternum, quia quotidie fiebat, & nunquam intermittebatur. Sic enim legimus Exod. 29. 38. Hoc est, quod facies in altari: agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum vespere, decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno. Alterum verò agnum offeres ad vesperam, iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea, quæ diximus, in odorem suauitatis. Sacrificium est Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, vbi constituam, vt loquar ad te. Et Nu. 28. 3. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustũ sempiternum: vnum offeretis mane, & alterum ad vesperum.

14. Hoc iuge sacrificium veteris Testamenti fuit figura sacrificij Missæ in nouo Testamento. Primò ratione rei oblatæ. Nam sicut in illo offerebatur agnus immaculatus: ita in hoc offertur Christus qui est Agnus sine macula, Ioan. 1. 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Secundò, ratione loci. Sicut ille offerebatur in tabernaculo, ita hic in Ecclesia. Tertiò, ratione durationis. Sicut ille offerebatur quotidie: ita

ita Christus offertur quotidie. Vnde etiam apud Danielem cap. 12. 11. vocatur iuge sacrificium. Quartò, ratione determinationis temporis. Sicut ille offerebatur mane & vespere; ita Christus à principio mundi vsque ad finẽ Apoc. 13 8. Agnus qui occisus est ab origine mundi, non quidem reipsa, sed per energiã. Quintò ratione adiuncti, Sicut ille offerebatur cũ simila & vino; ita Christus quotidie offertur sub specie panis & vini.

De Agno Paschali?

15. Hoc sacrificium Agni Paschalis à Deo institutum est, paulò ante egressum filiorum Israel ex Ægypto: ac primò celebratum, pridie egressionis ad vesperam: cum mandato, vt postea singulis annis, primo mense anni, die 14. mensis ad vesperam, repeteretur. Quod, an semper factum sit, postea videbimus. Ad maiorem illius notitiam, hæc breuiter examinanda sunt. 1 Qualis debuerit esse agnus. 2. An pro agno licuerit aliud animal immolare. 3. Quo tempore immolandus fuerit agnus. 4. Quo loco. 5. Quo ritu. 6. Quinam potuerint ex illo comedere. 7. In quem finem institutum sit hoc sacrificium agni. 8. Quoties celebratum à Iudæis.

16. Est ergo prima quæstio, qualis debuerit esse agnus? Respondeo: Debuit habere tres conditiones. 1. vt esset masculus. 2. vt anniculus, seu vnius tantum anni. 3. vt sine macula, id est, sanus & integer, non morbidus aut vitiosus. Hoc patet ex illo Exodi 12. 1. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Quę autem maculæ seu vitia arcerent quodcumque animal, à sacrificio, explicat Moses Leuit. 22. 21. his verbis: Homo qui obtulerit victimam, tam de bobus, quàm de ouibus immaculatum offeret, vt acceptabile sit: Om-

nis

nis macula non erit in eo. Si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.

17. Altera quæstio est, an pro agno licuerit aliud animal immolare? Respondeo. Non licuit aliud immolare, nisi hædum, qui similiter debebat esse masculus, anniculus, & sine macula. Sic enim legimus Exod. 12. 5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Obijci potest illud Deut. 16. 2. Immolabis phase Domino Deo tuo, de ouibus & bobus. Ergo præter agnum & hœdum, licebat etiam bouem aut vitulum immolare Respondeo. Nomen Phasę, dupliciter sumi solet. Primò, propriè ac strictè pro Agno paschali, qui immolabatur decimo quarto die mensis primi ad vesperam: Et hoc sensu, non licebat pro agno immolare aliud animal, nisi hœdum, vt dictum est. Secundò, impropriè & latè, pro hostijs pacificis, quæ durante solemnitate paschali, offerebantur in diebus azymorum, qui sequebantur vesperam & immolationem agni paschalis. Huiusmodi autem hostię poterant sumi etiam ex bobus. Et hoc sensu intelligitur, quod allatum est ex Deuteronomio. Vide quæ scripta sunt Num. 28. 16. Vnde patet, tam agnum paschalem, quàm cæteras victimas illius solemnitatis, vocari Phase in Scriptura. Hinc facilè explicatur illud Ioan 18. 28. Erat autem manè, & ipsi non introibant in prętorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Vbi per pascha non intelligitur agnus paschalis, quem Iudæi pridie ad vesperam comederant sed victimæ pacificæ, quę sequentibus azymorum diebus comedi solent, non tamen nisi à mundis & purificatis.

18. Tertia quæstio est, quo tempore immolandus

landus fuerit Agnus? Resp Die decimoquarto mensis primi ad vesperam. Sic enim præceperat Deus Exo. 12. 3. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Hoc præceptum, quoad posteriorem partem, semper seruatum est. Nam Hebræi, non solum in Ægypto ante egressionem, sed etiam postea in monte Sinai & alibi, solebant immolare agnum paschalem die decimoquarto mensis primi ad vesperam. Excipio vnum casum. Nam si eo die immundi essent, poterat differri vsque ad diem decimum quartum sequentis mensis: quod aliquãdo etiam factum est. Prior pars difficultatem habet. Nam aliqui putant Iudæos nunquam, nisi in Ægypto, iussos fuisse quærere agnum die decima, quem postea immolarent die decimaquarta ad vesperam: sed vnicuique liberum fuisse, vt quæreret, quo die vellet. Ita Abulen. in ca. 12. Exod. qu. 4. Ribera lib. 5. de templo c. 3. & nonnulli alij. Et duplex illorum ratio est. Vna, quia postea, quotiescumque fit mentio immolationis agni nunquam repetitur illa pars præcepti de die decimo, quo debebat quæri agnus; sed solum altera pars de die decimo quarto, quo debebat immolari. Ergo signum est, quod illa pars, de die decimo non obligauerit, nisi in Ægypto. Altera, quia erant legitimæ causæ, cur in Ægypto debuerint agnum prius quærere & præparare, quàm veniret dies immolationis: quæ tamen causæ postea locum non habuerunt. Erant autem hæc. 1. quia sciebant, se post paucos dies egressuros esse ex Ægypto, & ideo erant valdè occupati circa ea paranda, quæ ad futuram perfectionem putabantur esse necessaria. Ne ergo propter hanc occupationem obliuiscerentur Agni Paschalis, iussi sunt tempestiuè illum quærere & præpara-

re. 4.

re. 2. Vt tanto plus temporis haberent ad explorandum, an agnus esset talis, qualis ex prescripto Dei requirebatur, nempè anniculus, masculus, sine macula. 3. Vt illis diebus, quibus agnus asservabatur, ex ipsius aspectu & balatu, facilius cogitarent de futura liberatione ex Ægypto.

19. Neutra ratio videtur cõuincere. Non prior, quia etiam postea, quotiescumque fit mentio immolationis agni, nunquam repetitur illa pars præcepti, quod deberet comedi cum capite, pedibus, & intestinis. Et tamen ita fieri oportebat. Nec posterior, quia illę tres causæ non magnoperè vrgent. Imò prima & tertia non cohærent inter se. Nam si in futuram profectionem ita intenti erant Israelitę, vt periculum esset, ne obliuiscerentur Agni Paschalis: quid necesse fuit, vt ex aspectu & balatu agni reducerentur in recordationem futuræ profectionis? Secunda nihil efficit. Cur enim in Ægypto instituebant certis diebus ad explorandum, an agnus esset anniculus, masculus & sine macula; si postea non indigebant? An minus cauti & solertes erant in Ægypto, quàm extra Ægyptum? Non video, cur id asseramus.

20. Quarta quæstio est, quo loco immolandus fuerit Agnus Paschalis? Respondeo. Distinguenda sunt quatuor tempora. Primum egressionis ex Ægypto. Secundum peregrinationis in deserto. Tertium, ingressus in Iudęam. Quartum habitationis in Iudęa. Igitur, cùm adhuc in Ægypto essent Hebræi, singuli patres familias in sua domo iubebantur immolare, & comedere agnum. (Exod. 12.) At tempore peregrinationis, immolarunt & comederunt in deserto Sinai. (Num. 9. 1.) Porrò in ingressu in Iudæam, post transitum Iordanis, in campestribus Iericho (Iosue 5. 10) Denique tempore habitationis in Iudæa, nusquam licebat id facere, nisi in illo loco, vbi esset tabernaculum, iuxta Deu-

Deuter. 16. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, immolabis phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto. LOcus autem, in quo habitauit nomen Domini, fuit varijs temporibus varius. Primo Galgala. Secundo Silo. Tertiò Nobe. Quartò Gabaon Quintò Ierusalem, ædificato templo Salomonis. Et hęc causa est, cur sępè in sacris litteris fiat mentio eorum, qui tempore Paschali Hierosolymam ascendebant, vt secundo Paralipomenon trigesimo, versu primo, Lucæ secundo versu 41. & alibi.

2. Quinta quæstio est, quo ritu coquendus & comedendus fuerit Agnus? Respondeo. In prima immolatione, quæ in Ægypto contigit, seruatus est hic ritus & ordo. 1. Mactabatur agnus, & sanguis eius ponebatur super vtroque poste ianuę, & super liminari domus in qua edendus erat. 2. Excoriebatur, diffindebatur, & eleuebatur. 3. Assabatur igne. 4. Assatus comedebatur cum capite, pedibus & intestinis. 5. Adhibebantur azymi panes, cum lactucis agrestibus. 6. Nihil ex eo licebat conseruare in sequentem diem: sed si quid residuum fuisset, igne combu-rendum erat. 7. qui illum comesturi erant, debebant accincti esse renibus, calceati, baculum manibus gestantes, festinantes. Vide Exod. 12. Duo hic quæri solent. 1. An hæc omnia sint etiam seruata? 2. An Iudęi comedentes Agnum debuerint stare, an sedere? Nihil certi de vtroque.

22. Sexta quęstio est, quinam potuerint comedere de Agno Paschali? Respondeo. Soli Iudęi, non autem alienigenæ, nisi prius essent circumcisi, (Exod. 12 43.) Et ratio est, quia circumcisio erat figura Baptismi: & Agnus Paschalis, sacrificij Eucharistię. Sicut ergo in N. Testa-

mento,

mento, nemo potest esse particeps sacrificij Eucharistiæ, nisi sit baptizatus : ita in veteri Testamento, nemo poterat edere de Agno Paschali, nisi esset circumcisus. Sed an omnes circumcisi poterant? Certum est, immundos non potuisse. Vnde si qui Iudæi, vel alienigenæ circumcisi eo die, quo ordinariè immolabatur Agnus Paschalis, immundi fuissent, debebant prius mundari, & exspectare vsque ad diem decimum quartum sequentis mensis, sicut factum est, Num. 9. 6. v. 2. Paralip. 30. 15.

21. Septima quæstio est, in quem finem institutum fuerit hoc sacrificium Agni? Respondeo. In duplicem finem. Primò, in memoriam illius beneficij, quod Iudæi consecuti sunt ea nocte, quæ secuta est immolationem Agni Paschalis in Ægypto. Tunc enim Deus percussit omnia primogenita Ægypti, intactis primogenitis Iudæorum; & liberauit Iudæos è seruitute Pharaonis. Secundò, in typum & figuram Christi, qui tanquam Agnus innocens immolandus & occidendus erat pro humano genere. De priori fine intelligitur illud, Exod. 12 14. Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno Et v. 26. Et cùm dixerint vobis filij vestri. Quæ est ista religio? dicetis eis : Victima transitu Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. De posteriori loquitur Apostolus. 1. Corinth. 5. 7. Pascha nostrum immolatus est Christus. Duo autem spectanda sunt in Agno. 1. Immolatio, quę erat figura Christi in Cruce immolandi. 2. Comestio, quæ erat figura Christi in vltima Cœna comedendi sub specie panis & vini. Prior figura in his consistit. Primò, sicut per immolationem Agni Paschalis, & per aspersionem Sanguinis eius super postes & liminaria, liberati sunt Israelitæ à capti-

captiuitate Pharaonis, & ab Angelo percutiente: sic per immolationem Christi in Cruce, & per effusionem Sanguinis illius, liberatum est genus humanum à seruitute peccati & Diaboli. Secundò, sicut Agnus vesperè immolatus est: sic Christus in fine sæculorum mortuus est pro nobis. Tertiò, sicut Agnus immolabatur à tota multitudine populi Israelitici: Sic Christus morti addictus est, clamante tota Iudæorum multitudine, Crucifige, Crucifige. Quartò, sicut Agnus erat masculus, anniculus, & sine macula: sic Christus in patiendo fortis, in flore ætatis, & sine vllo peccato. Quintò, sicut os non confringebatur in Agno: sic Christi crura in Cruce non sunt fracta; quam figuram expressit Euangelista, Ioan. 19. 33. Sextò, sicut pro Agno poterat hœdus subrogari? sic Christus, tametsi Agnus esset, tamen inter iniquos, id est, inter hœdos putatus est. Et sicut hœdus solet esse victima pro peccatis: sic Christus pro peccatis totius mundi oblatus est. Hinc etiam Iacob Patriarcha, hœdinis pellibus obuolutus fuit vt Christum præfiguraret. Posterior figura consistit in his. Primò, sicut Agnus fuit comestus à Iudæis: sic Christus in Eucharistia comeditur à Christianis. Secundò, sicut ille à solis Iudæis & circumcisis, & in sola ciuitate Ierusalem: ita hic à solis Christianis & baptizatis, & in sola Ecclesia. Tertiò, sicut ille assatus igne corporali: ita hic assatus igne charitatis. Quartò, sicut ille cum azymis panibus, & lactucis agrestibus: ita hic cum magna puritate, & dolore de peccatis. Quintò, sicut ille cum capite, pedibus, & intestinis: ita hic cum diuinitate, & humanitate, latente sub specie panis & vini. Denique, sicut ille à Iudæis succinctis & peregrinantibus ad terram promissionis: ita hic à Christianis, properantibus ad cœlestem patriam.

24. Octaua quæstio est, quotics à Iudæis celebra-

lebratum sit Pascha? Respondeo. Constat ex Scriptura, & sæpè celebratum, & sæpè omissum esse. Ac primò celebratum est in egressu ex Ægypto. (Exod. 12. 18.) Secundò, in deserto Sinai, anno secundo egressionis. (Numerorum nono, versu primo.) Tertiò, in campestribus Iericho (Iosue quinto, versu decimo.) Quartò, in Ierusalem sub Ezechia Rege (2. Paralipomenon 30. 1.) Quintò, in Ierusalem sub Iosia Rege. (4. Regum vigesimotertio, versu vigesimo primo. & 2. Paralip. 35. 1.) Sextò, post reditum ex captiuitate Babylonica in Ierusalem, (1. Esdræ 6. 19.) Septimò, tempore Christi & Apostolorum. (Matth. 26. 17.) Omissum autem est primò, toto tempore peregrinationis, exceptis duobus primis annis. Nam primo anno celebratum est in Ægypto: secundo, in deserto Sinai, vt dictum est. Ab eo tempore, per 38. annos, vsque ad transitum Iordanis, omissum est. Non enim Iudæi, qui transibant Iordanem, erant circumcisi, ac proinde non poterant celebrare Pascha. Vnde Iosue, cùm vellet post transitum Iordanis in Galgala, seu in campestribus Iericho, renouare immolationem Agni: prius mandauit omnes circumcidi. (Iosue 5. 2.) Deinde, tempore Regum, sæpè omissum est. Vnde Ezechias & Iosias hortati sunt populum, vt omnes venirent Ierosolymam; & ibi iuxta legem celebrarent Phase (4 Reg. 13. 21. & 2. Paralipomenon 30. 1.) Denique, intermissum est tempore captiuitatis Babylonicæ. Vnde post captiuitatem, cùm Iudæi redijssent Ierosolymam, cœperunt iterum immolare. (1. Esdræ 6. 19.) Atque hæc ex scripturis dicta sufficiant.

De alijs aliarum solemnitatum sacrificijs.

25. Præter iuge sacrificium, quod quotidie; & præter Agnum Paschalẽ, qui in Paschate offere-

bat-

batur; erant alia sacrificia, quæ in reliquis solemnitatibus offerri debebant ex præscripto legis. Erant autem hæ solemnitates. 1. Sabbathum. 2. Neomenia, seu initium mensis lunaris. 3. Solemnitas azymorum, quæ incipiebat postridie Paschatis. 4. Pentecoste. 5. Festum tubarum. 6. Festum expiationis. 7. Scenopegia, seu festum Tabernaculorum. 8. Festum Cœtus atque Collectæ. De quibus fusius cap. 23. §. 31. & sequentibus.

26. Sacrificium Sabbati describitur. Num 28. 9. his verbis: Die autem Sabbati offeretis duos Agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba quæ rité funduntur per singula Sabbata in holocaustum sempiternum.

27. Sacrificium Neomeniæ, ibidem v. 11. In Calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similę oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes: & decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos Holocaustum suauissimi odoris atque incensi Domino. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt. Media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offertur Domino pro peccatis.

28. Sacrificium solemnitatis azymorum, ibidem. v. 16. Mense autem primo, quarta decima die mensis: Phase Domino erit, & quinta decima die solemnitas. Septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea, offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de ar-

de armento duo, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum ex similia, quę conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos. Et hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis & in odorem suauissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum, &c.

29. Sacrificium Pentecostes, Leuit. 23. 15. Numerabitis ergo septem hebdomadas plenas, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suauissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. Cumque eleuauerit eos Sacerdos, cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum.

30. Sacrificium festi Tubarum, Leuit 23. 24. Mense septimo prima die mensis, erit vobis Sabbathum, memoriale, clangentibus tubis, & offeretis holocaustum Domino. Quale autem debeat esse hoc holocaustum, diserè explicatur, Num. 29. 1. Mensis septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis in ea, quia in dies clangoris est, & tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnum, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos

septem: & in sacrificijs eorum similæ oleo consperſæ tres decimas per singulos vitulos duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum qui simul sunt agni septem: Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, præter holocaustum Calendarum cum sacrificijs suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Vbi nota, in festo Tubarum, tria fuisse sacrificia offerenda. Vnum, ratione festi Tubarum Alterum, ratione Neomeniæ. Tertium, iuge sacrificium, quod quotidie offerebatur. Et hoc significat Scriptura, cùm dicit, Præter holocaustum Calendarum, & holocaustum sempiternum: quasi dicat, præter illa duo sacrificia, offeretis etiam illud tertium, quod iam præscripsi.

31. Sacrificium festi Expiationis. Leuit. 23. 27. Decimo die mensis septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Hoc holocaustum describitur Numerorum vigesimo nono, versu septimo, his verbis: Décima dies mensis huius septimi erit vobis sancta, offeretisque holocaustum Domino, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: Et in sacrificijs eorum similę oleo consperſę tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, decimum decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem; Et hircum pro peccato, absque his, quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus eorum. Vbi iterum nota, præter hircum pro peccato, debuisse offerri, primò, vitulum, cuius sanguis inferebatur in sanctuarium: secundò, hircum alium, super quem Sacerdos confitebatur peccata populi, & sic emittebatur in desertum. (Leuitici decimo sexto.) Tertiò, iuge sacrificium, vide Liranum in capite decimo nono Numerorum.

32. Sa-

22. Sacrificium Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, Leuit. 23. 34. A quinto decimo die mensis septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino. Septem diebus offeretis holocaustа Domino. Hęc holocaustа septem dierum sigillatim exprimuntur Num. 29. 13. his verbis. Primò die offeretis vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: & in libamentis eorum similę oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, duas decimas arietibus duobus, & decimam decimæ agnis singulis Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, &c. Die tertio vitulos undecim, &c. Et sic deinceps Hoc solũ aduerte, quod illis septem diebus, omnia sacrificia sint eadem, excepto numero vitulorum. Nam primo die offerebantur tredecim vituli: secundò, duodecim: tertio, undecim: quarto, decem: quinto, nouem: sexto, octo: septimo, septem, Singulis autem diebus, duo arietes, quatuordecim agni, hircus pro peccato, & iuge sacrificium.

33 Sacrificium Cœtus atque Collectę, quod erat octauis septem diebus Tabernaculorum, celebrabatur octauo die describitur, Leuitici 23. 36. Dies quoque octauus erit celeberrimus, & offeretis holocaustum Domino: Est enim Cœtus atque Collecta. Et Num. 29 35. Die octauo, offeretis vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius ac libamine. Sequitur communis clausula: Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota, & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostijs pacificis, Vnde constat genera im loquendo, duplicia

fuisse sacrificia : quædam necessaria ex præscripto legis: alia spontanea ex arbitrio & deuotione offerentium. De prioribus, quæ fiebant in solemnitatibus, dictum est hactenus. De posterioribus nihil necesse dicere in particulari, quia parum ad nostrum institutum.

De igne, quo vtebantur Sacerdotes in sacrificijs.

34. Quinque certa sunt ex Scripturis Primum est, ignem quendam à Deo cœlitus datum esse, qui consumpsit primum sacrificium, quod obtulit Aaron in deserto, postquam Sacerdos à Mose consecratus est ; quod contigit anno secundo egressionis filiorum Israël ex Ægypto. Sic enim legimus. Leuit. 9.24. Apparuit gloria Domini omni multitudini: Et exce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

35. Alterum est, hunc ignem debuisse perpetuo nutriri & conseruari à Sacerdotibus, ne vnquam in altari deficeret. Leuit. 6.12. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subijciens ligna manè per singulos dies : Et infrà: Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

36. Tertium est, non alio, quam isto igne potuisse vti Sacerdotes ad sacrificia. Hoc inde constat, quia Nabad & Abiu, filij Aaronis, à Deo puniti sunt, quod alieno igne vsi essent. Leuit. 10. 1 Arrepti quę Nabab & Abiu filij Aaron, thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusq ue ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Vide Augustt, in quæstionibus super Leuit. qu. 31.

37. Quar-

37 Quartum est, hunc ignem à secundo anno egressionis ex Ægypto, quo cœlitus à Deo datus est, perpetuo conseruatum fuisse in altari Tabernaculi, vsque ad tempus captiuitatis Babylonicæ, quo & templum incensum est, & Iudæi in Babylonem abducti sunt. Tunc enim in quodam puteo à Sacerdotibus absconsus est. 2. Machab. 1. 19. Cum in Perfidem ducerentur Patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus. Hinc sequitur, ignem illum, in toto tempore, quod præcessit captiuitatem, toties mutasse locum, quoties Tabernaculum cum altari de loco in locum translatum est. Fuit ergo per 39. annos in solitudine. Postea cùm filij Israël, transito Iordane, venissent in terram promissionis, fuit successiuè in varijs locis 1. in Galgala. 2. in Silo. 3. in Nobe. 4. in Gabaon. 5. in Ierusalem, ædificato iam Salomonis templo. Ibique mansit vsque ad captiuitatem, vt dictum est.

38. Quintum est, eundem ignem, post solutam captiuitatem, iubente Nehemia, quæsitum fuisse à nepotibus eorum Sacerdotum, qui illum in puteo absconderant, nec tamen inuentum: Sed pro eo repertam fuisse aquam crassam, quæ oblato Sacrificio diuinitus in ignem conuersa est. 2. Machab. 1. 20. Cùm autem præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis; nepotes Sacerdotum illorum, qui asconderant misit ad requirendum ignem: &, sicut nuntiauerunt nobis non inuenerunt ignem, sed aquam crassam Et iussit eos haurire & adferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erãt, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua. & ligna, & quæ erant superposita Vque hoc factum est, & tempus ad fuit, quo Sol refulsit, qui

prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes miraretur. Porrò, diem illum, quo ignis hic diuinitus accensus est, habuerunt Iudæi pro solemnita e, & deinceps Festum seu dies dati ignis appe l ta est. Et postea in secundo templo, eo lem i gne vsi sunt in sacrificijs.

3º. Porrò in hoc igne, de quo hactenus dictum est, tr a spectanda sunt, quę mysterium habent. Primò, Quod sit à Deo datus. Secundò, Quod illo solo, & non alio licuerit vti in sacrificijs. Tertiò, Quod cùm perijsset, ex aqua crassa, per ministe ium Sacerdotum, non sine magno miraculo, recuperatus sit. Hęc inquam, tria mysterium habent. Ex primo, discimus, ignem illum, quo nos in Nouo testamento perficimus sacrificium, cœ'est m esse; nec alium, quam ignem diuinę cha itatis. Ex secundo, n allum sacrificium Deo g atum esse sine hoc igne charitatis. 1. Corinth. 13. 3. Si tradidero corpus meum, ita vt ard am, charitatem autem non habuero, nihil m hi prodest Ex tertio, hunc ignem charitatis aliq á lo in nobis perire per peccatum mortale, qu d habet se instar aquę crasse: sed postea, acced nte absolutione Sacerdotali; non sine magno miraculo reuiuiscere & recuperari. De hoc gne l oqu tur Christus, Luc. 12 49 Ignem veni mitte e in terram & quid vo'o, nisi vt accendatur? Vide Augustinum in Psalm. 69.

De Sacrificio Noui Testamenti, quod per sacrificia Mosaica fuit prafiguratum.

4º. In nouo Testamento duplex est sacrificium. Vnum cruentum, quo Christus in ara Crucis Deo Patri oblatus est pro expiatione nostrorum peccatorum. Alterum incruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis & vini offertur in altari, partim in memoriam cruenti illius sacrificij, partim ob has causas. 1. Ad colendum

dum Deum. 2. Ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. 3. Ad impetranda noua beneficia. 4. Ad placandum Deum.

41. Hęc duo sacrificia possunt dupliciter spectari. Primò quoad rem oblatam: & sic non sunt duo sed vnum. Nam in vtroque est vna & eadem res oblata, nempe CHRISTVS Dominus. Secundò, quoad modum & ritum offerendi: & sic duo sunt. Nam Christus in altero oblatus est cruento modo & in propria specie humana, per realem sui occisionē. In altero offertur incruento modo, & sub specie aliena, sine reali sui occisione.

42. Vtrumque sacrificium est quasi primarium prototypon, ad quod præfigurandum omnia sacrificia Veteris Testamenti ordinata sunt; siue illa fuerint Mosaica, de quibus actum est. siue antiquiora Mosaicis, vt sacrificium Abrahæ, Melchisedech, Iob. Vt omittam reliqua. Nam hæc omnia fuerunt typi, seu figuræ nostri sacrificij. Quod breuiter sic explico.

43. In sacrificio cruento, quo Christus in cruce oblatus est, multa spectari possunt. Primò, quod fuerit vnigenitus Dei filius. Secundò, quod à Patre oblatus in mortem. Tertiò, quod Patri obsequentissimus. Hæc tria optimè præfiguran-tur per sacrificium Abrahę, quo obtulit vnigenitum filium suum Isaac. Quartò, quod reipsa occisus sit. Hoc significant omnia sacrificia Mosaica, quæ erant ex animalibus. Quinto, quod effusione Sanguinis liberauerit nos à seruitute diaboli. Hoc significat Sanguis Agni Paschalis, qui super postes domorum aspersus, liberauit filios Israel à seruitute Pharaonis. Sextò, quod suo Sanguine mundauerit nos à peccatis nostris. Hoc significat sanguis hircorum & aliorum animalium, teste Apostolo, Hebr. 9. 13. Si enim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò

magis Sanguis Christi, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? Septimò, quod innocens occisus sit. Hoc significat mactario Agni Paschalis. Vnde Isaias cap 53. 7. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Octauò, quod tametsi innocens fuerit, tamen cum latronibus deputatus sit Hoc significat Hircus, qui loco Agni Paschalis offerri poterat. Hircus enim animal fœtidum est. Nonò, quod crura eius non sint fracta. Hoc significat Agnus Paschalis, de quo scriptum est, Exodi 12. 46 Os non comminuetis ex eo. Decimò, quod se totum Patri obtulerit, nulla parte sibi reseruata. Hoc significant omnia holocausta.

44. Similiter in sacrificio incruento multa spectari possunt. Primò, quod quotidie offeratur in Eucharistia. Hoc significat iuge sacrificium, de quo suprà. Secundò, quod caro Christi vere comedatur in hoc sacrificio, Ioan. 6. 55. Caro mea verè est cibus. Hoc significat caro Agni Paschalis, quæ verè comedebatur ab offerentibus. Tertiò, quod Christus sumatur sub specie panis & vini. Hoc significat sacrificium Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. Quartò, quod comesturi ex hoc sacrificio, debeant esse puri à peccatis, ne indignè accedant. 1. Corinth. 11. 29. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini. Hoc significat sanctificatio filiorum Iob. Quintò, quod debeant habere veram contritionem & dolorem de peccatis præteritis. 1. Corinth, 11. 28. Probet autem seipsum homo. Hoc significant lactucæ agrestes in esu Agni Paschalis. Sextò, quod debeant esse parati ad currendam viam mandatorum Dei, & contendere ad cœlestia. Hoc significant lumbi, qui accincti lumbis, & calceati, & tenentes baculum in manibus, festinanter comedebant Agnum

Paschæ

Paschalem. Hæc ferè præcipua sunt. Alia minutiora omitto.

CAPUT XV.

De Sacramentis Mosaicis.

1. SAcramenta sunt quædam externa signa seu cæremoniæ, quæ ex Dei institutione habent vim significandi & efficiendi aliquam sanctitatem, vt passim docent Theologi. Est autem duplex sanctitas. Vna vera & interna, quæ est idem, quod gratia iustificans. Altera legalis & externa, quæ consistit in quadam munditia legali, id est, à lege Mosaica præscripta. Sicut enim lex Mosaica reputabat quosdam mundos & sanctos, si certas quasdam cęremonias à Deo institutas vsurparent. Hoc posito quæritur primò, Quæ & quot fuerint Sacramenta Mosaica. 2. Quam vim & efficaciam sanctificandi habuerint. 3. An fuerint tam perfecta, quam nostra Sacramenta. 4. Quid de singulis in particulari statuendum sit.

QVÆSTIO I.

Quæ & quot fuerint Sacramenta Mosaica.

1. GEneratim loquendo, fuerunt duplicia. Quædam pertinebant ad totum populum, vt Circumcisio, Esus Agni Paschalis, Purificationes ab externis immunditijs, Expiationes à peccatis. Quædam ad Ministros Synagogæ, vt Consecratio Sacerdotum, Ablutio manuum ac pedum, rasio pilorum, esus panum propositionis, & quorumdam aliorum, quæ sacer-

cerdotum vsibus deputabantur. (Diuus Thomas in 1.2.quæst.102.art.5.)

2. Hæc omnia erant figuræ seu typi Sacramentorum nouæ Legis. Nam primò, Circumcisio erat figura Baptismi. 2. Esus Agni Paschalis, & esus panum propositionis, figura Eucharistiæ. 3. Purificationes & expiationes figura pœnitentiæ. 4. Consecratio Sacerdotum, figura sacri Ordinis. (D. Thomas ibidem art. 5 ad 3.)

3. Quæres, cur nulla fuerit figura reliquorum Sacramentorum, vt Confirmationis, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij? D. Thomas assignat hanc causam; quia Confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ. (Galat. 4. 4. & Heb. 7. 19.) Similiter, Extrema Vnctio est quasi immediata quædam præparatio ad introitum regni cœlestis. At in Veteri Testamento nemini patebat introitus in regnum cœleste quia ianua regni cœlestis nondum erat aperta, eo quod Christus nondum persoluerat pretium redemptionis nostræ, per effusionem sui sanguinis. (Heb. 9 8. & cap. 10. 19.) Denique, Sacramentum Matrimonij significat indissolubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam Matrimonium Iudæorum non poterat significare, quia per Libellum repudij poterat dissolui. (Deuteron. 24. 1.)

4. Dices 1. Videntur plura fuisse Sacramenta, quàm quæ iam enumerata sunt; vt Manna, & aqua scaturiens de petra, quæ erant figuræ Sacramenti Eucharistiæ. Respondeo, Erant quidem figuræ Sacramenti Eucharistiæ, vt benè obijcitur; sed tamē non erant propriè Sacramenta. Non enim erant externæ cęremoniæ à Deo institutæ, quæ ordinariè deberēt vsurpari, quamdiu duraret Synagoga. Nota in V T. fuerunt duplices figuræ nostrorum Sacramentorum. Quædam erant figuræ & Sacramenta simul; vt Circumcisio, Esus Agni Paschalis; & reliqua.

supe-

superius enumerata. Quædã non erant Sacramẽta, sed tantum figurę; quo pacto transitus maris rubri, erat figura Baptismi: Et Manna, figura Eucharistię. Neutrũ tamen Sacramentum (D. Thomas 3. par. quęstione 70. articulo 1. ad 2.)

5. Dices 2. Si non fuerint alia Sacramenta Mosaica, quam quæ enumerata sunt; necesse est, pauciora fuisse Mosaica, quam sint nostra, quod est contra Augustinum in Psal. 73. asserentem, plura fuisse Mosaica. Sequela patet, quia nostra Sacramenta sunt septem. At Mosaica non fuerunt septem, sed tantum quatuor, correspondentia Baptismo, Eucharistię, Pœnitentiæ, sacro Ordini, vt dictum est. Respondeo Mosaica fuerunt multo plura, quam quatuor, fuerunt enim variæ purificationes ab immunditijs legalibus, & similiter variæ expiationes à peccatis. Quæ tametsi inter se diuersę essent, repræsentabant tamen vnum Sacramentum nouæ legis, nempè Sacramentum Pœnitentiæ. Eodem modo fuerunt multa, quæ repræsentabant Eucharistiam.

QVÆSTIO II.

Quam vim, & efficaciam sanctificandi habuerint Sacramenta Mosaica.

1. SEnsus est, quam sanctitatem significauerint & effecerint Sacramenta Mosaica? Tria probanda sunt. 1. Quod significauerint gratiam iustificantem, quæ est vera & interna sanctitas. 2. Quod tamen non effecerint aut contulerint gratiam iustificantem. 3. Sed quod contulerint sanctitatem, seu munditiam legalem. Sit ergo.

2. PRIMA CONCLVSIO. Sacramenta Mosaica erant signa gratiæ iustificantis, quę in N.T. danda erat per Christum, Ita passim Theo-

logi, qui asserunt, Sacramentum in genere nihil aliud esse, quàm signum rei sacræ: vel, invisibilis gratiæ signum visibile. (Et hoc interesse inter Sacramentum V. ac N. T. quod hoc sit signum gratiæ præsentis illud fuerit signum gratiæ per Christum dandæ. Nam sicut nos in N. T. credimus, Christum venisse; ita Iudæi in V. T. credebant venturum esse. Vnde, sicut nostra Sacramenta significant gratiam, quæ reipsa datur per Christum; ita illorum Sacramenta significabant gratiam, quæ danda erat per Christum. Et hoc sensu dicit Apostolus, Hebr. 10. 1. Vmbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Sacramenta Mosaica non efficiebant gratiam iustificantem, quam significabant: vel, Non erant signa practica gratiæ iustificantis: vel, Non habebant vim iustificandi, aut remittendi peccata, quoad culpam. (Quæ omnia ferè pro eodem vsurpantur.) Ita D. Thomas in 3. p q 62. art. 6. & alij passim, exceptis paucis. Et probatur primò ex ijs Scripturæ locis, vbi Sacramenta Mosaica vocantur egena, infirma, & inutilia. Egena quia non continebant gratiam; Infirma, quia non poterant à peccato liberare: Inutilia, propter eandem causam. Galatarum 4. 9. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa? id est, ad cæremonias & Sacramenta Mosaica. Et Hebr. 7. 18. Reprobatio fit precedentis mandati: propter infirmitatem eius & inutilitatem. Vbi per mandatum intelligit legem Mosaicam; quę ideo reprobata est, quia erat infirma & inutilis. Tametsi enim præscriberet multas cæremonias & Sacramenta, non tamen per ea poterat hominem saluare. Quod etiam confirmatur ex sequentibus testimonijs Ioan. 1. 17. Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est, id est, Moses dedit populo nudam legem, nudas cæremonias, nuda Sacramenta. At Christus

dedit

dedit etiam, gratiam quam Moses dare non potuit Et Galat. 3.11. In legem nemo iustificatur apud Deum, id est, vi legis: vel, vi sacrificiorum & Sacramentorum, quę à lege præscripta sunt. Et ibi iem v. 21. Si data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. At ex lege non est iustitia; Ergo lex non potest viuificare. Ratio sumitur ex præcedenti conclusione; quia si Sacramenta Mosaica contulissent gratiam, iam fuissent signa præsentis gratiæ, & non futuræ. Nec Apostolus dixisset: Vmbram habens lex futurorum bonorum; sed potius, Habens præsentia bona, id est, præsentem gratiam, iustitiam & salutem.

4. TERTIA CONCLVSIO. Sacramenta Mosaica conferebant quandam munditiam & sanctitatem legalem, quę quidem non erat vera & interna sanctitas, sed tamen figura veræ & internæ sanctitatis.

Hæc conclusio clara est, si loquamur de purificationibus ab externis immunditijs, & de expiationibus ab externis peccatis. De reliquis Sacramentis sic ostenditur. Consecratio Sacerdotum (quo etiam spectat ablutio manuum, & rasio pilorum) efficiebat, vt aliqui è numero aliorum segregati, speciatim deputarentur ad cultum diuinum peragendum. Quæ deputatio erat quædam sanctitas legalis, quam non habebant Laici. Similiter, Circumcisio efficiebat vt homo qui antea reputabatur inter immundos & incircumcisos, transferretur ad populum sanctum, & à Deo peculiariter electum, de quo scriptum est. Exodi 19. 6. Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta. Et Deuter. 7. 6. Populus sanctus es Domino Deo tuo Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Ad hunc populum nemo admittebatur, nisi per Circumcisionem. Denique, Esus Agni Paschalis, & panum propo-

propositionis efficiebat, vt homines fierent participes cibi sanctificati; quæ erat quædam sanctitas legalis.

QVÆSTIO III.

An Sacramenta Mosaica fuerint tam perfecta quàm nostra?

1. LVtherani & Caluinistæ docent, nihil interesse inter Sacramenta Mosaica & nostra, quoad vim & efficaciam iustificandi: Ac proinde eandem vim & efficaciam habuisse Mosaica, quam habent nostra. Quod perinde est, ac si dicas, nihil interesse inter vmbram & imaginem; inter figuram & rem figuratam; inter ancillam & dominã, inter seruos, & filios; inter Mosen & Christum. Quæ omnia absurda sunt.

2. Catholici assignant duplex discrimen. Vnum quod Mosaica non contulerint gratiam iustificantem, vt ostensum est. Nostra conferant, vt patet Act. 2. 38 Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine IESV in remissionem peccatorum vestrorum. Et ad Titum 3. 5. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Hoc discrimen agnoscit Augustinus in Psal. 73. Alia sunt, inquit, Sacramenta dantia salutem; alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamenti dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti promittebant Saluatorem. Et ibidem: Mutata sunt Sacramenta facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, fœliciora. Vide eundem Epist. 178. ad Ianuarium, & libro. 3. de doctrina Christiana, cap. 9. & libr. 19. contra Faustum cap. 13.

3. Alterum est, quod Mosaica constabant rebus, & non verbis: Nostra, rebus & verbis. Ita D. Thomas 3. p. q. 60. ar. 6. ad 2. & 3 Et probatur, quia in V. T. vbi præscribuntur præcipui ritus

Sacra-

Sacramentorum, nulla fit mentio verborum, vt patet Geneſis 17. vbi præſcribitur ritus Circumciſionis. Et Exod. 12. vbi præſcribitur ritus Agni Paſchalis. Et Leuit. 8. vbi præſcribitur ritus ordinationis. Et ſic deinceps At in Nouo Teſtamento non tantùm rerum, ſed etiam verborum fit mentio. Nam in Baptiſmo eſt ablutio aquę, & verba baptizantis (Matth. 28. 19.) In Euchariſtia, eſt panis & vinum, & verba conſecrationis. (Matth. 26. 26.) In confirmatione, eſt impoſitio manuum; & oratio. (Actor. 8. 15. & 17.) In Extrema Vnctione, eſt Vnctio & oratio. (Iacobi 5. 14.) Rationem huius diſcriminis aſſignat D. Thomas. quia ſtatus V. T. erat imperfectior, quàm eſt ſtatus noui Teſtamenti. Et habebat Fidem obſcuriorem ac magis implicitam quàm nos habemus: Ergo etiam debebat habere Sacramenta obſcuriora; id eſt, magis obſcurè ſignificantia. Cùm ergo verba ſint clariora ad ſignificandum, quàm externæ cæremoniæ, non debebant Sacramenta Moſaica conſtare verbis, ſed ſolis cęremonijs: Alioqui fuiſſent æquè clara, ac noſtra; quod eſt contra analogiam & differentiam Veteris ac Noui Teſtamenti, quæ initio huius libri explicata eſt.

4. Contra prius diſcrimen obijcit Caluinus illud 1. Corinth 10. 3. Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Ex quo colligit, Iudæos eandem eſcam manducaſſe in manna, quam nos manducamus in Euchariſtia: ac proinde manna & Euchariſtiam eſſe eiuſdem virtutis & efficacię. Et confirmatur, quia eſca illa, teſte Apoſtolo, erat ſpiritualis: Ergo habebat effectum ſpiritualem, & non tantum corporalem aut legalem. Vnde tract 26. in Ioannem. diſputans de illo loco Pauli, dicit Sacramenta noua & vetera fuiſſe diuerſa ſpecie viſibili, ſed paria virtute ſpirituali.

5. Reſ-

5. Respondeo. Apostolus non confert nos cum Iudæis, sed Iudæis inter se Neque dicit, Iudæos eandem escam nobiscum manducasse, sed omnes Iudæos, inter se collatos, eandem escam manducasse: vt patet ex contexto, qui sic habet: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moise baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Quod non potest secundùm sensum litteralem intelligi de Christianis, sed de solis Iudæis. Sensus igitur Apostoli est hic: Quemadmodum Iudæi, tametsi omnes idem manna cœleste manducarent, & eandem aquam diuinitus datam biberent, non tamen omnes salui facti sunt, sed multi in deserto perierunt, propter sua peccata. Ita nos Christiani, tametsi omnes eodem Baptismo, & eadem Eucharistia vtamur, non tamen omnes saluabimur, nisi à peccatis abstineamus.

6. Nec obstat Augustinus, cuius verba sunt hęc; In signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt, id est, Sacramẽta vetera & noua sunt paria, quo ad rem significatam; quia eundem Christum significant. Hinc non sequitur, esse paria quoad efficaciam, sed solum quoad significationem. Nam vetera significabant Christum venturum: noua significant Christum præsentem. Et hoc sensu, tam vetera, quam noua, dicuntur spiritualia.

7. Contra posterius discrimen obijci potest, quod etiam in Vet. Testamento, quando prascribuntur ritus sacramentales, fiat mentio verborum; vt patet Leuit. 4. 26. Vbi describitur ritus sacrificij pro peccato & postea subditur: Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Respondeo. Non est certum, quod illud sacrificium fuerit Sacramentum. Et, si non fuit Sacramentum, cessat obiectio. Deinde, oratio Sacerdotis non erat de essentia sacrificij pro

cij pro peccato; sed solum addebatur ad facilius impetrandam peccati remissionẽ. Hoc inde colligitur, quia in sacrificio pro peccato Sacerdotis nulla oratio adhibebatur; sed solum in sacrificio pro peccato alicuius de populo, vt patet ex loco citato.

QVÆSTIO IV.

Quid statuendum sit de Circumcisione?

1. HActenus dixi de Sacramentis in genere. Nunc speciatim agendum est, primo de Circũcisione. 2. de purificationibus ab externis immunditijs. De reliquis actum est antea præsertim de Esu Agni Paschalis, cap. 13. § 15. & sequentibus. De expiationibus à peccato, ibid. § 31. De consecratione Sacerdotum c. 7 q. 3.

2. Igitur de Circumcisione, quædam certa, quædam dubia sunt apud Theologos. Certa sunt hæc. Primò, quod Circumcisio à Deo instituta sit pro Abrahamo, & tota eius posteritate masculà. (Genes. 17. 10.)

3. Secundò, quod debuerit fieri octauo die (ibidem v. 12.) Nec poterat citius fieri, quia ante illum diem, propter infantis teneritatem, fuisset periculum mortis. Poterat tamen iusta de causa differri post octauum diem; sicut dilata est in deserto per quadraginta annos, ob continuam peregrinationem. (Iosue quinto, versu sexto.) Vide ibi Serarium & Vasquez in 3. parte disput. centesima sexagesima tertia, cap 2.

4. Tertiò, quod debuerit fieri in carne præputij. (Gen. 17.) Quia Adamus in isto membro sensit primum effectum suæ inobedientiæ, nempe rebellionem carnis. (Gen. 2. 11.)

5. Quarto, quod ob varios fines instituta sit, Primò, vt esset signum fœderis seu pacti inter Deum signum fœderis inter me & vos. Gen. 17.

11. Vt sit signum fœderis inter me & vos. Hoc autem fœdus ex parte Dei, tale est: Vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Ex parte Abrahami: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Vno verbo: Deus promittebat Abrahamo & posteris eius perpetuam protectionem. Hi vicissim promittebant Deo obedientiam & legis obseruationem. Secundò, vt esset signum, fidei Abrahæ, & iustitiæ per fidem adeptæ (Romanorum quarto, versu vndecimo) Tertiò, vt esset typus seu figura Baptismi. (Coloss. 2. 11.) Nam sicut Baptismus est signum, quo Christiani distinguuntur à non Christianis; ita Circumcisio fuit signum, quo Iudæi distinguebantur ab alijs gentibus. Et sicut nemo potest vsurpare alia Christianorum Sacramenta, nisi prius sit baptizatus; ita nemo poterat vsurpare Sacramenta Mosaica, nisi prius fuisset circumcisus. Denique, sicut susceptio Baptismi est quædam protestatio fidei Christianæ; ita susceptio Circumcisionis fuit quædam protestatio fidei Abrahæ. (Vide D. Thomam 3. p. quæst. 7. articulo)

6 Dubia sunt hæc. Primò, An Circumcisio debuerit fieri cultro lapideo. Secundò, Quare Moses non circumciderit filium suum. Tertiò, Quare Iudæi non fuerint circumcisi in deserto per 40. annos. Quartò, An etiam gentiles debuerint circumcidi. Quintò, An licuerit circumcidere filios gentilium, inuitis parentibus. Et alia similia, de quibus Vasquez in 3. part. disputatione 61. cap. 1. & disputatione 164. capite 1. & disputatione 151. cap. 3. Et Cornelius in cap. 4. Exodi v. 24. & in cap. 17. Geneſis v. 12. & alij.

7. Præcipua dubitatio est, An etiam Circumcisio fuerit instituta in remedium peccati originalis? Et consequenter, an contulerit gratiam iustificantem? Multi affirmant cum Augustino. Alij rectius

rectius negant cum Iustino, Irenæo, Chrysostomo, vt Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 15 & 17. & Vasquez in 1. 2. disput. 110 cap. 2. Et probatur primò ex illo Geneſis decimo ſeptimo, verſu decimo. Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Vbi aſſignatur finis, ob quem inſtituta fuit Circumciſio: Et nulla fit mentio remedij contra peccatum originale

8. Secundò, ex illo Rom. 3. 1 Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum quidem per omnem modum, quia credita ſunt illis eloquia Dei Vbi Apoſtolus ex profeſſo quærit, quid Circumciſio profuerit Iudæis? Nec dicit profuiſſe ad remiſſionem peccati originalis (quod tamen maximè dicere debuiſſet, ſi verum eſſet) ſed ſolum ad hoc profuiſſe, quod Iudæi per Circumciſionem ſeparati à gentilibus, acceperint legem Moſaicam.

9. Idem docent ipſimet Iudæi præſertim Philo in libro de Circumciſione, & Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 12. qui ambo rerum Iudaicarum fuerunt peritiſſimi. Accedit duplex ratio. Vna, quia Circumciſio debebat differri vſque ad octauum diem. Si ergo fuiſſet remedium peccati originalis, omnes infantes, qui moriebantur ante octauum diem, carniſſent illo remedio, quod eſt durum aſſerere. Altera, quia Iudæi per 40. annos in deſerto non fuerunt circumciſi. (Ioſue 5. 6.) Quis autem credat remedium peccati originalis tamdiu fuiſſe neglectum, ſciente & conſentiente Moſe?

10. Solet obijci illud Gen. 17. 14. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Ex quo colligit Auguſtinus, omnes maſculos, non circumciſos, perire, quia

peccat

peccarunt in Adamo, & irritum fecerunt pactum de non comedendo fructu arboris, circumcisos autem non petiit, quia per Circumcisionem liberati sunt ab illo peccato. Respondeo. Illud pactum cuius ibi fit mẽtio, non est pactum de fructu arboris non comedendo, vt putat Augustinus; sed est pactum, quod inter Deum & Abrahamum, eiusque posteros initum est, vt ante explicaui Est igitur hic sensus: Quicumque masculus ex posteris Abrahæ non fuerit circumcisus, non censebitur pertinere ad populum Dei electum; quia feci hoc pactum cum Abrahamo & posteris eius, vt nemo, nisi circumcisus, ad populum Dei admittatur.

11. Secundò obijcitur: Circumcisio fuit figura Baptismi: At Baptismus institutus est in remedium peccati originalis · Ergo & Circumcisio. Respondeo. Non sequitur, vt patet in hoc simili discursu: Agnus Paschalis fuit figura Eucharistiæ; At Eucharistia instituta est ad conferendam gratiã ex opere operato. Ergo & Agnus Paschalis. Vel in hoc: Salomon fuit figura Christi. At Christus est Redemptor humani generis: Ergo & Salomon. Vel in hoc: Synagoga fuit figura Ecclesiæ At Ecclesia est Catholica seu vniuersalis: Ergo & Synagoga. Ratio est, quia figura in duobus deficit à re figurata. 1. Quod non repræsentet rem figuratam in omnibus, sed in aliquo tantum. 2. Quod in eo ipso, in quo illam repræsentat, imperfectior sit quàm res figurata. v. g. Circumcisio est figura Baptismi. In Baptismo multa spectari possunt. 1. Quod sit signum discernens, seu segregans Christianos ab alijs. 2. Quod conferat gratiam sanctificantem, & ea mediante, tollat peccatum originale. 3. Quod fiat per ablutionem aquę. 4. Quod perficiatur per inuocationem Sanctissimæ Trinitatis. Circumcisio non est figura Baptismi, vel non repræsentat Baptismum in his, omnibus, sed tantum in primo,

primo. Et in eo ipso adhuc deficit. Est enim carnale signum, discernens Iudæos ab alijs. Baptismus est spirituale signum, discernens Christianos à non Christianis. Item. Baptismus est signum necessarium ad salutem, quia nemo sine Baptismo saluari potest (Ioan 3 5.) Circumcisio non est signum necessarium ad salutem, quia Niniuitæ & alij sine Circumcisione saluati sunt.

12. Eodem modo, manna est figura Eucharistiæ: At in Eucharistia multa spectari possunt. 1. Quod si cibus & potus 2. Quod contineat verum Corpus & Sanguinem Christi. Quod conferat gratiam iustificantem Et plura alia. Manna non repræsentat Eucharistiam in his omnibus; sed in eo, quod sit cibus. Et in ipso deficit. Non enim est cibus animæ, sicut Eucharistia; sed tantum corporis. Neque confert immortalitatem, sicut Eucharistia; sed relinquit hominem mortalem. Ioan. sexto, vers. quadragesimo octauo. Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens; vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Idem dicendum est de Salomone respectu Christi; & de Synagoga respectu Ecclesiæ.

13. Ex hoc duplici defectu satis apparet non licere argumentari à re figurata ad figuram, secundùm æqualitatem aut paritatem; sed tantum, secundùm quandam analogiam, qualis est inter vmbram aut corpus; inter rudem delineationem imaginis, & perfectam imaginem. Itaque non valent hæ consequentiæ. Primò, Circumcisio est figura Baptismi. At Baptismus tollit peccatum originale: Ergo & Circumcisio. Secundò, Baptismus spiritualiter discernit Christianos ab alijs: Ergo & Circumcisio. Tertiò, Baptismus fit per ablutionem aquæ. & inuocationem Sanctissimæ Trinitatis: Ergo & Circumcisio. Hæc tamen valet; Circumcisio est figura Baptismi: Ergo debet esse aliqua Analogia inter vtrumque, qualis est

lis est inter vmbram & corpus; inter inchoatum & perfectum. Hæc in eo consistit, quod sicut Circumcisio in carne distinguit Iudæos à gentilibus; ita Baptismus in anima distinguit Christianos à nõ Christianis, nempe per spiritualem characterem, qui animæ indelebiliter impressus est.

14. Tertiò obijcitur: Non potest assignari aliud remedium peccati originalis in V.T. quam circumcisio: vel, si potest, assignetur. Respondeo. Assignetur huiusmodi remedium pro fœmellis, quæ non circumcidebantur; tunc assignabo pro masculis. Aut si nos latet, quo remedio vsi sint fœmellæ: quid mirum si lateat quo remedio vsi sint masculi? Iudæi, debebant vtrumque scire per Traditionem. Nam ex Scriptura nihil certi haberi potest. Vide, quæ cap. 1. quæst. vltima de Traditionibus dicta sunt.

QVÆSTIO V.

Quid statuendum de Purificationibus ab immunditia legali?

1. IVdæi, qui contraxerant immunditiam legalem, debebant purificari, antequam admitterentur, vel ad ingressum templi, vel ad sacras oblationes, vel ad aliorum consortium. De hac purificatione breuiter agendum est per sequentes quæstiunculas.

2. Quæres 1. Quinam secundùm legem Moysicam erant immundi? Respondeo. Erant dupliciter immundi. Alij in se: Alij ex contactu rei immundæ. In se immundi erant hi. 1 Puerperæ (Leuit. 12. 2.) 2 Leprosi, (Leuit. 13. & 14.) 3. Semine flui, (Leu. 15. 2.) 4 Polluti ex coitu, siue legitimo, siue illegitimo, (Leuit. 15. 16.) 5. Menstruata, (Leuit. 15. 19.) 6. Hæmorrhoissæ, id est, quæ multis diebus patiuntur fluxum sanguinis, extra tempus menstruale, (Leuit. 15. 25.)

3. Ex

3. Ex contactu autem rei immundę fiebant immundi qui sequuntur. 1. Qui tangebant leprosos, seminifluos, pollutos ex coitu, menstruatas, hæmorrhoissas, aut illarum vel illarum vestes, aut sedilia, vt patet ex locis allegatis 2 Qui tangebant reptilia, aut alia animalia immunda, quibus non licebat vesci. (Leuit. 11. 43.) 3. Qui tangebant cadauera animalium immundorum, (Leuit. 11. 24.) 4. Qui tangebant cadauera animalium mundorum, quæ sponte erant mortua. (Leuit. 11. 39.) 5. Qui tangebant cadauera, aut ossa, aut sepulchra hominum mortuorum, Num. 19. 11.) 6. Qui ingrediebantur domum vel tentorium, in quo iacebat mortuus. (Numerorum decimonono, versu decimoquarto,) 7. Qui tangebant aquas expiationis, quibus immundi expiabantur. (Num. 19. 21.)

4. Quæres 2. quomodo purificabantur, qui erant immundi in se? Respondeo. Non omnes eodem modo. Puerpęræ purificabantur hoc modo. Si peperissent masculum, immundæ erant septem diebus, & manebant trigenta tribus diebus in sanguine purificationis. Et tunc offerebant agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato. Vel, si pauperes essent, duos turtures tantum, vel duos pullos columbarum Si autem peperissent fœmellam, immundæ erant quatuordecim diebus: & sexaginta sex diebus manebant in sanguine purificationis. Et tunc offerebant pro fœmella, sicut pro masculo (Leuit. 12. per totum.)

5. Leprosi, antequam curata esset lepra, iubebantur hæc præstare. 1. habere vestes dissutas. 2. caput nudum. 3. os veste contectum. 4. clamare, sordidos se esse Leu. 13. 44. Quando autem curata erat lepra, expiabantur hoc modo. 1. Sacerdos aspergebat illos Sanguine passeris, per alium passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco & hysso,

& hyſſopo: & mox paſſerem viuum permittebat auolare. 2. Ipſimet lauabant veſtes ſuas, radebant pilos corporis, ac deinde lauabant ſeipſos. 3. die octauo, ſi diuites erant, offerebant agnum pro delicto, & agnum pro peccato, & ouem anniculum in holocauſtum, cum tribus decimis ſimilæ, & olei ſextario. Sin pauperes, offerebant agnum pro delicto, & duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum, cum tribus decimis ſimilæ & olei ſextario. 4. Sacerdos ſanguine agni tingebat autem illorum dexteram, & pollices dexteræ manus & pedis. 5. Ex oleo aſpergebat ſepties coram tabernaculo: reliquum olei fundens ſuper extremum auriculæ dextræ, & ſuper pollices manus ac pedis dexteri, & ſuper caput. (Leuit. 14. per totum.) Simili modo luſtranda erat veſtis aut domus, quando à lepra curata.

6. Seminiflui, id eſt, qui durantem ſeminis fluxum patiebantur ex debilitate naturæ, debebant ſic purgari. Quando ſanati erant, numerabant ſeptem dies, & tunc lotis veſtibus ac toto corpore erant mundi. Die autem octauo offerebant duos turtures, vel duos pullos columbarum vnum pro peccato; & alterum in holocauſtum (Leuitici 15. verſu 13.)

7. Polluti ex coitu (ſiue viri, ſiue fœminæ) lauabant totum corpus aqua, & erant immundi vſque ad veſperam (Leuit. 15. 16.) Menſtruatæ ſeptem diebus ſeparabantur. (ibidem verſ. 19.) Hęmorrhoiſſę, quando ſiſtebatur ſanguis, numerabant ſeptem dies ſicut seminiflui, & octauo die offerebant duos turtures, vel duos pullos columbarum: vnum pro peccato; & alterum in holocauſtum. (ibid. v. 28. & 29.)

8. Quæres 3. Quomodo purificabantur, qui erant immundi ex contactu rei immundæ? Reſpondeo Hęc ferè regula ſeruabatur. Eo die, quo tangebant rem immundam, manebant immundi

vſque

vsque ad vesperam, seu vsque ad Solis occasum, & loti aqua expiabantur, vt patet Leuit. 15. vbi hæc verba sæpe repetuntur: Qui tetigerit (hãc vel illam rem immundam) lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Excipiebantur tamen, qui fiebant immundi ex contactu mortui, vel morticini, vel sepulchri hominis mortui. Nam illi manebant immundi septem diebus: & die tertio & septimo aspergebantur aqua lustrali, & sic expiabantur. (Numer. 19. v. 11.)

9. Quæres 4. An omnes immundi, quamdiu erant immundi, debuerint extra castra habitare? Respondeo. Omnes quidem arcebãtur ab ingressu templi, & à sacris oblationibus: Non tamen omnes eijciebantur extra castra. Sed hi soli. Primò, leprosi, seminiflui, & polluti super mortuo, (Num. 5 2.) Secundò, polluti ex nocturno somnio, (Deut. 23. 10.) Præter hos immundos, omnes omnino, siue mundi, siue immundi, debebant egredi castra, quoties ibant ad requisita naturæ iuxta illud Deuter. 23. 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo: cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es. Idque ob duas causas, vt ibidem insinuatur. 1. vt castra seruarentur munda contra morbos. 2. propter honorem Arcę fœderis in qua Deus habitabat in medio castrorum.

10. Quæres 5. An omnes immundi, qui contrahebant immunditiam legalem, simul contraxerint peccatum? Vel, An omnis immunditia legalis fuerit peccatum? Respondeo. Non omnis. Erat enim duplex immunditia Hebræorum. Vna erat veti a præcepto Dei, vt comederet carnes immundas sanguinem, adipem, (Leuit. 11. per totum.) Item, comedere morticinum, vel laniatum à bestijs, (Leuit. 22. 8.) Item, tangere morticina immundorum, & tangere reptilia,

(Leuit. 11. 43.) Igitur per horum esum vel contactum, non tantum contrahebatur immunditia legalis; sed etiam peccatum. Altera immunditia non erat vetita præcepto Dei, sed solum indicata & statuta; vt tangere leprosum, vel seminis fluum, pati lepram, fluxum seminis, menstrua. Nam de his non dicitur: Ne tangatis ea, sed, qui tetigerit, immundus erit. Vnde hæc non erant peccata, sed tantum inducebant irregularitatem legalem. Vide Cornelium in decimum quintum Leuitici.

11 Quæres 6. Qualis erat illa aqua, qua immundi aspergebantur & mundabantur? Respondeo. Erat aqua lustralis, seu aqua lustrationis; vel expiationis, cui cineres rufæ vaccæ erant infusæ. Fiebat autem hoc modo: Sacerdos accipiebat rufam vaccam sine macula, quę non portauerat iugum. Hanc immolabat extra castra, & totam comburebat cum ligno cedrino, cocco bis tincto, & hyssopo. Illius cineres collecti spargebantur in aquam viuam, id est, fontaneam, seu fluentem: Et tunc aqua illa cineribus insperſa adhibebatur ad immũdos purificãdos. (Num. 19. 2.)

12. Nota 1. Hæc vacca in deserto immolabatur extra castra. In terra verò Palæstina immolatur Ierosolymis extra portam. Et in ie cineres deferebãtur ad singula oppida, vt vbique haberẽt aquam lustrationis pro vsu quotidiano. Omnes enim immunditiæ per hanc aquam tollebantur, vt colligitur ex illo Heb. 9 13 Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, &c.

13. Nota 2. Tradunt Hebræi, & ex eis Burgensis addit. 2. in c. 19. Num. quod sex tantum vaccæ rufę fuerint immolatæ per totam durationem à Moyse vsque ad Christũ Prima, tempore Moysis. Secunda, tẽpore Esdrę Tertia & quarta, tempore Simeonis iusti, qui fuit Pontifex per annos octo;

octoginta. Quinta & sexta, tempore Ioannis Pontificis, qui fuit pater Mathathiæ, à quo descenderunt Machabæi, Quod tamen non est verisimile Nã pauci cineres vnius vaccæ, quæ tempore Moysis immolata est, non poterat sufficere per 10. annos, quod inter Moysen & Esdram elapsi sunt, præsertim pro tanta Iudæorum multitudine, & pro quotidianis purificationibus; quæ ex præcepto Dei fiebant. Vnde verisimilius est, quod tradunt Liran. & Cornelius, singulis annis vnam vaccam esse immolatam.

14 Quæres 7. Quid significabant tot ac tam diuersæ purificationes Iudæorum? Respondeo. Erant figuræ Sacramenti Pœnitentiæ, & significabant, quàm seria futura esset contritio, confessio, purificatio, & mundicia Christianorum, quam accuratum examen conscientiæ, quàm diligens sollicitudo ad eluendam vel minimam labeculam animæ.

CAPVT XVI.

De obseruantijs Legalibus.

OBseruantiæ legales, quibus Iudæi discernebantur à Gentilibus, erant variæ. 1. discretio ciborum mundorum ab immundis. 2. Abstinentia à sanguine & adipe. 3. Ieiunia. 4. Vota. 5. Iuramenta. 6. Solemnitates Festorum. 7. Annus remissionis 8. Iubilæum. 9. Rasio vel tonsio capitis ac barbæ 10. Certus vsus vestium. Vide D. Thom. in 1. 2. q. 102. art. 6. Dicam aliquid de singulis.

De discretione ciborum mundorum ab immundis.

1. De hac discretione potissimum agitur Leui-

tici 11 & Deut. 14. Ex quibus locis colligi possunt aliquot regulę. 1. De pecoribus 2. de piscibus. 3. de auib. 4. de alijs. Et quidem de pecoribus est hęc regula gene alis: Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis; vt bouem, ouem, capram, ceruum, capream, bubalum, trangelaphum, Pygargum, Orygem, camelopardum, (Leuit. 11. 3. & Deut. 14. 4.)

2. Ex quo deducuntur aliæ tres. Prima, quod nec ruminat, nec vngulam diuidit, immundum est. (Leuit. 11.) Secunda, Quidquid autem ruminat quidem, sed vngulam non diuidit, etiam immundum est, vt camelus. lepus, cherogryllus, (Leuit. 11. 4. & Deut. 14. 7.) Tertia, Quidquid non ruminat, etiam si vngulam diuidat, immundum est, vt sus, Leuit. 11 7. & Deut. 14. 8.

3. De piscibus sunt duæ regulæ. Prior: Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari, quàm in fluminibus & stagnis, comedetis. Posterior: Quidquid non habet pinnulas & squamas, immundum & abominabile est, Leu. 11 9. & Deut. 14 9.

4. Aues immundę, quibus non licebat vesci, erant hę: Aquila, Cryps, Halicetus, Ixion, Miluus. Vultur, Coruus, Struthio, Noctua, Larus, Accipiter, bubo, Mergulus. Ibis, Cygnus, Onocrotalus, Porphyrio, Herodius, Charadrion, Vpupa, Vespertilio, Leuit. 11. 13. & Deut. 14. 12.

5. De alijs erant hæ regulæ. Prima, omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Leuit. 11. 20. Secunda, Quidquid autem ambulabat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quę saltat super terram comedere debetis, vt est Bruchus, attachus, ophiomagus, locusta, Leuit. 11. vers. 21. Tertia, immunda seu polluta sunt, Mustela, mus, crocodilus, Mygale, Chamęleon, stellio, lacerta, talpa, Leuitici 11. vers. 29. Quarta, Omne quod reptat super terram, abominabile

nabile erit, Leuitici 11. versu 42 Quinta, Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est. Leuitici 11. versu 42.

6. Nota 1. Immundum dupliciter sumitur in Scriptura. Primò, pro polluto, abominabili, execrando, quod non liceat comedere. Sic sumitur locis iam citatis. Secundò, pro debili vel maculoso, quod liceat quidem comedere, sed non offerre in sacrificium. Sic sumitur Deuter. 12. 15. Sin autem comedere volueris; & te esus carnium delectauerit, occide, & comede iuxta benedictionem Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus: siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile, siue mundum, hoc est integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capram & ceruum, comedes absque eiu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

7. Nota 2. Præter immunda animalia, de quibus iam dictum est, erant etiam alia, quę tametsi ex suo genere munda essent, tamen censebantur immunda propter aliquam circumstantiam. De quibus intelligi debent hæc scripturę testimonia. Exodi 21. 28. Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedetis carnes eius. Et Exodi 22. 31. Carnem, quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis; sed proijcietis canibus. Et Leuit. 7. 29. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni. Et Leuit. 11. 34. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua immundus erit. Et Deuter. 14. 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo.

8. Quæres 1. Quid significabat illa discretio ciborum mundorum ab immundis, in V. T. Respondeo. Significabat discretionem Iudæorum

& Gentilium. Nam Iudæi in V. T. censebantur mundi, sancti, impolluti: Gentiles vero immundi, & polluti. De Iudæis dictum est, Deut 14. 2. Populus sanctus es Domino Deo tuo. De Gentilibus verò Matth. 7. 6 Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Et Matth. decimo quinto, versu vigesimo sexto, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

9. Quæres 2. Quis sustulit hanc discretionem inter Iudæos & Gentiles? Resp. Christus, qui ex Iudæis & Gentilibus fecit vnam Ecclesiam: Et abstulit medium parietem, quo à se mutuo diuidebantur Ephes. 2. 14. Huc etiam spectat illud Rom. 3. 29. An Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Et Rom. 10. 12. Non est distinctio Iudęi & Græci. Et Galat 3. 28. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.

10. Quæres 3. Quis primò cognouit hoc mysterium? Respondeo. In veteri testamento fuit incognitum, Ephes. 3. v. 5. In nouo, primo omnium reuelatum est Petro, quando vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant simul animalia munda & immunda. Quo significabatur, in Ecclesia simul fore Iudæos & Gentiles. Actor. 10. versu 12 Hoc intelligo eo sensu, quo explicatum est capite secundo. quęst 9. § 2.

11. Quæres 4. An etiam in nouo testamento sit discretio ciborum mundorum ab immundis? Respondeo. Non est. Nam, vt ait Apostolus, ad Titum 1. 15. Omnia munda mundis. Et 1. Timoth. 4. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Vbi nota discrimen inter Iudæos, Christianos, & hæreticos. Iudæi abstinebant à quibusdam cibis, ex præcepto Dei, propter im-

mun-

munditiam legalem. Christiani abstinent in quadr. gesima à carnibus ex præcepto Ecclesiæ; non propter immunditiam, sed propter deuotionem. Hæretici abstinent à quibusdam cibis ex errore, propter falsam persuasionem. 1. Timoth. 4. versu 2.

De abstinentia à sanguine & adipe.

12. De hac abstinentia extat præceptum. Leuit. 3. 17. Iure perpetuo, in generationibus, & cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis. Vbi aliqua notanda sunt. Primò, quod Iudæis in lege Mosaica non tantum prohibitus fuerit sanguis immolatitius, id est, sanguis victimarum: sed etiam sanguis quorumcumque animalium, quę domi ad esum mactabantur, vt patet Leuit. decimo septimo, v. decimo. Homo quilibet de domo Israel, & de aduenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est. Et infra v. 14. Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.

13 Secundò, quod hoc præceptum non tantum Iudæis fuerit datum in lege Mosaica, vt iam ostendi; sed etiam Noë & posteris eius in lege naturę, Gen. 9 3. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis, in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinẽ enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum Et post a nonis Christianis in lege Euangelica; Act. 15. 29. Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato. Itaque tribus vicibus prohibitus est esus sanguinis. 1. In lege naturæ, antequam introducta esset discretio ciborum mundorum ab immun-

dis. 2. in lege Mosaica, quando vigebat illa discretio. 3. in lege Euangelica, quando eadem discretio fuit abrogata.

14. Hęc triplex prohibitio facta est ob triplicem causam. Prima causa est, vt homines abstinerent ab effusione sanguinis humani, (Genes. 9. 5) Altera est, quia sanguis est vehiculum, nutrimentum, & tutela vitæ ac spirituum vitalium. Vita autem solius Dei est : Ergo & sanguis soli Deo offerri debet. Quæ causa adducitur in secunda prohibitione, Leuit. 17. 11. Quia anima carnis in sanguine est. Tertia, vt Iudæi & Gentiles facilius possent vniri seu coalescere in vnam Ecclesiam. Quæ causa fuit, cur Apostoli interdicerent esum sanguinis. Nam Gentiles comedebant sanguinem: Iudæi non item. Ne ergo fieret inter illos dissensio, vtrique iussi sunt abstinere à sanguine (saltem ad initium nascentis Ecclesiæ) vt esset firmior illorum concordia & vnitas.

15. Hæc abstinentia à sanguine multum differebat ab abstinentia ab adipe. 1. Quia abstinentia à sanguine præcepta fuit in lege naturæ, in lege Mosaica, & in lege Euangelica, vt dixi. Abstinentia verò ab adipe, solùm in lege Mosaica. 2. Iudæi debebant abstinere ab omni sanguine; non tamen ab omni adipe. Debebant quidem abstinere ab adipe, qui seorsim in intestinis continetur: non tamen ab eo, qui carni adhæret, & illi quodammodo immixtus est. Rursum, debebant abstinere ab adipe illorum animalium, quæ erant munda ad sacrificium, vt ab adipe ouis, capræ, bouis: Non tamen ab adipe aliorum, quæ tantum erant munda ad comedendum, vt ab adipe cerui, babuli, & similium, de quibus supra §. 1. Vide Cornelium in cap. 3. Leuitici versu 17.

De sim-

De Ieiunijs.

16. Duplicia erant Iudęorum ieiunia: Alia communia seu publica: alia priuata. Communia rursum duplicia. Alia statuta & ordinaria, quæ singulis annis repetebantur. Alia extraordinaria, quæ indicebantur ob aliquam præsentem, vel ingruentem calamitatem, & non repetebantur singulis annis. De prioribus intelligitur illud Zachariæ 8. 9. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solemnitates pręclaras. Vbi insinuantur quatuor ieiunia, quæ ordinariè à Iudæis seruabantur, vt notat S. Hieronymus, Rupertus & Ribera in locum citatum, Torniellus in Annalibus, Anno mundi 2545. num. 42. Cornelius in capite 32. Exodi v. 19. & alibi.

17. Primum erat, ieiunium quarti mensis, quod Iudæis indictum fuit ob tabulas legis confractas. Cùm enim Moses descendens de monte Sinai, deferret tabulas legis ad castra, & videret populum choros ducere, & vitulum aureum adorare, iratus est, & ex pio zelo proiecit tabulas ad radicem montis & confregit. Exodi 32. 19. Putabat enim indignum esse, si tabulas legis quas ieiunio quadraginta dierum obtinuerat, offerret populo, qui per ebrietatem & idololatriam factus erat transgressor legis. Hoc sensu Ambrosius lib. de Hęlia & Ieiunio cap. 6. ait: Tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. Et quia hæc confractio tabularum facta est die decimo septimo quarti mensis, ideò indictum fuit ieiunium eodem die, vt patet ex Kalendario Hebræorum apud Genebrardum in commentarijs super Psalmos.

18. Secundum erat, ieiunium quinti mensis, quod ideo fuit indictum, quia Hebræi quinto

mense prohibiti sunt ex Cadesbarne ascendere montem Idumææ, & sic breui compendio recta transire in proximam terram promissionis: Sed iussit dire in solitudinem per viam maris rubri, & quadraginta annis errare in solitudine, in pœnam murmurationis contra Deum Et cum non obtemperauerunt Deo sed in montem Idumææ ascenderunt, plerique occisi sunt ab Amorrhæis, qui in illo monte habitabant. Num. 14. 33. Et Deuter. 1. v. 40. & sequentibus.

19 Tertium erat, ieiunium septimi mẽsis, quod indictum fuit ob eædem Godoliæ, quæ fuit Hebræis valdè perniciosa 4. Reg 25 v. 25.

20. Quartum erat, ieiunium decimi mensis, quod deò indictũ fuit, quia illo mense Ezechiel, & cæteri, qui erant cum illo in captiuitate Babylonica, audierunt Ierusalem esse captam, & templum incensum. Vide autores supra citatos qui hoc ferè modo explicant hæc quatuor ieiunia.

21. Præter hęc ordinaria ieiunia, erant alia extraordinaria, quæ iudicebantur ob aliquam præsentem vel imminentem calamitatem. Sic Iosaphat Rex Iuda indixit ieiunium vniuerso populo, quando Moabitæ, & Ammonitæ veniebant contra illum ad bellum 2. Paral. 20. 3 Sic Esdras indixit ieiunium pro felici itinere, ne ab hostibus infestaretur, quando cum sociis suis, ex consensu Regis Artaxerxis è captiuitate Babylonica profectus est in Ierusalem ad domum Domini instaurandam (Esd 8 21) Sic filij Israel ieiunarunt tota die, quando à Beniamitis cæsi & fugati sunt, Iudic. 20 26. Similiter quando à Philistæis propter sua peccata affligebantur 1. Regum 7 6. Item, quando Holofernes venit contra illos cum ingenti exercitu, Iudith. 4. 8. Item̃que, quando crudele edictum Regis Assueri contra ipsos promulgatum est. Esther. 4. 3. Ac denique, quando volebant auertere iram Dei, tem-

tempore Ioachim filij Iosiæ Regis Iuda Ierem. 36. 9.

22. Hæc de publicis seu communibus ieiunijs. Priuata erant, quæ quisque sibi, vel ex propria deuotione, vel ex Dei instinctu assumebat. Sic Moses accepturus à Deo legem Decalogi, ieiunauit quadraginta diebus Exodi 34. 28. Sic Helias, fugiens persecutionem Iezabelis, & tendens in montem Dei Horeb, ieiunauit totidem diebus, 3. Reg. 19. 8. Sic Dauid, audita morte Abner, ieiunauit vsque ad occasum solis. 2. Reg. 3. 35. Sic idem Dauid, ægrotante filiolo, deprecatus est pro eo Dominum & ieiunauit, 2. Reg. 12. 16. Sic Sara filia Raguelis, cùm obijceretur ipsi, quod septem viros occidisset, ieiunauit tribus diebus & tribus noctibus. Tobiæ 3. 10. Sic Daniel, orando & ieiunando obtinuit à Deo, vt abbreuiarentur anni desolationis Ierusalem, Dan. 9. 3.

23. Christus in nouo Testamento, tribus potissimum modis commendauit nobis ieiunium. Primo, suo exemplo, quia ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus in deserto, Matth. 4. 2. Secundo, ostendendo, quanta sit vis & efficacia ieiunij, Matth. 17. v. 20. Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. Tertio, prædicendo, fore, vt ipsius discipuli, id est, veri Christiani, post ipsius mortem essent ieiunaturi. Matth. 9. 15. Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, & hoc factum est tempore Apostolorum. Act. 13. 2. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus. Ecce Spiritus S. loquitur ieiunantibus. Idem post tempora Apostolorum obseruatum est, ab omnibus veris Christianis, vsque ad hæc nostra tempora, vt patet partim ex historijs Ecclesiasticis, partim ex praxi & antiqua consuetudine, quam à maioribus nostris accepimus. Videāt nūc,

an sint veri Christiani, qui nunquam ieiunant. An de illis Christus locutus sit ; cum dixit: Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.

De Votis.

24. Vouere nihil aliud est, quàm Deo aliquid promittere. Porrò in lege Mosaica, de qua nunc potissimum agimus, erant variæ leges circa votum. Vna generalis: Aliæ speciales. Generalis erat hæc, Deut. 23.21. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis; Et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.

25. Speciales erant triplices : Aliæ de valore & irritatione voti: Aliæ de redemptione: Aliæ de materia. Leges primi generis, de valore & irritatione voti, erant hæ Prima de voto Nazaræorum, Num. 6. 4 Vir, siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Hoc votum erat ratum. Poterat tamen irritari quoad mulieres, vt patebit ex sequentibus.

26 Secunda de voto filiæ, quæ erat sub potestate Patris. Nam si aliquid vouisset, & pater, recognita, eodem die non contradixisset ; Votum erat ratum, & seruandum: Si contradixisset, erat irritum. Num. 30 4. Quod dicitur de filia, debet etiam intelligi de filio, sub potestate patris existente. Et quod de patre, debet etiam intelligi de tutore, qui mortuo patre, succedit in ius & regimen paternum. Nota. Si pater semel absolutè consensisset in votum filiæ, non poterat, illud postea irritare.

27 Ter-

27. Tertia de voto vxoris: quæ ſimiliter ſi aliquid vouiſſet, & vir eius, re intellecta, non ſtatim eodem die contradixiſſet, ratum erat votum: irritum, ſi ſecus ibidem v. 7. Nota. Si Sponſa antequam nuberet, feciſſet votum patre conſentiente, iuxta ſecundam legem: & poſtea nupſiſſet, poterat ſponſus ſtatim poſt contractum matrimonium, votũ eius irritare: non minus, quàm ſi votum feciſſet in matrimonio. Ita Abulenſis in c. 30. Num. q. 35. Quod intellige, ſi ſponſus, ante initum matrimonium, nihil ſciebat de huiuſmodi voto. Ratio eſt, quia alioqui potuiſſet fieri, vt ipſi ſponſo, etiam inuito & ignorãti, per huiuſmodi votum præcedens, injceretur aliquod onus, quod ipſe nec voluiſſet, nec teneba tur acceptare.

28. Quarta de voto viduæ & repudiatę: quæ ſi aliquid vouiſſent, votum erat ratum, & tenebantur ſeruare, ibidem v. 10. Non enim ſubiectæ erant vel patri vel marito, à quo votum ipſarum irritari poſſet.

29. Leges ſecundi generis, de redemptione voti, erant hæ. Prima: Homo, qui ſeipſum Deo obtulerat per votum, vt ſe uiret in Tabernaculo; redimebat ſe pretio à lege taxato. Leuit. 27. 2. Hoc intellige de laicis, non a. de Leuitis & Sacerdotibus. Erant .n. duplicia munia in Tabernaculo. Alia propria Sacerdotum aut Leuitarum: Alia, quę poterant præſtari à Laicis; vt portare aquam & ligna pro ſacrificijs; verrere Atrium; ſarta tecta templi curare. Ad priora, ſoli Sacerdotes & Leuitæ poterant ſe offerre per votum. Ad poſteriora, laici. Si ergo Sacerdotes & Leuitæ vouiſſent, ſe ſemper in ſuis officijs miniſtraturos Domino, tenebantur id facere ex voto. Sic fecit Samuel Leuita, quem mater Deo deuouerat, primo Regum primo, verſu vndecimo. Si autem laici vouiſſent, ſe reliqua munia obituros, id eſt, portaturos aquam & ligna in vſum Taber-

bernaculi; debebant votum suum pretio redimere. Idque duplici de causa. 1. vt illud pretium daretur Leuitis & Sacerdotibus pro sustentatione. 2. quia non necesse erat Hebræos portare aquam & ligna, cum Gabaonitę in pœnam fraudis, quia deceperant Hebræos, ad id essent destinati Iosue 9 22.

30. Secunda lex: Si quis vouisset Deo animal, quod immolari non poterat, debebat vendi pretio à Sacerdote taxando. Quod pretium si ipse vouens dare voluisset, debebat insuper addere quintam pretij partem Leuit. 27. 11. Nota. Omnia animalia, quę Deo vouebantur, poterant redimi à vouente excepti animalibus mundis ad sacrificium. Quando autem redimebantur à vouente, tunc vt a pretium à Sacerdote taxatum, debebat addi quinta pars pretij pro ipso Sacerdote, qui sustinebat onus taxandi & reuerendi. Quod si vouens noluisset redimere animal, quod Deo vouerat, poterat Sacerdos illud retinere, vel alteri vendere aut donare, vt colligitur ex illo Num. 18. 14. Omne, quod ex voto reddiderint filij Israël tuum erit.

31. Tertia Lex: Si quis vouisset Deo domum suam, debebat vendi pretio à Sacerdote taxando. Quod si vouens voluisset illam redimere, debebat vltra taxatum pretium addere quintam pretij partem. Leuit. 27. 14, Hæc lex est similis precedenti.

32. Quarta lex: Si quis vouisset Deo agrum suum hæreditarium, debebat æstimari pretium agri, iuxta mensuram sementis Et si vouens voluisset illum redimere, addebat quintam pretij partem, vt in præcedentibus. Leuit. 27. 16. Nota. Qui vouebant Deo rem aliquam immobilem, vt domum vel agrum; libenter illam redimebant etiamsi vltra taxatum pretium deberent addere quintam pretij partem. Ratio est, quia si non redemissent, illa nunquam ad eos fuisset reuersa,

uersa, ne quidem in Iubileo; sed absolutè transiuisset in dominium Sacerdotum, qui quidem poterant eam vendere, sed ita, vt in Iubileo ad eos, tanquam ad veros Dominos reuerteretur. Leuit. 27. 21.

33. Quinta lex: Si vouens agrum, non fuisset hæres illius, sed emptor; debebat illum redimere pretio à Sacerdote taxando, & illud pretium dare Sacerdoti: ita vt ager in Iubilæo posset redire ad Dominum hæreditarium. Leuit. 27. 22.

34. Lex tertij generis, de materia voti, erat hæc: Primogenita munda ad sacrificium, vt primogenitum bouis, ouis, capræ non debebant Deo voueri. Leuit. 27. 26. & Num. 18. 17. Ratio ibidem insinuatur, quia illa primogenita antea erant Deo consecrata & debita, ratione primogenituræ: Ergo non debebant iterum consecrari & offerri per votum; ne votum videretur aliquid derogare priori consecrationi, quasi illa non fuisset plena & perfecta, sed voto potuisset perfici & firmari. Primogenita verò quæ non poterant immolari; vel debebant redimi à vouente, vel si ipse noluisset redimere, Sacerdos poterat ea sibi reseruare, aut alteri vendere vel donare Leuit. 27. 27.

35. Tres supersunt difficultates. 1. de voto Iephte. 2. de votis Christianorum. 3. An liceat rem præceptam Deo vouere? Vel, an res, quæ est in præcepto, possit esse materia voti? Est ergo prima quæstio, quid statuendum sit de voto Iephte? In quo duo spectanda sunt. 1. ipsum votum. 2. Impletio voti. Votum ipsum describitur Iudic. 11. 30. his verbis: Votum vouit Domino Iephte, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace a filijs Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Impletio voti consistit in eo,

in eo, quod ipse filiam suam vnigenitam, quę ei reuertenti ex bello prima occurrebat, obtulerit Deo in holocaustum. Nunc quæritur, an ipse, & vouendo, & votum implendo, peccauerit, nec-ne? Aliqui dubitant, vt Augustinus quæst. quadragesima nona super Iudices, ibique vtramque partem statuit esse probabilem. Item Caietanus in cap. 11. Iudicum.

36. Alij putant illum peccasse. Primò, quia votum ipsius, ratione materiæ, repugnabat legi Mosaicæ. Vel enim vouerat se immolaturum Deo, quemcumque hominem primo egredientem & occurrentem; vel quodcumque animal. Neutrum licebat. Non prius, quia vetitum erat lege Mosaica, immolare hominem, Deut 12. 31. Nec posterius, quia similiter vetitum erat, immolare quodcumque animal. Non enim licebat immunda animalia immolare. Num 18. 15. Secundò, quia si Deus approbasset ipsius votum, fuisset contentus solo voto, & impediuisset executionem, non permittendo filiam ipsius interfici: sicut fuit contentus pia voluntate Abrahami, & impediuit executionem, non permittendo filium eius Isaac immolari. Hanc sententiam sequuntur Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 4. Anastasius Nicænus quæst. 36. Procopius in cap. 11. Iudic. Auctor quæstionum. Et multi Rabini, qui hoc insuper addunt, votum Iephte (quod aiunt fuisse stultum ac temerarium) potuisse quidem irritari à Phinees Pontifice, qui tunc viuebat; sed tantam fuisse superbiam vtriusque, vt nec Iephte, vtpote Princeps populi dignarus sit petere ab eo voti relaxationem; nec Phinees, vtpote Pontifex, dignatus sit eam illi offerre. Ideò vtrumque à Deo punitum esse. Vide Serarium in cap. 11. Iudicum q. 17.

37. Alij rectius putant, illum non peccasse. Primò, quia quod fecit, ex instinctu Spiritus sancti fecit, vt docent Chrysostomus homil. 14.

ad po-

ad populum, Emissenus sermon. de natali virginum, Ioannes Arboreus lib. 9. cap. 6. Lorinus in cap. 23. Actorum. Et patet ex illo Iudic. 11 29. Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini. Et mox sequitur: Votum vouit Domino. Sicut ergo Abraham non peccauit, offerendo filium suum vnigenitum ad immolandum, quia ex instinctu diuino fecit: Ita nec Iephte peccauit, offerendo filiam suam vnigenitam ad immolandum, quia similiter ex instinctu diuino fecit.

38. Secundò, quia per illud votum impetrauit à Deo victoriam contra Ammonitas: Ergo signum est Deo placuisse ipsius votum. Et, si votum placuit, etiam voti impletionem placuisse necesse est, præsertim cum à Deo non sit impedita. Et confirmatur, quia scriptura nunquam reprehendit ipsius votum, aut voti impletionem. Ipsum verò sæpè laudat, præsertim Hebr. 11. 32. vbi ait, illum per fidem vicisse regna, & operatum esse iustitiam.

39. Tertiò, si peccasset vouendo, fuisset monitus ab aliquo Propheta vel Sacerdote, ne impleret votum. At à nullo monitus est, toto illo spatio duorum mensium, quod inter votum & voti impletionem interceslit. Ergo verisimile est, non peccasse vouendo: Maximè cum constet, alios Reges ac Principes populi, si quando peccarent, fuisse monitos ac reprehensos.

40. Quartò, populus non fuisset passus filiam Iephte occidi & immolari, nisi putasset votum fuisse ratum & Deo acceptum; Sed eripuisset illam à morte, sicut eripuit Ionatham filium Saulis, quando Saul, ratione iuramenti, quo se obstrinxerat, volebat illum interficere. 1. Reg. 14. 45 Est enim par ratio. Nam populus putabat iuramentum Saulis fuisse stultum ac temerarium; & ideò impediuit implerionem. Si ergo similiter putasset, votum Iephte fuisse stultum ac temerarium, etiam illius impletionem impediuisset. At non

non impediui Putauit igitur votum & voti executionem fuisse bonam.

41. Quinto, sicut Abraham offerendo filium suum Isaac ad immolandum, expressit typum passionis & mortis Christi, quoad voluntatem, non quoad executionem: Ita consentaneum, fuit vt aliquis exprimeret typum illius, non solum quoad voluntatem, sed simul etiam quoad executionem. Hoc fecit Iephte, qui non solum paratus, fuit immolare filiam suam vnigenitam, sed reipta immolauit. Et sicut prior typus erat in sexu virili; ita posterior in sexu fœmineo: quia pro vtroque sexu passus & immolatus est Christus. Et sanè filia Iephte videtur optimè expressisse figuram Christi, quoad promptam moriendi voluntatem. Nam sicut Christus, quando ipsi à Deo Patre proponebatur mors, promptum se obtulit, dicens: Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam. (Hebr. 10. 7.) Ita filia Iephte, quando intellexit à Patre, se ab ipso morti destinatam esse, respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es. (Iudic. 11. 36.)

42. Ad argumenta contraria sic respondeo. Ad 1. Iephte vouerat se immolaturum, non generatim, quodcumque animal; sed speciatim, quemcumque hominem primo egredientem & sibi occurrentem. Ita Augustinus quæst. 49. super Iudices. Et probatur 1. quia Iephte, ad tanti momenti victoriam impetrandam, voluit aliquid magnum vouere Deo. At non fuisset magnum, si vouisset bouem, aut ouem, aut capram. 2. quia illa ipsius verba: Quicumque primus fuerit egressus, & occurrerit mihi reuertenti cum pace, non possunt intelligi nisi de homine. Soli enim homines solent obuiam ire victori, & ipsi de victoria gratulari. Quod obijcitur, veritum fuisse lege Mosaica, immolare hominem, verum

esse

est: sed Deus, qui vetuit, potuit sua auctoritate permittere.

43 Ad 2. negatur consequentia. Non enim sequitur: Deus approbat hoc vel illud votum: Ergo impedit illius impletionem. Alioqui impediret impletionem omnium votorum, quæ laudabiliter facta sunt, quod est absurdum. Impediuit quidem impletionem boni propositi in Abrahamo, non tamen ideo necesse est, vt impediat etiam in alijs, hoc ipsius arbitrio ac dispositioni relinquendam est. Ipse habet iustas causas, cur in vno impediat, in altero non impediat. Et quidem, cur non impediuerit in filia Iephte, dari possunt hę causæ 1. vt esset typus Christi, promptè offerentis se ad mortem 2 vt fides Iephte, & religio erga Deum magis inclarescceret. 3. vt similiter pietas filię erga Deum, erga parentem, erga patriam, & simul magnitudo animi in sexu fœmineo, commendaretur. 4. vt nos discamus hoc exemplo quàm promptè præstanda sint, quæ vouemus Deo, etiamsi videantur difficilia, & naturę maximè contraria.

44. Altera quæstio est. An etiam Christianis in nouo Testamento licitum sit vouere, sicut licuit Iudæis in veteri? Respondeo. Omnino licitum est. Primò quia Propheta prædixit hoc futurum. Isai. 19. 21. In illa die colent eum in hostijs & in muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent. Vbi sermo est de Christianis, vt notant Hieronymus, Cyrillus, & alij interpretes. Quo etiam spectat illud Psal 75 m. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius adfertis munera. Quod etiam Augustin. interpretatur de Christianis dictum esse. Quisque inquit, quod potest voueat, & reddat. Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis. Secundò, idem constat euentu. Nam quod prædictum est in V. Testa-

mento,

mento de voto, hoc in Nouo impletum est, & quotidie impletur. Eius rei habemus triplex exemplum in Scriptura. Primum, Beatæ Mariæ Virginis. Secundum, Eunuchorum, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Tertium, quarundam fœminarum, quæ propter voti continentiæ transgressionem, ab Apostolo reprehensæ sunt.

45. De B. Virgine sic legimus Luc. 1. 34. Dixit Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? q. d. Quomodo fieri potest, vt ego concipiam & pariam filium cum propter votum continentiæ, non liceat mihi virum cognoscere? Sic explicat Augustinus in lib. de sancta Virg. cap. 4. vbi ita scribit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Similiter alij Patres.

46. De Eunuchis sic legimus, Matth. 19. 12. Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. Quid est seipsum castrare propter regnū cœlorum? Nihil aliud, quàm ex desiderio obtinendi regnum cœlorum, obstringere se voto continentiæ, & amputare libertatem cōtrahendi matrimonium. D. Augustinus in lib. de sancta virginit. cap. 23. Quid, inquit, veracius, quid Lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, eos, qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cœlorum. Et contra, humana vanitas impia temeritate, contendit (norent hoc Lutherani & Caluinistæ) eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare: in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere.

47. De fœminis sic legimus 1. Timoth. 5. 11. Ado-

Adolescentiores autem vidu s deuita Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Vb per primam fidem intelligitur votorum continentiæ, vt omnes antiqui Patres interpretantur. D. Augustin. in lib. de sancta Virginitate (quem aduersarij non libenter legunt) cap. 33. Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo, quod primo vouerunt, non steterunt Et lib. 1 de adulterinis coniugijs cap. 24. Vnde Apostolus de quibusdam, quæ continentiam vouent, & postea nubere volunt: Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Et in Psal 75. Quid autem ait de quibusdam, quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: vouerunt, & non reddiderunt.

48. Obijcit Petrus Martyr in lib. de votis & cœlibatu, vota pertinere tantum ad Iudæos, & non ad Christianos. Et probat quatuor argumentis. 1. quia in veteri Testamento fit mentio votorum non in nouo, saltem quoad Christianos. 2. Quia Christiani sunt toti ac penitus obstricti Christo per fidem : Ergo superuacaneum est, quod se obstringant per votum. 3. quia libertas Euangelica minuitur per votum. Nam qui voto se astringit ad continentiam, amittit libertatem ducendi vxorem. 4. quia qui vouet continentiam, iniuriam facit Deo. Quod enim Deus reliquit illi liberum, hoc ipse vult esse necessarium.

49. Respondeo. Petrus Martyr, & sibi ipsi, & alijs repugnat. Sibi quidem dupliciter. Primò, quia ex vna parte dicit, eos, qui aliquid Deo vouent, facere iniuriam Deo: Ex altera, Iudæis licita & vsitata fuisse vota. Hæc autem pugnant, nisi dicas. Iudæis licitum & vsitatum fuisse, facere Deo iniuriam, quod absit. Secundò, ex vna parte dicit,

dicit, superuacaneum esse, per votum obstringere te Deo, cui iam totus per fidem obstrictus sis; ex altera, votum obstare libertati Christianæ; hæc etiam pugnant. Nam si per fidem æquè obstringimur Deo, ac per votum, quomodo libertas potest consistere cum fide, & non cum voto?

50. Quod etiam alijs repugnet, certo certius est. Omnes enim antiqui Patres, non modò admittunt, sed etiam confirmant vota in N. Testamento. Epiphanius in Panario, hær 61. Tradiderunt Sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem, ad nuptias reuerti. Et infrà: Si quæ vidua fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primam fidem reiecit. Quanto magis, quæ Deo dicata virgo fuit & nupsit, contra Christum lasciuijt, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit? Videatur etiam Ambrosius ad virginem deuotam, Basilius in constitutionibus monasticis, Cyprianus in epist. ad Pomponium, Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, Chrysostomus ad Theodorum monachum, Augustinus epist. 137. ad clerum & populum Hipponensem & alij.

51. Nec obstant argumenta Martyris. Primò, quia licet in N. Testamento non fiat mentio votorum inter Christianos, quoad nomen, fit tamen quoad rem significatam. Quid enim aliud est, seipsum castrare, quàm vouere continentiam? Et quid aliud, primam fidem fallere, quàm voti transgressorem esse? Secundò, quia Christiani per fidem non ita sunt obstricti Christo, vt teneantur seruare continentiam. Igitur ad eam seruandam possunt se obstringere per votum. Tertiò, quia libertas Euangelica non consistit in eo, vt quisque faciat, quod velit; sed in eo, quod per Christum liberati simus à seruitute peccati, Romanorum sexto, versu decimoseptimo: Liberati à peccato, serui facti

&i estis iusti iæ. Qu rtò, quia, si Iudæi non fecerunt Deo iniuri m per vota, quomodo Christiani faciunt? Nec CHRISTVS, quando hortatur nos ad continentiam, hortatur ad iniuriam Deo faciendam, sed ad statum perfectionis.

52. Tertia quæstio est, An liceat nobis aliquid vouere Deo, quod aliàs ex præcepto teneimur facere? v g. An liceat vouere, quod velimus Deum colere, parentes honorare, non occidere, non furari. Aliqui negant, asserentes, ea tantum, quæ sunt consilij, non autem, quæ sunt præcepti, posse nos Deo promittere seu vouere. Primò, quia Iudæi non poterant Deo vouere primogenita munda ad sacrificium, vt sup à dictum est. Iqueproptterea, quia iam antea per præceptum legis Mosaicæ debebantur Deo: Ergo quod cadit sub præceptum, non potest cadere sub votum. Secundò, quia votum est oblatio spontanea: At quod debitum est ex præcepto, hoc non sponte offe imus DEO, sed necessariò: Ergo quod debitum est ex præcepto, non possumus vouere.

53. Alij contra sentiunt, etiam ea, quæ præcepta sunt, voueri posse Ratio est, quia bonum & laudabile est, eande n rem præstare ex duplici virtute: Nempè ex virtute obedientiæ, ratione præcepti, & ex virtute religionis, ratione voti. Sic fecit Iacob, quando vouit Deo, se non culturum Deos alienos, sed solum verum Deum. (Genes. 28. vers. 20.) Quod tamen tenebatur facere ex præcepto naturali. Vide Lessiu n de iure & iustitia cap. 40. dub. 7. & alios ibidem.

54 Nec obstat, quod obijcitur de primogenitis. Illa enim propterea non debebant ab homine voueri & consecrari Deo, quia ipsemet Deus iam antea perfectè & integrè sibi ea cõsecrauerat. Nota. Triplicia erant primogenita. Alia hominum, alia animalium mundorũ ad sacrificium: alia

alia animalium immundorum, vt cap. 8. quæst. 6. §. 15. dictum est. Igitur primogenita primi & tertij generis, erant quidem Deo debita & consecrata, sed non integrè & perfectè, quia poterant redimi, & reipsa redimebantur. At primogenita secundi generis tam perfectè erant Deo debita & consecrata, vt non possent redimi. Et quia ipsemet Deus ea sibi consecrauerat, non decebat, vt iterum ab homine per votum ipsi consecrarentur, ne priori consecrationi videretur aliquid defuisse, quod per posteriorem perfici & compleri possit.

55. Quod secundo obijcitur votum esse oblationem spontaneam, distinguendum est Nam duo spectari possunt in voto. 1. actus vouentis. 2. res ipsa, quæ vouetur. Igitur votum est oblatio spontanea quoad actum vouentis. Nam qui vouet, sponte vouet, nec vllo præcepto ad vouendum obligatur. (Deut. 23. 22.) Non tamen semper est spontanea quoad rem ipsam, quæ vouetur. Potest enim fieri, vt res illa, quam quis Deo vouet, non sit ipsi spontanea, sed præcepta. Non quidem præcepta quod teneatur eam vouere, sed quod teneatur eam præstare, etiam secluso voto.

56. Nota. Res præcepta potest dupliciter spectari. 1. quatenus præcepta est. Sic proprie non cadit sub votum, sed sub præceptum. 2 quatenus bona, honesta, & Deo grata est, abstrahendo ab obligatione præcepti, Sic propriè cadit sub votum, Vnde sequitur, quando quis vouet rem præceptam, duplicem concurrere obligationem: Vnam voti; alteram præcepti: & vnam ab altera non pendere. v.g. Ieiunium quadragesimale præceptum est. Si voueam hoc ieiunium, teneor duplici titulo illud obseruare. 1 ex obligatione præcepti. 2 ex obligatione voti. Et prior obligatio non pendet à posteriori; quia tametsi non obligarer ieiunare ex voto, obligarer tamen ex præ-

præcepto. Nec vicissim posterior pendet à priori. quia posset fieri, vt durante obligatione voti, cessaret obligatio præcepti, si nimirum præceptum abrogaretur, aut in eo dispensaretur.

De Iuramentis.

57. Iurare nihil aliud est, quàm Deum, qui falli aut mentiri non potest, in testem inuocare. Quod dupliciter fit. Vel enim vocamus eum in testem, quando aliquid asserimus, vel quando aliquid promittimus. Vnde duplex solet distingui iuramentum. Vnum assertorium, quo nostram assertionem : alterum promissorium, quo nostram promissionem confirmamus. In priori, vocamus Deum in testem, quod assertio nostra sit vera; in posteriori, quod promissio nostra sincerè facta sit. (Diuus Thomas in 2.2. quæstione octuagesimanona, art. 1. ——

58. Hoc posito, quæritur 1. quæ leges in V. Testamento datæ sint Iudæis de iuramento. 2. quid Pharisæi ex suis Traditionibus ad has leges addiderint. 3. quid hoc tempore seruent Iudæi in praxi. 4. quid Christiani seruent, aut seruare debeant.

59. Igitur, quoad primum attinet, hæ leges in V. Testamento à Deo datę sunt. Prima. Per nomen Domini Dei tui iurabis. (Deut. 6. 13.) Secunda, Per nomen externorum Deorum non iurabis. (Exodi 23. 13.) Tertia, Non periurabis in nomine meo (Leuit. 19. 12.) Quarta, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. (Exodi 20. 7.) Vel, Non vsurpabis nomen Dei tui frustra. (Deut. 5. 11.) Hæc quarta lex differt à tertia Nam tertia prohibet, solũ periurium Quarta non solum periurium, sed generatim omnem irreuerentiam, & abusum diuini nominis. Ita Theodoretus Exodi 20. & Cornelius Deut. 5.

60. Ad has leges addiderunt Ihariſæi, quæ

sequuntur. Primò, Quicumque iurauerit per Templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet Secundò Quicumque iurauerit in altari, nihil est: qui autē iurauerit in dono, quod est super altare, debet. (Matth. 23 16.) Vtrumque reprehendit Christus. Prius quidem his verbis: Stulti & cœci: Quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Posterius his: Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? Et mox addit: Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. Et qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

61. Iudæi hoc tempore seruant duplicem praxim: Vnam ex reuerentia diuini nominis: alteram ex cœcitate & superstitione. Prior est: Non audent expressè iurare per nomen Dei tetragrammaton, eò quòd hoc nomen Dei sit ineffabile: sed sub hac formula per illud iurant: Iuro per Iod, He, Vau, & Iod; quæ sunt quatuor litteræ nominis tetragrammati. Et hoc iuramentum habetur apud eos sacratissimum. (Cornelius in caput sextum Exodi, versu 2 & 3.) Posterior est: Putant se non obligari vllo iuramento, nisi iurent manu imposita super librum legis Mosaicę. Quod si alio ritu iurent, audacter iurabunt falsum. (Cornelius in caput quintum Leuitici v. 1.) Norunt hoc Principes & Magistratus Christiani; nec facilè admittant Iudæos ad iuramentum præstandum in rebus forensibus contra Christianos, quia plerumque falsum iurant. Audio quidem Noribergenses, & quosdam alios, iam pridem aduertisse hanc fraudem; nec amplius admittere Iudæos ad iuramentum, nisi admota manu ad librum legis suæ Synagogæ. Sed neque hoc satis tutum est, ex alio capite. Nam Iudæi in festo expiationis à Rabinis suis absoluuntur ab omnibus

bus votis & iuramentis, quæ malitiosè facta sunt. Et ex fiducia huius absolutionis, facilè præsumunt falsum iurare, & Christianos decipere.

62. Christus in N. Testamento dedit nobis hanc legem, & Matth. 5. 33. Audistis, quia dictum est antiquis: Non peiurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino: Neque per cœlum, quia Thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Ieroſolymam, quia ciuitas est magni Regis: Neque per caput tuum iurauieris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, Est: Non, Non: quod autem his abundantius est, à malo est. Quam legem repetit Iacobus Apostolus in Epistola sua Canonica ca. 5. v. 12 his verbis: Ante omnia aut m, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, Est: Non, Non.

63. Hinc oritur quæstio apud Theologos, an omne iuramentum Christianis sit prohibitum? hoc enim videtur colligi ex verbis citatis. Respondeo. Iuramentum non est absolutè prohibitum Christianis, sed abusus Iuramenti. Prior pars patet, quia Apostolus Paulus sæpe legitur iurasse, vt infrà ostendam. Et Hebr. 6. 16. affirmat omnem controuersiam finiri per iuramentum. Quod etiam confirmari potest ex quotidiana praxi, quæ viget apud Christianos in iudicijs & Tribunalibus. Quando enim reus suam innocentiam non potest probare per testes, iubetur illam iuramento confirmare. Et sic cessat lis ac controuersia. Posteriorem partem sic explico. Abusus iuramenti in eo consistit, quod aliqui soleant facilè, etiam in rebus parui momenti, & sine necessitate, Deum in testem vocare: Sicut faciebant Iudæi. Hoc non licet. Nam qui id faciunt, peccant contra reuerentiam

Deo debitam. Est enim contra reuerentiam Deo debitam, si quis illum sine necessitate, & in rebus exiguis, in testem adhibeat. Imò nemo nostrum audere: principem aut Regem, sine necessitate, in testem adducere. (D. Thomas in 2.2. q. 89. art. 2.) Hunc abusum prohibet Christus. Et iam ante prohibitus fuit, Ecclesiastici 23. 9. Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Eodem sensu intelligitur illud Exod. 20. 7. Non assumes nomen Domini Dei, tui in vanum. Et Deut. 5. 10 Non vsurpabis nomen Domini Dei frustra. Nam illæ duæ particulæ, In vanum, & frustra, idem valent, ac si dicas, Temerè & sine necessitate. Vnde Augustinus lib. de mendacio c. 15. circa medium, sic ait: Apostolus in Epistolis suis iurans, ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis, non iurare omnino: ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur; & ex facilitate iurandi ad consuetudinem, & à consuetudine in periurium decidatur. Et ideò non inuenitur iurasse, nisi scribens vt consideratio cautior non habet linguam præcipitem.

64. Quæres 1. Quæ fuerit olim formula iurandi, & quę nunc sit? Respondeo, in V. Testamento reperiuntur hæ formulæ. Genes. 31. 43. Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac. Et Genes 42. 15. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Et Deut. 4. 26. Testes inuoco hodie cœlum & terram, citò perituros vos de terra, &c. Et 1. Reg. 19. 6. Quod cùm audisset Saul, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur. Et 1. Regum 25. 34 Viuit Dominus Deus Israël. Et 28. 10. Iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. Et 2. Regum 3. 35. Iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem. Et 19. 7.

Iuro

Iuro tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum. Et Ierem. 4. 2. Et iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia. In N Testamento sunt hæ formulæ, ab Apostolo Paulo vsu patę. Rom. 1. 9. Testis mihi est Deus, Et 2. Corinth. 1 2 3. Testem inuoco Deum in animam meam. Et Philipp. 1. 8. Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et 1 Timoth. 5. 21. Testor coram Deo & Christo Iesu.

65. Quæres 2. Quæ fuerit cæremonia adhibita in Veteri Testamento, quando quis iurabat? Respondeo. Duplex. Vna, leuare manum in cœlum. Genes. 14. 22. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, id est, iuro, leuando manum meam in cœlum, quasi ad Deum, quem testem inuoco. Hęc cęremonia adhuc hodie vsitata est. Solent enim, qui iurant, manum vel digitos in altum tollere, & Deum, qui in cœlo est, testem inuocare. Altera, ponere manum subter femur illius, cui iurabatur. Quam cæremoniam exegit Abraham à famulo suo iurante. Gen. 24. 2. Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te, (.i. vt iurare te faciam) per Dominum Deum cœli & terrę, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananęorum. 1. Pone sub femore meo manum tuam, & hoc ritu ac cæremonia, iura mihi, quod filio non accipies vxorem Chananæam

66. Nota. Per femur intelliguntur etiam partes genitales, quę inter femora sunt. Quo sensu, filij Israël dicuntur egressi esse de femore Iacob, id est, de genitalibus illius. Gen. 46. 26. & alibi Duplex igitur fuit causa, cur Abraham peteret à iurante, vt poneret manum suam subter femur ipsius. Vna naturalis, quia femur propter partes genitales, est causa generationis & vitæ. Itaque qui iurabant, tangendo femur, testabantur

tur Deum auctorem vitæ ac generationis, quasi diceren : Si verè & sincerè iuro, Deus det mihi longam vitam : sin secus, peream. Ita Martinus de Boa, lib. 4. Singularium c. 4. & ex illo Cornelius in cap. 21. Gen. v. 2. Altera mystica, quia Abraham per hanc cæremoniam significabat, ex suo femore nasciturum Messiam, à Deo sibi promissum Ita Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. vlt. Hieronym. in Traditionib. Hebraicis ad Genesim. Aug. serm. 75. de tempore. Gregorius & alij, quos sequitur Delr. in c. 24. Gen. & Cornelius ibid. Hebræi aliam adferunt causam, teste Hieron. loco cit. vbi ait: Tradunt Hebræi, quod in sanctificatione eius, hoc est, in circumcisione iurauerit. Nos autem dicimus, iurasse eum in semine Abrahæ, hoc est, in Christo, qui ex illo nasciturus erat.

De Solemnitatibus Festorum.

67. Apud Iudæos erant duplicia festa. Alia instituta à Deo, alia ab ipsis Iudæis. A Deo instituta erant hæc octo. 1. Sabbatum. 2. Neomenia. 3. Pascha. 4. Pentecoste. 5. Festum Tubarum. 6. Festum propitiationis seu expiationis. 7. Festum Tabernaculorum, seu Scenopegia. 8. Festum cœtus seu Collectæ. Hæc omnia (excepta Neomenia) describuntur Leuit. 23. per totum. De Neomenia agitur. Numerorum 28. 1c.

68. Ac primò, Sabbatum erat instituturum in memoriam creationis mundi. Secundò, Neomenia, seu initium mensis Lunaris, seu Kalendæ pro beneficio diuinæ gubernationis. Nam initio mensis Lunaris, seu in Nouilunio, magis apparet diuina gubernatio in hisce inferioribus, quia tunc est magna corporum mixtorum mutatio. Tertiò, Pascha in memoriam liberationis Iudæorum cui annexa erat solemnitas azymorum, quæ postridie Paschatis incipiebat in memoriam egres-

egressionis ex Ægypto. Quartò, Pentecoste, seu solemnitas hebdomadarum, in memoriam legis datæ in monte Sinai. Quintò, festum Tubarum, in memoriam Isaac liberati. Cùm enim Abraham vellet illum immolare, inuenit arietem inter vepres hærentem cornibus quem ipsius loco immolauit. Hebræi, vt illius facti memoriam retinerent, soliti erant tubis cornes clangere: ideòque festum Tubarum, seu festum Cornu appellatum est: Sextò, festum Expiationis, in memoriam illius beneficij, quo Deus, ad intercessionem Moysis, propitiatus est peccato populi, vitulum adorantis. Septimò, festum Tabernaculorum, in memoriam illius beneficii, quo Deus Iudæos voluit habitare in Tabernaculis, cum egressi ex Ægypto, versarentur in solitudine. Octauò, festum Cœtus atque Collectæ, in quo colligebantur à populo ea, quæ erant necessaria ad expensas diuini cultus, vt notat D. Thomas in 1.2.q.102.art. 4 ad 10.

69. Quatuor posteriora festa, id est, festum tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, & Collectæ, incidebant in mensem septimum. Nam sicut dies septimus, ita mensis septimus, & similiter annus septimus, apud Iudæos erat in honore. Et quidem primus dies septimi mensis habebat duo festa: Vnum Neomeniæ, quod erat illi commune cum alijs mensibus: alterum Tubarum, quod erat illi peculiare. Decimo die, erat festum Expiationis. Decimoquinto, incipiebat festum Tabernaculorum, & durabat per septem dies sequentes. Vigesimosecundo die, erat festum Cœtus atque Collectæ. In his festis tria spectari debent. 1. Vacatio à laboribus. 2. Oblatio sacrificiorum, de quibus supra. 3. Cæremonia cuique festo peculiaris. In festo Paschæ seu Azymorum, fiebat oblatio manipuli spicarum: In Pentecoste, oblatio nouorum panum. In festo Tubarum, erat clangor tubarum: In festo

Expiationis, afflictio & ieiunium: In festo Tabernaculorum, habitabant in Tabernaculis, & ibi cum ramis & fructibus exultabant.

70. Porrò, inter omnia ista festa, præcipuum erat Sabbatum. Nam in eo non licebat cibum parare, Exodi 16. versu 29. Nec ignem accendere, Exodi 35. versu 3. Quæ tamen licebat facere in alijs festis. Habebat insuper hanc prærogatiuam, quod nomen Sabbathi aliquando communicaretur alijs festis; ita vt alia etiam festa vocarentur Sabbata. Sic festum primi diei Azymorum, vocatur Sabbatum Leuit. 23. versu 11. Et similiter, festum tubarum, ibidem versu 24. Et festum Expiationis, ibidem versu 32. Et generatim omnia alia festa (ibidem.) Immo, & tota hebdomada, à potiori sui parte; & die, vocabatur Sabbatum, vt patet ex Euangelio, Ieiunio bis in Sabbato, id est, in hebdomade.

71. Deus volebat festa à se instituta diligenter seruari à Iudæis. Et quidem seruantibus promittebat hæc tria. Isaiæ 58. 14. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob Patris tui. Vbi insinuantur tres fructus. 1. Suauis quędam voluptas spiritus, in rebus ad Deum pertinentibus. 2. Contemptus rerum terrenarum. 3. hęreditas Iacob. De qua Leuit. 26. versu 2. Custodite Sabbata mea; & statim subditur: Si feceritis, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, &c.

72. Transgressoribus verò dictum est, Ieremiæ 17. 27. Si autem non audieritis me, vt sanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ierusalem in die Sabbati. Succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non exstinguetur. Et Ezechielis 20. 13. Sabbata mea violauerunt. Dixi ergo, vt effunderem furorem meum super eos,

eos in deserto, & consumerem eos. Et 2. Esdræ 13. 15. Vidi in Iuda calcantes torculari in Sabbato, portantes aceruos & onerantes super asinos vinum & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die Sabbati. Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis & prophanatis diem Sabbati? Norent hoc Christiani, qui patui faciunt dies festos.

73. Festa à Iudæis instituta, erant hæc quatuor. Primò, festum sortium, die decimoquinto Adar seu Februarij, in memoriam liberationis Iudæorum per Esther. Esther 9. v. 16. Secundò, festum Enceniorum, seu Purgationis templi, quæ facta est sub Iuda Machabæo. Machab. 4. 49. Tertiò festum recepti è cœlo ignis sacri. 2. Machab. 1. 18 Quartò, festum ob cæsum Nicanorem. 1. Machab 7. 49. & 2. Machab. 15. 37. De quibus vide Riberam lib. 5. de Templo c. 17. & sequentibus, & Genebrardum in Kalendario Hebræorum.

De Anno septimo seu Sabbatico, qui etiam vocatus est annus Remissionis.

74. Annus septimus in lege Mosaica vocabatur Sabbaticus, quia sicut Deus sex diebus operatus est, & septimo die, id est, in Sabbato quieuit; sic voluit, vt Iudæi sex annis colerent terram, & septimo anno cessarent ab omni cultura. De hoc anno sic legimus, Leuit. 25. 2 Loquere filijs Israël, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, Sabbatizes Sabbatum Domino. Sex annis seres agrum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini.

75. Habebat autem hic annus quatuor priuilegia. Primum, quod Iudæi eo anno non possent serere aut metere, putare aut vindemiare,

sel quies dabatur agris & vineis; vt patet, partim loco citato; partim Exodi 23.10. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies Voluit hoc Deus, ob has causas. Primò, vt Iudæos à nimia, cura & sollicitudine huius vitæ abduceret. Secundo, vt terra post quietem vnius anni, quasi resumpto vigore, fœcundior deinceps feracior. Tertiò, vt septimus ille annus esset symbolum & memoriale septimi diei, quo Deus cessauit ab opere Creationis mundi. Quartò, vt pauperes septimo anno gauderent fructibus agri, qui sponte nascuntur, iuxta illud Exodi 23. 11. Anno autem septimo dimittes eam (id est, terram) & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui Nempe ea, quæ sponte nascuntur, vt explicatur Leuit. 25. 5.

76. Dices, Si Iudæi anno septimo non poterant terram colere, vnde viuebant illo anno, & sequenti? Respondeo. Hanc obiectionem proponit ipse Deus, & soluit, Leuit. 25. 20. his verbis: Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum: seretisque anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad annum nonum. Donec noua nascantur, edetis vetera. Hinc colligitur, fertilitatem terræ Sanctæ non fuisse purè naturalem, sed etiam diuinam, seu ex dono & promissione Dei. Nam Deus hic promittit Iudæis, si seruent legem de quie e anni Sabbatici, se daturum ipsis anno sexto fructus terræ, pro tribus annis, nempè pro anno sexto, septimo & octauo.

77. Secundum priuilegium anni septimi seu Sabbatici erat, quod eo anno fiebat remissio omnium debitorum, si is, qui debebat, genere Iudæus esset, non autem si peregrinus aut Gentilis, Deut. 14. 1. Septimo anno facies remissionem,

nem, quæ hoc ordine celebrabitur, cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia annus remiſſionis eſt Domini. A peregrino & aduena exiges. Ciuem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem. Hic duo notanda ſunt. 1. Quod ſermo ſit de debitore, qui Iudęus natus eſt; non autem de proſelyto qui Iudęus factus eſt 2. quod hoc intelligendum ſit de debito ex mutuo aut venditio; non autem ex accommodato. Hoc enim propriè non eſt debitum, ſed alienum, ſeu res ad alterum ſpectans. Vide Abulenſem & Cornelium in illum locum.

78. Dices: Hæc lex videtur eſſe iniqua reſpectu creditoris, ſeu mutuum dantis. Poſſet enim dicere proximo ſuo inſtante anno ſeptimo remiſſionis: Si dem tibi mutuum, non reſtitues mihi, quia inſtat annus remiſſionis. Non ergo dabo mutuum. Reſpondeo. Hæc obiectio ponitur & ſoluitur cap. citato, v. 9. his verbis: Caue, ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis: & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo; nolens ei, quod poſtulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei: Nec ages quidpiam callidè in eius neceſſitatibus ſublenandis; vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis, ad quæ manum miſeris. Solutio eſt hæc. Si in tali caſu non des mutuum, peccabis in fratrem tuum. Si des, Deus ſua benedictione abundè compenſabit, Quo ſpectat illud Prou. 19. 17 Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis; Et: viciſſitudinem ſuam reddet ei.

79. Tertium priuilegium erat, quod anno ſeptimo fiebat remiſſio ſeruituris. Serui enim Hebræi manumittebantur, Exodi 21. 2 Si emeris ſeruum Hebręum, ſex annis ſeruiet tibi: in ſeptimo egredietur libergratis. Quod etiam repeti-

tur Deut. 15, 12. & Ierem 34. 14.) Si seruus non esset Hebræus, sed alienigena, perpetuò manebat seruus. Leuit. 25. 44. Seruus & ancilla sint vobis de nationibus, quę in circuitu vestro sunt: Et de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra. Hos habebitis famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum.

80. Quartum priuilegium erat, quod anno septimo debebat à Sacerdotibus publicè legi Deuteronomium coram toto populo, Deuteronom. 31. versu 10. Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel, &c.

81. Quæres 1. Quando primum cœperint hi anni Sabbatici? Vel, quo tempore cœperit inchoari numeratio anni septimi seu Sabbatici. Respondeo. 1. Non cœpit in deserto, quando lex data est Nam annus Sabbaticus fuit institutus, ad remissionem culturæ, debitorum, & seruiturum, vt ex dictis patet. At Iudæi in deserto non colebant terram, sed alebantur pane de cœlo misso: nec habebant debita aut seruitures, quæ postea propter necessitates corporales inducta sunt Resp. 2. cæpit post ingressum filiorum Israel in terram sanctam, & post eiusdem terræ diuisionem, quæ à Iosue facta est. Tunc enim primum cœperunt terram colere & putare vineas. Vide Serarium in cap. 13. Iosue quæst. 14. in fine, Cornelium in cap. 25. Leuit. v. 2. Et colligitur ex textu ibidem; Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, Sabbatizes Sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum. Vbi illa particula, Agrum tuum, satis insinuat, quod post diuisionem terræ, quando quisque habuit proprium suum agrum, cœperit inchoari

nume-

numeratio anni Sabbatici Igitur primus annus possessionis & culturæ, erat primus annus respectu Sabbatici ; ita vt annus Sabbaticus foerit septimus, post inchoatam possessionem & culturam.

82. Quæres 2. An Iudæi semper seruauerint annos Sabbaticos. Respondeo. Non semper, vt patet Ierem. 34. 14. Vbi Deus per Prophetam conqueritur, quod anno septimo non dimiserint suos seruos in libertatem, sed eos perpetuæ seruitute oppressérint. Et ideò puniti sunt à Deo varijs pœnis, quæ ibidem recensentur. Et insuper priuati beneficio fertilitatis sexti anni, vt aliqui colligunt ex 1. Machab. 6. 49. & 43.

83. Quæres 3. Quid Christiani hinc discere debeant. Respondeo Hęc duo potissimum. 1. vt sint benigni erga seruos, ancillas, & debitores, 2. vt diebus festis libenter abstineant ab agricultura, & alijs quæstuosis operibus: neque putent propterea fore defectum in frumento, vino, & alijs ad vitam necessarijs. Nam si Deus concessit Iudæis tantam fertilitatem sexto anno vt sufficeret pro tribus annis; non negabit hoc beneficium Christianis, si parati sint dies festos colere, & ipsi obtemperare. Hoc docet experientia. Aliquando vno anno crescit tantum vini & frumenti, quantum satis est pro duobus vel tribus annis. Aliquando, propter nostra peccata, pereunt omnia per grandinem, pruinam, & alias tempestates.

De Anno Iubilæo.

84. Præter annum septimum seu Sabbaticum, habebant Iudæi alium annum solemnem, nempe annum quinquagesimum, seu Iubilæum, qui erat etiam annus remissionis. De quo Leuit. 25. 10. Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis re-

bis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Iubilæus. Initium numerationis huius anni cæpit cum initio numerationis annī Sabbatici. Vnde sicut primus annus Sabbaticus, fuit septimus à primo anno possessionis & culturę Terræ sanctæ: ita primus Iubilęus fuit quinquagesimus ab eodem primo anno possessionis & culturæ Terręsanctæ.

85. Priuilegia Iubilæi erant hæc tria: 1. Quod in eo remittebantur omnia debita. 2. Quod serui manumittebantur, & fiebant liberi. 3. Quod auitæ possessiones, quæ erant venditę & alienatæ, redibant ad legitimos & pristinos hæredes, sine vllo pretio aut compensatione. Propter hæc tria vocabatur Remissio, seu annus remissionis; quia in eo fiebat remissio debitorum, seruitutum, & bonorum alienatorum. Leuit vigesimo quinto, versu 10. & sequentibus. Vide Abulensem & Cornelium ibidem.

86. Primum priuilegium erat illi commune cum anno Sabbatico. Nam in vtroque fiebat remissio debitorum. Secundum erat etiam commune, sed maius ac perfectius in anno Iubilæo, quàm in Sabbatico. Nam serui, qui in anno Sabbatico, non erant egressi è seruitute, propter legitimam causam; egrediebãtur in Iubilæo. Tunc enim non poterant amplius detineri. Tertium erat peculiare Iubilæo Nam in solo Iubilæo, non autem in Sabbatico; redibant possessiones venditę vel alienatę ad suos pristinos Dominos. Nota Quando quis vendebat agrum aut vineam, eo carius vendebat, quo magis distabat annus Iubilęus; & eo vilius, quo magis appropinquabat. Leuit. 25 14.

87. Quæres 1. Quare Deus instituit huiusmodi Iubilęum? Respond. Ob has causas. 1. Vt consuleret pauperibus, ne illi perpetuò excluderentur à bonis & hæreditate paterna; sed liberati ab omnibus debitis & ære alieno, redirent ad suas pos-

possessiones. 2. Vt annus Sabbaticus & Iubilæus seruiret Chronologiæ. Nam sicut apud Græcos omnia diuidebantur, censebantur, & computabantur secundum Olympiadas, & apud Romanos, secundum Lustra: ita apud Iudæos, secundùm annos Sabbaticos & Iubileos. 3. Vt Iubilæus Hebræorum esset typus seu figura Iubilei Christianorum; in quo per Christum liberamur ab omni seruitute Diaboli; & asserimur in perfectam libertatem filiorum Dei.

88. Quæres 2. An etiam Christiani in N. T. habeant annum Iubilæum, ad imitationem Hebræorum? Respondeo Habent. Nam Bonifacius 8. instituit Iubilæum anno Christi 1300. & simul ordinauit, vt anno centesimo renouarentur. Postea, Clemens sextus instituit Iubileum anno Christi 1350. & ordinauit, vt anno quinquagesimo renouaretur. Postremò, Sixtus quartus reduxit illum ad annum vigesimum quintum. Legantur auctores, qui ex professo de Iubilæo disputarunt.

De Rasione & tonsione capitis, ac barbæ.

89. De hac re variæ extant leges cæremoniales. Prima pro Nazaræis, qui toto tempore voti, seu separationis, nec radebantur, nec tondebantur; sed alebant comam vsque ad completum tempus separationis: Et tunc radebantur, & coma ipsorum comburebatur. Vide suprà cap. 9. §. 3. Secunda pro Leuitis, qui quando initiabantur ministerio Leuitico, debebant radere omnes pilos carnis suæ. Vide supra cap. 7. quæst. 3. Tertia pro leprosis, qui idem tenebantur facere: sed ob aliam causam, quam Leuitæ supra cap. 7. quæst. 3. parag. 3. Quarta pro Sacerdotibus Ezech. 44. 20. Caput suum non radent, neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua.

90. Quæres

90. Quinta pro reliquis Iudæis in communi. Leuit 19 27. Neque in rotundum attondebitis comam; nec radetis barbam. Vbi duplex prohibitio comprehenditur. Vna. Non attondebitis comam in rotundum, id est, Non imitabimini Ægyptios & alios Gentiles, qui id facere soliti sunt, vt patet Ierem. 9 26. & cap. 25. 23 & c. 49. 32.

Nota. Ægyptij & alij Gentiles putabant suos Deos figurâ rotundâ, vtpotè omnium capacissima & perfectissima, præ cæteris delectari. Ideoque in illorum gratiam, capita sua in rotundum atrondebant. Immò, etiam templa rotunda suis Dijs ædificabant, vt Numa Pompilius Vestæ: Augustus Cæsar, omnibus vniuersim Dijs: Alij, alijs speciatim. Igitur Iudæi, ne similes essent Gentilibus, prohibiti sunt sectari hanc superstitionem.

91. Altera prohibitio est, Non radetis barbam. Nota. Hæc duo distincta sunt, radere barbam, & tondere barbam. Ratio fit per nouaculam: tonsio per forficem. Rasione, tota barba vsque ad cutem exscinditur: tonsione, decurtatur, & in decentem formam redigitur. Voluit igitur Deus, Hebræos non exscindere suas barbas vsque ad cutem, sed eas retinere, vt etiam in vultu quandam virilitatis & sapientiæ formam ferre viderentur. Nam barba virilitatis ac virtutis insigne est.

92. Quæres 1. An omnes Hebræi hac lege fuerint obligati? Respondeo. Excipiebantur Leuitæ & leprosi, qui in legali purificatione, vt suprà dixi, omnes corporis pilos radere iubebantur.

93. Quæres 2. An hæc lex pertineat etiam ad Christianos? Respondeo. Non pertinet; quia cùm sit cæremonialis, abrogata est. Vnde liberum est Christianis, vel radere barbam, vel tondere, vel integram relinquere. Si tamen alicubi consuetudo inualuit radendi, vel tondendi, seruari potest.

De

De certo vsu vestium.

94. De vestibus Pontificum & Sacerdotum dictum est cap. 7. q. 5. De populi vestitu extat præceptum, Num. 15.38. Loquere filijs Israël, & dices ad eos, vt faciant sibi simbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, &c. Hic tria insinuantur. Primò, quod Iudæi debuerint in extremitate vestium seu palliorum gestare simbrias. Hoc etiam fecit Christus, vt patet Lucæ 8. 44. Vbi mulier hæmorrhoissa legitur tetigisse simbriam vestimenti Christi, & continuò sanatam esse Secundò, quod super has simbrias, circumcirca debuerint inducere & extendere filum, vel tæniam, seu vittam hyacinthinam, vt hoc signo à gentilibus distinguerentur. Tertiò, quod gestando & videndo huiusmodi simbrias, debuerint esse memores mandatorum Dei Refert Hieronymus in c. 23. Matth. Iudæos solitos esse acutissimas spinas inserere suis simbrijs, vt ambulantes, per earum puncturam, diuinæ legis recordarentur. Vtinam Christiani sint tam solliciti circa mandatorum Dei obseruantiam.

CAPVT XVII.

De Regibus veteris Testamenti.

HActenus actum est de ijs, quę spectant ad Synagogam & Regimen Ecclesiasticum veteris Testamenti. Nunc agendum de ijs, quæ concernunt Regimen & politiam temporalem. Ac primò de Iudicibus & Regibus, qui in regimine temporali præfuerunt, De quibus hæc breui-

breuiter discutenda sunt. 1. Quę fuerit differentia inter Reges & Iudices? 2. Qui, & quot fuerint Iudices? 3. Qui, & quot fuerint Reges? 4. Qui fuerint boni, & qui mali Reges? 5 Quomodo creati fuerint Reges? 6. Quomodo inaugurati? 7. Quomodo vncti? 8. Quod fuerit officium Regum? 9. Quod ius in subditos? 10. An potuerint habere plures vxores? 11. An magnas diuitias? 12. An copiosum equitatum? 13. Quales fuerint ipsorum consiliarij? 14. Qui ex his omnibus discere debeant Reges & Principes Christiani?

QVÆSTIO I.

Quæ fuerit differentia inter Reges & Iudices?

1. REspublica Hebræorum ab exordio suo, vsque ad captiuitatem Babylonicam, varijs modis fuit gubernata. 1. per Mosen in deserto. 2. per Iosue in ingressu & diuisione terræ promissionis. 3. per Iudices post diuisionem terræ, vsque ad Samuelem. 4. per Reges, vsque ad captiuitatem Babylonicam. Nunc quæstio est, quæ fuerit differentia inter Iudices & Reges? Respondeo. Fuit triplex potissimum differentia.

2. Primò, Iudices erant Principes populi, qui extraordinariè, & in necessitate à Deo suscitabantur, eo fine, vt populum à seruitute, & de manu hostium liberarent. Vnde & Saluatores dicti sunt. Iudic. 2. 16. Suscitauit Dominus Iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus. Et c. 3. 9. Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos. Et 2. Esdræ 9. 27. Dedisti eis Saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum. Tametsi enim Deus fuerit primarius populi Saluator. 1. Regum 14. versu 39. tamen Iudices erãt secundarij & subordinati,

ti, vt notat Augustinus quæst. decima octaua per Iudices. A verò Reges, vt plurimum, non excitabantur â Deo extraordinariè; sed multi, vel iure successionis, vel electione, vel per vim & tyrannidem, regnum occupabant, vt quæst. 6. videbimus. Nec eo dumtaxat fine, vt liberarent populum à seruitute hostium; sed vti lum, siue pacis, siue belli tempore gubernarent.

3. Secundò, Iudices non succedebant sibi inuicem immediatè; sed post interualum temporis. Nam quando vnus Iudex, qui liberauerat populum ab vna seruitute, moriebatur; non succedebat alius, nisi populus, propter noua peccata, noua seruitute oppressus, peteret nouum à Deo Saluatorem Iudicum 3 versu 9. & cap. 4. versu 2. Vnde fiebat aliquando, vt per multos annos nullus omnino esset Iudex Verbi gratia. Post mortem Othonielis, qui fuit primus Iudex, inter eos, quorum fit mentio in libro Iudicum, transierunt 18. anni, antequam Aod, secundus Iudex, à Deo suscitaretur. Nam populus, non nisi post tot annos afflictionis, petiuit à Deo liberari. Iudicum 3. versu 14. At mortuo vno Rege, mox alius succedebat. Nam Reges, vt dixi, non tantum belli & seruitutis, sed etiam pacis tempore, gubernabant populum. Certè Salomon 40. annis in summa pace gubernauit. Vnde & Rex pacificus appellatus est, 1. Paralip 22. 9.

4. Tertiò, tempore Iudicum non tam ipsi Iudices, quàm Deus, qui eos suscitabat, dicebatur regere populum. At tempore Regum, Reges ipsi censebantur gubernare. Nam cùm populus, tempore Samuelis, qui tunc erat Iudex, non amplius vellet habere Iudices, sed Reges, dixit Dominus Samueli: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. (1. Reg. 8. 7.) Et Samuel populo. Vos hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris. (ibidem cap. 10. 19.)

Et i &c.

Et iterum Dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis. (cap. 12. 12.) Ex quibus testimonijs constat, Deum regnasse, tempore Iudicum: Reges, tempore Regum. Et Iudæos ideò fuisse reprehensos, quod non amplius vellent à Deo, per Iudices; sed à Regibus, more Gentilium, gubernari. Quo etiam spectat illud, Iudic. 7. 18. Quando personuerit tuba in manu mea (inquit ibidem Iudex) vos quoque per circuitum clangite, & conclamate: Domino & Gedeoni. Et ibidem vers. 20: Clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis. Vbi Deo tribuitur primarium officium: Iudici secundarium.

QVÆSTIO II.

Qui, & quot fuerint Iudices Hebræorum.

1. IN libro Iudicum numerantur hi. 1. Othoniel, ex tribu Iuda. 2. Aod. ex tribu Beniamin. 3. Samgar, filius Anath. 4. Debbora Prophetissa, vxor Lapidoth. 5. Barac, filius Abinoem. 6. Gedeon, ex tribu Manasse. 7. Abimelech, filius Gedeonis. 8. Thola, ex tribu Issachar. 9. Iair, Galaadites. 10. Iephte. 11. Abesan Bethleemites. 12. Abialon Zabulonites 13. Abdon Pharathonites. 14. Sampson, filius Manue, de tribu Dan. Hos secuti sunt Heli & Samuel, de quibus lib. 1. Regum.

2. Othoniel liberauit Israelitas de manu Cusan Regis Syriæ. Aod de manu Eglõ, Regis Moabitarum. Samgar de manu Philistinorum. Debbora & Barac (qui simul iudicarunt) de manu Iabin, Regis Chanaam. Gedeon, de manu Madianitarum & Amalecitarum. Iephte defendit illos contra Ammonitas, Sampson contra Philistæos. Abimelech non tam fuit Iudex, quàm Tyrannus, quia vi principatum inuasit, interfe-

His septuaginta fratribus, suis, excepto Ionathan, qui solus euasit. Thola, Iair, Abesan, Achialon, Abdon, fuerunt quidem Iudices; sed à quibus hostibus defenderint Israelem, non constat ex libro Iudicum.

3. De prioribus narratur aliquid speciale. De Aod: Vtebatur vtraque manu pro dextera cap. 3. vers. 15. De Samgar: Percussit de Philistijm sexcentos viros vomere, capite 3. vers. 13. De Iair: Habuit triginta filios: sedentes super triginta pullos asinarum, & Principes triginta ciuitatum capite 10. 3. De Abesan: Habuit triginta filios, & totidem filias in matrimonio, capite duodecimo, versu octauo. De Abdon: Habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, capite 12. 13.

4. Plura de Gedeone. Iephte, & Sampsone. Et quidem de Gedeone hæc potissimum 1. Ab Angelo vocatus est, vt liberaret populum de manu Madianitarum. 2. Petiuit duo miracula pro confirmatione suæ vocationis. Vnum, vt posito vellere in sicca area ros matutinus madefaceret vellus, & non aream. Alterum, vt madefaceret aream, & non vellus. Vtrumque factum. 3. Ante pugnam obtulit Deo sacrificium, igne de petra miraculosè erumpente, & sacrificium consumente. 4. Destruxit aram Baal, & ædificauit altare Domino. 5. Ex omni populo assumpsit trecentos tantum viros pro bello contra Madianitas. 6. Ex alterius somnio, & somnij interpretatione, intellexit, se fore victorem. 7. Mox ipse, & trecenti viri cum eo cœperunt buccinis clangere, & confringere lagenas in circuitu castrorum hostilium, clamantes: Gladius Domini, & Gedeonis. 8. Hostes territi, subito fugerunt, & plerique proprijs gladijs perierunt. 9. Reliqui à Gedeone fugati & interfecti sunt, cap. 6. & duobus sequentibus.

5. De Iephte hæc. 1. Fuit filius meretricis.

2. Ejec-

a. Eiectus est à fratribus tanquam spurius, & habitauit in terra Tob. 3. Inde reuocatus à Galaaditis, vt pro ipsis pugnaret contra Ammonitas. 4. Consensit ea lege, si deuictis Ammonitis, facerent illum populi Principem. 5. Iurus ergo contra Ammonitas, fecit votum Deo. (De quo voto supra, capite decimoquinto, §. 29. & sequentibus.) 6. feliciter pugnauit. Iudicum cap. 11. per totum.

6. De Sampsone hæc. 1. Natus fuit ex sterili matre, sicut Angelus futurum prædixerat. 2. Vinum & siceram non bibit. Erat enim Nazaræus. 3. Suis manibus leonem dilacerauit. 4. In Ascalone percussit trecentos viros. 5. Cepit trecentas vulpes, & ligatis ad caudas earum facibus, combussit segetes Philistinorum. 6. Dirupit vincula, quibus erat ligatus. 7. Arripiens mandibulam asini, interfecit in ea misse viros. 8. Sitiens bibit aquam, miraculosè egredientem ex dente maxillæ. 9. Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera; & impositas humeris suis, portauit ad verticem montis. 10. Significauit Dalilæ meretrici, in quo haberet vires suas. 11. Ablatis viribus, & effossis oculis, catenis vinctus est à Philistæis, & in carcerem positus. 12. Inde in locum conuiuij ductus, vt ludibrio afficeretur. 13. Tunc inuocato Domino, recepit vires: Et apprehendit columnas domus conuiuij, & sic tota domus corruit; ex cuius lapsu, & ipse & tria millia Philistinorum perierunt. (Iudic. 13. 14. 15. & 16.

7. Quidam ex supradictis Iudicibus commendantur in Scriptura, tanquam sancti, vt nominatim Barac, Gedeon, Iephte, Sampson. (Heb. 11. 32.) Ex quo sequitur, falsum esse, quod aliqui Caluinistæ asserunt, spurios seu illegi imè natos saluari non posse. Nam Iephte fuit spurius; & tamen, teste Apostolo, saluatus est. Aliqui etiam miraculosè, vel nati sunt, vt Sampson ex sterili

matre:

matre: vel vocati, vt Gedeon: vel victoriam consecuti, vt plerique omnes.

QVÆSTIO III.

Qui, & quot fuerint Reges Hebræorum?

1. ANte diuisionem regni fuerunt hi tres. 1. Saul, 2. Dauid. 3. Salomon. Post Salomonem secuta est diuisio regni: & ex vno, duo facta sunt. Alterum Iuda, quod continebat duas tribus, Iuda & Beniamin. Alterum Israel, quod reliquas tribus complectebatur. Et quidem Reges Iuda habitabāt in Ierusalem: Reges Israel, primò in Sichem, deinde in Thersa, postremò in Samaria Reges Iuda fuerunt hi:

1. Roboam filius, Salomonis.
2. Abia, filius Roboam.
3. Asa, filius Abiæ.
4. Iosaphat, filius Asæ.
5. Ioram, filius Iosaphat.
6. Ochozias, filius Ioram.
7. Athalia, mater Ochoziæ, vxor Ioram.
8. Ioas, filius Ochoziæ.
9. Amasias, filius Ioæ.
10. Azarias, seu Ozias, filius Amasiæ.
11. Ioathan filius Azariæ.
12. Achaz, filius Ioathan.
13. Ezechias, filius Achaz.
14. Manasses, filius Ezechiæ.
15. Amon filius Manassis.
16. Iosias, filius Amon.
17. Ioachaz, filius Iosiæ.
18. Ioachim, seu Eliacim, filius Iosiæ.
19. Ioachim, seu Iechonias, filius Ioachim.
20. Sedecias, seu Mathanias, patruus Ioachim.

Reges Israël fuerunt hi:

1. Ieroboam, filius Nabat, Ephrathæus.
2. Nadab, filius Ieroboam.
3. Baasa, filius Ahiæ, de domo Issachar.
4. Ela, filius Baasæ.
5. Zambri, filius Elæ.
6. Amri.
7. Achab filius Amri.
8. Ochozias filius Achab.
9. Ioram, frater Ochoziæ.
10. Iehu, filius Iosaphat filij Namsi.
11. Ioachaz, filius Iehu.
12. Ioas, filius Ioachaz.
13. Ieroboam, filius Ioæ.
14. Zacharias, filius Ieroboam.
15. Sellum, filius Iabes.
16. Manahem, filius Gadi.
17. Phaceia, filius Manahem.
18. Phacee, filius Romeliæ.
19. Osee, filius Ela.

2. Hic triplex differentia notanda est inter Reges Iuda & Israël. Prima quod omnes Reges Iuda fuerint ex eadem tribu, nempè ex tribu Iuda: Et omnes ex familia Dauid. (Excipio Athaliam, quæ habuit quidem maritum ex familia Dauid, nempe Ioram Regem; sed ipsa fuit filia Achab, filij Amri.) At Reges Israël fuerunt ex diuersis tribubus & familijs. Altera, quod Reges Iuda, si non omnes saltem multi, manserunt in cultu veri Dei. At Reges Israël, nullo excepto, fecerunt omnes idololatriæ. Etiam Iehu. (4. Regum 10. versu 29.) Tertia, quod Reges Iuda, vt plurimum; iure successionis, peruenerint ad regnum. At Reges Israël varijs titulis ac modis, vt quæst. 5. explicandum est.

QVÆS

QVÆSTIO IV.

Qui fuerint boni, & qui mali Hebræorum Reges?

1. RAtio dubitandi sumitur ex Scriptura, quæ vno loco asserit, tres tantum fuisse bonos, vt Ecclesiast. 49. 5. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt. At alibi significat, etiam alios fuisse bonos, vt Asam, Iosaphat, Ioam, Amasiam, Azariam, & Ioathan. Nam in gestis singulorum ponit hanc laudem: Fecit rectum in conspectu Domini, vt patet 3. Reg. 15. 1. & cap. 22. 43. Et 4. Reg. 12. 2. & cap. 14. 3. & cap. 15. 3.

2. Hæc difficultas sic soluitur. Hi sex posteriores fuerunt quidem boni, sed non zelosi in religione & cultu Dei. Et ideò laudantur quidem, quod fecerint rectum in conspectu Domini, sed simul reprehenduntur, quod excelsa non abstulerint, neque impediuerint cultum idololatriæ. Nam sicut de singulis dicitur: Fecit rectum in conspectu Domini; ita mox additur: Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat & adolebat incensum in excelsis. (3. Reg. 22. 43. & alibi.)

3. At Dauid, Ezechias & Iosias, non tantum fuerunt boni, sed etiam zelosi in religione. Nam de Ezechia & Iosia diserte legimus, quod abstulerint excelsa, ad impediendam idololatriam. (4. Reg. 18. 3. & c. 23. 8.) De Dauide verò, quod in excelsis non immolauerit. (3. Regum 3. 3.) Quod cum magna solemnitate deduxerit Arcam Domini in Ierusalem. (2 Regum 6. 12.) Quod desideranerit Deo templum ædificare. (ibidem, cap 7. 2.) Quod in rebus maioris momenti nihil voluerit aggredi, nisi consulto prius Deo, (1. Reg. 22. 15. & cap. 31. 2. & sequentibus.

bus.)Quod ad placandum Deum erexerit al are in arca Ornan, & obtulerit holocausta & pacifica.(1 Paralip.21.26.)

4. Illud ergo, Præter Dauid,& Ezechiam, & Iosiam. omnes peccatum commiserunt, sic debet intelligi : Omnes Reges Iuda, præter illos tres, in eo peccauerunt, quod ex quodam neglectu religionis, non abstulerint excelsa, nec impediuerint idololatriam in suis subditis. Qui sensus colligitur ex ipso contextu. Nam initio capitis laudatur Iosias à zelo religionis, quod abstulerit abominationes pietatis .i. excelsa, lucos, scalptilia, statuas, vt explicatur 4. Reg. 23. 4. & 2. Paralip. 34. 4. Item, quod gentem suam .i. Iudæos, qui sub Amon & Manasse erant impij & idololatræ, perduxerit ad pœnitentiam & pietatem, quod etiam prolixè recensetur. 2. Paralip. 35. per totum. Mox additur, nullum alium Regem fuisse parem Iosiæ in hoc genere, nisi Dauidem & Ezechiam: Cæteros omnes peccasse, permittendo idololatriam, & relinquendo Legem Altissimi. 4. Regum 22.13. Et hoc modo dedisse occasionem, vt regnum Iuda, in pœnam delicti occuparetur ab alienigenis, id est, à Chaldæis, & vasa templi cum populo transferrentur in Babylonem.

5. Dices, Non videtur ille esse sensus istius loci: Nam etiam Asa & Iosaphat abstulerunt excelsa, vt expressè habetur 2. Paralip. 14. 2. & cap. 17. 6. Factum ergo est omnes præter Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, in eo peccasse, quod ex neglectu religionis, excelsa non abstulerint. Respondeo. Asa abstulit quædam excelsa, sed non omnia. Prius patet ex illo 2. Paralip. 4. 2. Subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa. Posterius ex illo 3. Reg. 15. 12. Purgauit vniuersas sordes idolorum, quas fecerunt Patres eius: Postea sequitur: Excelsa autem non abstulit. Iosaphat verò, cùm primùm cœpit regnare; non

ausus

ausus fuit auferre excelsa, in quo fuit culpabilis, iuxta illud 3. Reg. 22. 44 Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. Postea tamen, factus audacior, abstulit 2. Paral. 17. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit. Vterque ergo, tam Asa quām Iosaphat, in hac re peccauit: ille quidem quod non abstulerit omnia excelsa: hic verò, quod tardè abstulerit.

6. Nota, Per excelsa, intelliguntur fana, vel facella, vel altaria in altioribus locis, vt in montibus & collibus, ad colendum Deum ædificata. Erant autem duplicia. Quędam facta ad cultum falsorum Deorum, & seuerè prohibita Num. 22. 43. Duxit eum ad excelsa Baal. Et Num. 33. 51. Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terrę illius; confringitę titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate. Et Deuter. 12. 2. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos suos super montes excelsos & colles: dissipate aras eorum, & confringite statuas. Et 3. Reg. 17. 11. Tunc ędificauit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte, qui est contra Ierusalem. Et cap. 12. 31. Ieroboam fecit fana in excelsis. Et 4. Reg. 17. 9. Ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis. Et ibidem vers. 29. Vnaquęque gens fabricata est Deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis. Alia ad cultum veri Dei facta, antequam templum esset ædificatum. De quibus 3. Reg. 3. 2. Populus immolabat in excelsis: non enim ędificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum. Inter illa, præcipuum erat in Gabaon, vt habetur ibidem v. 4. Abijt itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum. Et 2. Paralipom. 1. 3. Abijt Salomon cum vniuersa multitudine

in excelsum Gabaon, vbi erat Tabernaculum fœderis Dei.

7. Hęc etiam excelsa, non tantum post, sed etiam ante templum ædificatum, fuerunt prohibita, vt docent Theodoretus q. 11. Procopius & Abulensis in 3. Reg. cap. 3. Ribera l. 1. de templo c. 2. Ratio est, quia Deus expressè mandauit Iudæis, vt non offerrent sacrificia in varijs montibus & collibus, more Gentilium, sed tantum in vno certo loco, vbi vel Tabernaculum esset, vel templum, Deut. 12. 2. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos suos super montes excelsos & colles. Et paulò post sequitur: Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras. Et infrà v. 13. Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus. Hinc Salomon fuit reprehensus, quod ante templi ædificationem, immolaret in excelsis, 3 Reg. 3. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quod in excelsis immolabat. Et reliqui Reges, qui illum secuti sunt, similiter fuerunt reprehensi, quod excelsa non abstulerint: tam ea, quæ facta erant ad cultum veri Dei; quàm reliqua, quæ facta erant ad colendos falsos Deos. Excipio Ezechiam & Iosiam, qui, vt suprà dixi, abstulerunt. Excipio etiam excelsum Gabaon, in quo licuit offerre & immolare, ratione Tabernaculi, quod ibi consernabatur. (2. Paral. 1. 3.) in reliquis non licuit.

8. Atque hæc obiter dicta sint ad conciliandа Scripturæ loca initio quæstionis allata, quæ videbantur inter se pugnare. Nunc, vt clarius constet de probitate vel malitia singulorum Regum, de singulis in particulari agendum est. Ac primò

primò de Saule, Dauide, & Salomone, qui regnarunt ante diuisionem Regni. Deinde de Regibus Iuda, & de Regibus Israël, qui postea secuti sunt. Igitur,

9. Saul, initio regni fuit bonus, rectus ac simplex, 1. Regum 9. 2. Saul electus & bonus: & non erat vir de filijs Israël, melior illo. Et capite 13. 1. Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, id est, erat innocens, sicut puer vnius anni, vt explicatur cap. 15. 17. Cùm parvulus esses in oculis tuis, Caput in tribubus Israël factus es, vnxitque te Dominus Regem super Israël. Mansit autem in illa probitate duobus annis, 1. Reg. 13. 1. Duobus autem annis regnauit super Israël. Postea à Deo desertus est propter inobedientiam Fuit autem duplex illius inobedientia. Vna, quia Samuel dixerat illi, vt differret offerre holocaustum, donec ipse adesset. Non paruit. (1. Reg. 13. 9.) Altera, idem Samuel mandauerat illi, vt interficeret omnes Amalecitas, nullo excepto. Neque tunc paruit, (1. Reg. 15. 3.) Propter vtramque inobedientiam priuatus est regno, sicut primi parentes propter vnam inobedientiam expulsi sunt ex paradiso. Et ab eo tempore cœpit deseri à Deo, nec iam amplius bono, vt solet, sed malo spiritu agitabatur. 1. Reg. 15. 23. Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex. Et cap. 16. 24. Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam. Et tunc, in locum illius, vnctus est Dauid (1. Reg. 16. 13.) Nihilominus Saul adhuc vixit in regno 38. annis: & toto illo tempore Dauidem persecutus est, quem sciebat à Samuele vnctum esse in Regem. (1. Reg 18. 29.)

10. Dauid fuit bonus, & vir secundùm cor Dei, iuxta illud 1. Reg. 13. 14. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum. Et Actor. 13 22. Suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium

Perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

11. At peccauit, inquies. Verum est. Neque hoc dissimulauit Scriptura cùm ait, 3 Reg. 15. 5. Eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi, id est, excepto duplici peccato. Vno, quod adulterium commiserit cum vxore Vriæ. Altero, quod ad occultandum hoc adulterium, curauerit occidi ipsum Vriam. (2. Reg. 11. 4.

12. Quomodo ergo vir secundùm cor Dei? Id triplici sensu intelligi potest. Primo, spectando ipsius zelum in religione, de quo suprà. Secundo, conferendo illum cum plerisque alijs Regibus: qui non fuerunt tam boni, quàm Dauid. 3. Reg. 11. 4. Nec erat cor eius perfectum cũ Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Et alibi Tertio, conferendo illum speciatim cum Saule, vt hic sit sensus: Quia Saul fuit inobediens Deo, priuatus est regno, successit illi Dauid, qui erat obediens, & faciet omnes voluntates eius. Hic sensus colligitur ex ipso textu, Nam 1. Reg. 13. 13. sic legimus: Dixitque Samuel ad Saul: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit sibi Dominus virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset Dux super populum suum, eo quod non seruaueris, quæ præcepit Dominus. Et Actor. 13. 21. Exinde postulauerunt Regem: Et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, Et amoto illo suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum

rum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

13. Vtrobique fit comparatio inter Saulem & Dauidem. Huius obedientia commendatur; illius inobedientia reprehenditur. Et iuxta hunc sensum, qui est litteralis, hæc duo idem sunt: Vir secundùm cor Dei, &, faciet omnes voluntates Dei. Vbi per voluntates, non intelligit præcepta Dei, quæ in lege Mosaica scripta sunt; quia certum est, Dauidem hoc sensu, non fecisse omnes voluntates Dei, cùm peccauerit contra præcepta Decalogi, per homicidium & adulterium: sed intelligit mandata, quæ viua voce solent dari per Prophetas aut Pontifices. Hæc enim seruauit Dauid; non item Saul. Itaque in eo est differentia inter vtrumque quod quando mandabatur aliquid circa regni administrationem; Dauid parebat; Saul non parebat.

14. Salomon, initio bonus ac sapiens; postea per mulieres alienigenas depranatus est, & idololatra factus, 3. Reg. 11. 1. Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas. Ac deinde subditur: Cumque iam esset senex, depranatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos. In pœnam huius peccati, diuisum est regnum ipsius, & maior pars data Ieroboam, ibidem, v. 11. Quia non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. An autem egerit pœnitentiam, & saluatus sit; disputat Pineda libro 8. de rebus Salomonis, & alij plures.

15. Roboam, filius Salomonis, fuit malus. Peccauit autem tribus potissimum modis. Primo, Quia initio regni, spreto consilio senum, secutus est consilium iuuenum. Et sic dedit occasionem diuisionis regni, quam Salomon suo peccato erat promeritus. 3. Reg. 12. 8. & 2. Paralipo. 10. 8. Secundò, quia post tres annos, tam ipse, quàm subditi deseruerunt Deum, 2. Paralipo-

menon 11. 17. & cap. 12. 1.) Tertiò; quia idololatriam & multas alias impuritates concessit. (3. Regum 14. 22.) Et ideò, quinto regni sui anno, punitus est à Sesac Rege Ægypti. (2. Paralipom. 12. 2.) Mansit autem in sua impietate vsque ad finem vitæ. (ibidem versu 14.)

¶ 16. Abia fuit etiam malus. Initio quidem regni coluit Deum, & spem suam in illo collocauit, vt patet ex concione ipsius, quam habuit in bello contra Ieroboam, Regem Israël. (2. Paralip. 13. 4.) Ideoque insignem victoriam obtinuit. At postea, ambulauit in omnibus peccatis Patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo. (3. Regum 15. 3.)

17. Asa filius eius, fuit bonus. Ac 1. abstulit effœminatos de terra. 2. purgauit omnes sordes idolorum, quæ fecerant Roboam & Abia. 3. Maacham, matrem suam amouit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat. 4. Subuertit specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. (3. Reg. 15. 11.) Hæc tamen in illo reprehenduntur. Primò, quod excelsa non abstulerit. Aliqua quidem abstulit: (2. Paralip. 14. 2.) non tamen omnia (3. Reg. 15. 14.) Secundò, quod pugnaturus contra Baasan Regem Israël, habuerit fiduciam in Rege Syriæ, & non potius in Domino Deo, sicut fecerat in bello contra Æthiopes. Quod obiecit ei Hanani Prophetæ (2 Paralip. 16. 7.) Tertiò, quod eundem Prophetam, propter hanc increpationem, coniecerit in vincula, (ibidem v. 10.) Quartò, quod circa finem vitæ, cùm laboraret podagra, non quæsierit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus sit (ibidem v. 12.)

18. Iosaphat fuit bonus, & multa præclarè gessit. Primò, misit Leuitas & Sacerdotes per omnes ciuitates Iuda, vt docerent populum le-

gem

gem Dei 2. Paralip. 17. 6. Secundò, abstulit reliquias effæminatorum, quæ remanserant in diebus Asæ patris eius. 3. Regum 22. 47. Tertiò, cum antea non ausus fuisset auferre lucos & excelsa 3. Reg 22. 44. tandem factus audacior, abstulit. 2. Paralipom. 17. 6 Quartò, progressu temporis, instituit nouam populi reformationem, ibidem capite 19. 4. Quintò, cùm Moabitæ & Ammonitæ contra illum insurgerent, ipse publico ieiunio indicto, supplex ad Deum confugit, & insignem victoriam obtinuit, ibidem cap 20. 1. In duobus tamen reprehensus est. Primo, quod Achab Regi Israël præbuerit auxilium contra Regē Syriæ, in oppugnanda Ramoth Galaad Hoc obiecit illi Propheta. 2 Paralip. 19. 2. Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris. Et idcirco iram quidem Dei merebatis, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda. Secundo, quod amici iam contraxerit cum Ochozia, filio Achabi Quod etiam illi obiectum est à Propheta 2. Paralip. 10. 35. Post hæc inijt amicitias Iosaphat Rex Iudæ cum Ochoza Rege Israel, cuius opera fuerunt impijssima. Et particeps fuit, vt facerent naues quæ irent in Tharsis; feceruntque classem in Asiongaber Prophetauit autem Eliezer ad Iosaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritęque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.

19. Ioram fuit malus. Acta eius sunt hæc. 1: Accepit vxorem idololatricam, nempe Athaliam, filiam Achab Regis Israel. 2 Occidit omne fratres suos gladio, & quosdam de Principibus Israel. 3 Derelicto Deo, fabricauit excelsa in vrbibus Iuda & preuaricari fecit habitatores Ierusalem. 4. Ideò ab Elia Propheta per litteras reprehensus est. (Quod contigit multis annis post raptum Eliæ) Et grauiter à Deo punitus.

Pœnæ fuerunt hę Primò, Defecerunt ab eo Idumæi, & rebellarunt. Secundò, Defecit etiam vibs Lobna, vt quę erat in tribu Iuda. Tertiò Philistæi & Arabes vastauerunt terram Iuda: Et diripuerunt omnem substantiam Regis Ioram: Et insuper occiderunt eius vxores & filios, excepto vnico Ioachaz, qui & Ochozias dictus est. Quartò Deus percussit illum insanabili langvore alui, quo toto biennio affligebatur. Et tandem longa tabe consumptus, egessit viscera, & mortuus est. Quintò, Populus non fecit illi exequias, nec sepeliuit in sepulchro Regum Hęc omnia habentur, partim 4. Reg. 8. 17. partim 2. Paral. 21.

20. Ochozias, fuit etiam malus. Nam primò, Seductus est à matre sua Athalia. Secundò, Vtebatur Consiliarijs ex domo impijssimi Achab, qui erat pater Athaliæ. Tertiò, Cum Ioram filio Achab, Rege Israel, iuit ad bellum contra Hazael Regem Syriæ, in Ramoth Galaad. Quartò, Eundem Ioram in bello vulneratum, & reuersum in Ieztaher, inuisit. Quintò, Ibi superueniens Iehu, vtrumque occidit. Ac simul deleuit totã domum Achab, vt ipsi erat mandatum à Deo per Prophetam. 4. Regum 8. 25. & cap. 9. 7. & 2. Paralipomenon 22. 1.

21. Athalia, mater Ochoziæ fuit impijssima. Mortuo filio, occupauit regnum: Et, vt sola posset regnare, interfecit omnes masculos stirpis Regiæ, pręter Ioas filium Ochoziæ, qui à sorore sua Iosaba, vxore Ioiadæ Pontificis, occultè subtractus & absconditus est. Deinde, anno septimo, Ioas, authoritate eiusdem Pontificis, publicè promulgatus est Rex, & Athalia interfecta. 4. Regum 11. & 2. Paralip 22.

22. Ioas, primò bonus, postea pessimus, Optimè se gessit, quam iu vixit Ioiada Pontifex, ex cuius directione & consilio hæc fecit. Primò, Curauit instaurari templum, quod sub Athalia, Ochozia, & Ioram, fuerat neglectum, & ferè collapsum,

lapsum. Secundò, Liberauit Ierusalem à periculo obsidionis: Misit enim Hazaeli Regi Syriæ magnam pecunię summam, partim ex thesauro Templi, partim ex Palatio Regio, vt non obsideret Ierusalem, cùm ad eam obsidendam appropinquaret. At mortuo Pontifice, delinitus est obsequijs Principum Iuda, & hæc patrauit. Primò, Conceßit exercitium idololatriæ. Secundò, Interfecit Zachariam filium Ioiadæ Pontificis, qui ipsum & Principes Iuda, totumque populum increpabat propter idololatriam. Sed non impunè. Nam sequenti anno post mortem Zachariæ, tam Rex ipse, quàm alij omnes, ab exercitu Syrorum puniti sunt. Et tandem Rex à seruis suis interfectus. 4. Reg. 12. & 2. Paralipomenon 24.

23. Amasias, imitatus est patrem suum. Nam initio fuit bonus; deinde malus. Gesta eius describuntur 4. Reg. 14. & 2. Paralip. 25, Sunt autem hæc. 1. Confirmato regno, iussit iugulari eos, qui interfecerant patrem suum Ioas. Non tamen filios eorum, propter legem, quæ prohibet filios occidi pro patribus. Tunc enim adhuc erat obseruans legis Mosaicæ. 2. Collegit duplicem exercitum contra Idumæos, qui iam pridem rebellauerant: Vnum ex populo Iuda; alterum ex populo Israel. 3. Monitus à Propheta, vt dimitteret exercitum Israel, vtpote impium, & à Deo alienum; obtemperauit, & victoriam obtinuit contra Idumæos. Ex quibus interfecit decem millia: & totidem ex altißima petra præcipitauit Hactenus benè. Deinceps malè. 1. Rediens ex victoria, asportauit secum Deos Idumæorum, quos cępit in Ierusalem adorare, & incensum illis adolere. Ob quam causam, missus ad eum Propheta, dixit illi. Cur adorasti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? Cui respondit Amasias: Nunc consiliarius Regis es, Quiesce, ne interficiam te.

Tunc abiens Propheta, inquit: Scio, quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo. 2. Post hęc traditus est in reprobum sensum, & insolentior factus propter supradictam victoriam, inito pessimo consilio, prouocauit Regem Israel ad bellum, putans quod & illum posset sibi subiugare. Rex Israel, miratus temeritatem hominis, proposuit illi parabolam de Carduo & Cedro Libani: Volens significare, quod sicut Carduus nullo modo potest comparari cum Cedro; ita Rex Iuda nullo modo possit cõparari cum Rege Israel. Non acquieuit Amasias. Itaque Rex Israel venit cum exercitu in Bethsames, quod est oppidum Iuda, & ibi fugauit exercitum Amasiæ. Ipsum Amasiam cepit captiuum, & duxit in Ierusalem: ibique diripuit omnem thesaurum Templi, & Palatij Regis, ac tandem, relicto ibidem Amasia cum obsidibus reuersus est in Samariam. 3. Interea moritur Rex Israel. 4. Contra Amasiam verò conspirant Ciues in Ierusalem, eo quod propter ipsius defectionem à cultu Dei, & introductam idololatriam, multas calamitates parerentur. 5. Ipse, cognita eorum conspiratione, fugit in Lachis: sed frustra. Nam ibi à conspiratis interfectus est.

24. Ozias, seu Asarias, filius Amasiæ, cùm esset 16. annorum, à toto populo electus est Rex. Fuit quidem bonus, sed propter vsurpatum officium Sacerdotale, quod ipsi non congruebat, à Deo punitus est lepra. Acta eius describuntur 4. Regum 15. & 2. Paralip. 26. Sunt autem triplicia. Nam quædam contigerunt tempore belli alia tempore pacis: alia circa finem vitæ. Tempore belli fecit hæc, ex consilio & directione Zachariæ Viuentis. 1. Muniuit Ierusalem multis turribus. 2. In turribus collocauit machinas diuersi generis quæ sagittas & saxa iacierent. 3. Instruxit exercitum trecentorum & septem milium, &

quin-

quingentorum. 4. Comparauit illis omnia armorum genera, clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundas, & his similia. 5. Ædificauit Ailath, siue Ælath, siue Alam, in finibus Idumæorum, & restituit eam Iudæ 6. Sæpè fœliciter pugnauit contra Philistæos. 7. Destruxit murum vrbis Geth, & Iabnæ, & Azoti. 8. Ædificauit oppida in ditione Azoti Philistijm. 9. Vicit etiam Arabes & Ammonitas, qui postea coacti sunt illi dare tributum. Et propter tam celebres victorias diuulgatum est nomen eius vsque ad introitum Ægypti. Tempore pacis, deditus erat agriculturæ. Habebat plurimos vinitores in Carmelo, & alibi. Fodiebat cisternas ad colligendam aquam propter armenta, quorum numerosissimos alebat greges. Tandem circa annum regni sui 43. propter multa prælatè gesta in superbiam elatus, Sacerdotale officium ausus est vsurpare. Nam ingressus in templum Domini, voluit adolere incensum super altare thymiamatis, obsistente Pontifice. Mox lepra in fronte percussus, & à Sacerdotibus è templo eiectus est. Et sic mansit leprosus vsque ad finem vitæ suæ, habitans in domo separata extra Ierusalem. Interea Ioathan, filius eius, administrabat regnum.

25. Ioathan, filius Oziæ, fuit bonus. De quo scriptum est. 2. Paralipomenon 27. 2. Fecit, quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus; excepto, quod non est ingressus templum Domini, ad vsurpandum officium Sacerdotale. In quo præcelluit patri. Vnum in eo reprehenditur. 4. Reg. 15. 35 Veruntamen excelsa non abstulit. De cætero, in omnibus benè se gessit, iuxta illud. 2. Paralip. 27. 6. Corroboratus est Ioathan, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.

26. Achaz, filius Ioathan, fuit impius. De quo 4. Reg. 16. & 2. Paralip. 28. habemus hæc Primò, de

mò, derelicto Domino Deo patrum suorum, secutus est idololatriam Regum Israel. 2. Fecit statuas, & coluit eas in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso: immolando victimas, & incensum adolendo. 3. Lustrauit filios suos in igne & consecrauit eos idolis. Propter has causas, tam ipse, quàm subditi eius, grauissimè puniti sunt, & sæpius bello oppressi. Primò, à Rasin Rege Syriæ. 2. A Phacee Rege Israel. (2. Paralipomenon 28 5. & sequentibus.) 3. Ab vtroque conjunctim. (4. Reg 16. 5. & Isaiæ 7. 5.) 4. Ab Idumæis. 5. A Philistæis. 6. A Rege Assyriorum. Hæc omnia contigerunt propter peccata Regis Achaz. 2. Paralipomenon vigesimo octauo, versu decimo septimo, & sequentibus.

27. Ezechias, filius Achaz, fuit optimus, iuxta illud 4 Reg 18. 5. Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda: sed neque in his, qui ante eum fuerunt. Et ibidem: Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se gerebat. Gesta eius describuntur, partim loco citato, partim 2. Paralipomenon 29. & tribus sequentibus. Præcipua sunt hæc. Primò, sustulit idololatriam, & verum Dei cultum restituit, hoc ordine. 1. Contriuit statuas & idola, quæ Achaz pater eius fabricauerat 2. Dissipauit excelsa, & succidit lucos. 3. Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moses, quia filij Israel adolebant ei incensum. 4. Curauit per Leuitas & Sacerdotes repurgari templum, Tabernaculum, vasa sacra; quæ à patre ipsius fuerant contaminata. 5. Ipsos quoque Leuitas ac Sacerdotes monuit sui officij, vt offerrent sacrificia, & restituerent vsum organorum, spalteriorum, cytharatum. 6. Curauit celebrati Phase in Ierusalem, conuocatis eo non tantum subditis, qui erant in regno Iuda, sed etiam filijs Israel, qui remanserant ex aliis tribubus, & non erant cum

reli-

reliquis ducti in captiuitatem à Rege Assyriorum.

28. His peractis, venit Sennacherib Rex Assyriorum cum ingenti exercitu contra Ezechiam: & obsedit Ierusalem Ezechias totam spem suam ponebat in Deo, eumque supplex orabat pro liberatione. Nec frustra. Nam quadam nocte, Angelus Domini venit in castra Assyriorum, & percussit centum octoginta quinque millia hominum. Mox fugit Sennacherib, & redijt in Niniue, ibique à filijs suis interfectus est.

29. Post hæc ægrotauit Ezechias, & ab Isaia Propheta monitus est, vt disponeret se ad mortem. Iterum orauit cum fletu & responsum est illi à Domino per eundem Prophetam, Audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas; & ecce sanaui te. Die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos. Ezechias; audita hac promissione, petiuit signo seu miraculo eam confirmari. Factum est. Erat autem hoc signum: Vmbra redijt decem gradibus retrorsum in horologio, quibus descenderat.

30. Rex Babylonis, cùm intellexisset de morbo Ezechiæ, misit ad eum Legatos & munera; quibus ipse lætatus est. Et ostendit Legatis omnem suum thesaurum. Quo nomine reprehendit illum Isaias, ac prædixit fore, vt omnis thesaurus regius auferatur à Babylonijs, quod postea tempore captiuitatis Babylonicæ, factum est.

31. Manasses, filius Ezechiæ, fuit pessimus, sicut Achaz auus eius. Duo generatim fecit mala. Primò, abrogauit cultum Dei, quem Ezechias, pater eius instaurauerat. Secundò, reuocauit idololatriam, quam Achaz introduxerat; Speciatim hæc 1 Ædificauit excelsa. 2 Erexit aras Baal. 3. Fecit lucos, & adorauit omnem militiam cœli. 4. Exstruxit aras idolorum in templo Domini. 5 Traduxit filium suum per ignem.

6. Ario-

6. Ariolatus est, obseruauit augurią. fecit pythones; multiplicauit aruspices 7. Fudit sanguinem innoxium Propter hæc minatus est Deus per Prophetas: Ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam, vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius. (4 Reg 21. 12.) Postea venerunt Principes Assyriorum cum exercitu, & Manassen vinctum catenis ac compedibus duxerunt in Babylonē. Ibi, præangustia animi, cœpit orare Deum, & agere pœnitentiam. Deinde, reuersus in Ierusalem, sustulit idololatriam, & cultum Dei restaurauit. (2. Paralip 33. 11.) Aliqui putant, Isaiam Prophetam, iubente Manasse; serra lignea in duas partes dissectum esse, vt Epiphanius, Isidorus, Eusebius, Hieronymus; & alij apud Torniellum in Annalibus, Anno mundi 3338. nu. 4. Vide Baronium in Martyrologio, die 6. Iulij.

32. Amon, filius Manassis, fuit impius. Secutus est impietatem patris, sed non pœnitentiam. In propria domo à suis subditis interfectus est. (4. Regum 21. 19. & 2. Paralip 34. 21.)

33. Iosias, filius Amon, fuit optimus. Cœpit regnare, cùm esset octo annorum. Et multa præclarè gessit, vt habetur 4. Regum 22. & 2. Paralipomenon 34. & 35. Primò, abstulit ex Iuda & Ierusalem itemque ex vniuersa terra Israel, omnia excelsa, lucos, aras Baalim, sculptilia & simulachra. Secundò, ijs ablatis, curauit per Helciam Sacerdotem instaurari templum Domini. Tertiò, in instauratione templi inuentus est liber Legis, seu Deuteronomij, quem Helcias misit Regi legendum. Quartò, Rex, lecto libro, scidit vestimenta sua & exterritus est propter maledictiones, quæ in illo libro habebantur cōtra transgressores legis. Sciebat enim multos Reges ex suis antecessoribus, vnà cum populo, deseruisse legem Dei, & coluisse idola: ac proinde meritò timebat, ne omnes istæ maledictiones venirent

super

super Iudam & Ierusalem. 5. Itaque misit Helciam, & alios primarios, vt orarent Dominum ad auertendas huiusmodi maledictiones: Et simul consulerent, quid facto opus esset. 6. Quod cùm Regi nunciatum esset, conuocauit vniuersum populum, & lecto publicè libro Deuteronomij, pepigit fœdus cum Deo & adiurauit omnes, vt idem facerent: ac promitterent, se seruaturos præcepta Legis, quæ in illo libro continebantur. Quod etiam factum est. 7. His peractis, celebrauit Phase in Ierusalem, & curauit, vt Sacerdotes & Leuitæ iuxta ordinem suum distributi, ministrarent in templo, & officia sua peragerent. 8. Tãdem, cùm Nechao Rex Ægypti veniret cum exercitu contra Regem Assyriorum, occurrit illi Iosias, vt ipsum impediret. In pugna quæ fiebat in campo Mageddo, vulneratus & mortuus est. De quo sic legimus. 2. Paralip. 35. 24. Vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum: Ieremias maximè.

34. Ioachaz, filius Iosiæ, à populo terræ constitutus fuit Rex. Quod indignè ferens Nechao Rex Ægypti, venit post tres menses in Ierusalem. Ac primò deposuit Ioachaz, & captiuum duxit in Ægyptum. 2. Exegit à populo centum talenta argenti, & talentum auri, eo quod sine ipsius authoritate constituisset sibi Regem. 3. In locum depositi Regis subrogauit Eliacim alterum filium Iosiæ, quem alio nomine vocauit Ioacim. Fuit autem Ioachaz impius, & in Ægypto mortuus est. (4. Regum 23 31. & 2. Paralipomenon. 36 1.)

35. Ioacim, seu Eliachim, fuit etiam impius. Sub illo, & sequentibus Regibus, completæ sunt maledictiones & captiuitates, quas Deus, propter peccata Manassis & aliorum Regum, minatus erat Iudæis (4. Regum 24. 1.) Nam anno regni eius tertio venit Nabuchodonosor Rex in Ierusalem, & ipsum Regem Ioacim, cum magna

populi

populi parte & vasis templi, captiuum duxit in Babylonem (2. Paralipomen. 36 6. & Dan. 1. 1.) Postea tamen regno fuit restitutus, cùm certum quotannis tributum promisisset. Soluit hoc tributum tribus tantum annis, & tum coniunxit se Ægyptijs, & Regi Nabuchodonosori rebellauit. 4. Reg. 24. 1. Quod ægrè ferens Nabuchodonosor, redijt in Ierusalem, anno vndecimo regni Ioachim, & cepit illum captiuum, & extra Ierusalem interfecit, ac insepultum reliquit. Quod Deus prædixerat per Prophetam, Ierem. 22. 18. Hæc dicit Dominus ad Ioachim, filium Iosiæ, Regem Iuda: Non plangent eum: Et infrà. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.

36. Ioachin, filius Ioachim, (qui & Iechonias dictus est) fuit similiter malus, & tribus tantum mensibus regnauit. Tunc iterum venit Nabuchodonosor Rex in Ierusalem, & captiuos abduxit Regem, matrem eius, vxores, seruos, Principes, & decem millia virorum fortium in Babylonem: Et asportauit omnia vasa templi, & thesauros domus Domini, & thesauros domus Regiæ: Nihilque reliquit in Iuda & Ierusalem, nisi pauperes populi terræ. Pro Ioachin verò constituit alium Regem, Mathaniam patruum eius, & vocauit illum Sedeciam (quartò Regum vigesimo quarto, versu vndecimo.)

37. Sedecias, seu Mathanias, à Nabuchodonosore constitutus Rex, fuit malus. His confirmato regno, cæpit rebellare contra Nabuchodonosorem. Itaque Nabuchodonosor venit cum ingenti exercitu, & obsedit Ierusalem, ab anno nono regni Sedeciæ, vsque ad vndecimum. Quo anno, cùm fames præualeret in ciuitate, nec haberent amplius panem, quem comederent; quadam nocte fugit Rex Sedecias, & omnes bellatores cum eo, per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis. Tunc exercitus Nabúchodonoso-

donosoris persecutus est illum, & comprehendit in planitie Iericho. Omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum. Inde ductus est ad Nabuchodonosorem in Reblata. Vbi hæc contigerunt. 1. Nabuchodonosor occidit omnes filios Sedeciæ coram eo. 2 Oculos eius effodit. 3. Vinctum catenis duxit in Babylonem. Postea misit Nabuzardam Principem exercitus sui in Ierusalem; qui hæc patrauit. 1. Templum Domini, domum Regiam, & omnes domos Ierusalem combussit igni. 2. Muros Ierusalem, in circuitu destruxit. 3 Omnia vasa & ornamenta templi abstulit. 4. Quotquot residui erant in ciuitate, vel occidit, vel relictis tantum vinitoribus & agricolis. 5. His præfecit Godoliam. Et hæc fuit tertia captiuitas Babylonica, sub qua perijt regnum Iuda, (4 Reg. 25. & 2. Paralipomenon 36 13.) Nota. Hæ tres captiuitates contigerunt propter peccata Iudæorum. Cùm enim Deus per Prophetas nihil apud eos efficeret; voluit illos bellis, cædibus, & captiuitatibus castigare, vt vel sic tandem ad saniorem mentem redirent.

38. Hæc sufficiant de Regibus Iuda Sequuntur Reges Israel, qui omnes, post factam regni diuisionem, fuerunt impij & idolo'atræ. Author idololatriæ, vt paulò pòst dicam, fuit Ieroboam. Habuerunt primariam regni sedem, primò quidem in Sichem, tribus Ephraim : deinde in Thersa, tribus Manasse : postremò in Samaria, quæ erat in finibus tribus Ephraim, prope tribum Manasse. Durauit hoc regnum vsque ad annum sextum regni Ezechiæ, Regis Iuda. Tunc enim filij Israel ab Assyrijs in captiuitate ducti sunt.

39. Igitur primus Rex Israel, post mortem Salomonis, fuit Ieroboam, filius Nabat, Ephrateus, & à Deo speciatim electus per Ahiam Silonitem Prophetam : cum hac promissione, vt si

Deo

Deo adhæreret, & mandata eius custodiret, in regno confirmaretur, non solum ipse, sed etiam posteri eius. (3. Regum 11. 29.) sed dupliciter peccauit. Primò, quia fuit ingratus pro beneficio Nam statim accepto regno, recessit à Deo, & factus est idololatra. Secundò fuit incredulus. Non enim credebat regnum suum stabiliendum à Deo, sed per propriam prudentiam & industriam. Res sic contigit. Soliti erant filij Israel ter singulis annis ire in Ierusalem, vt ibi orarent, & Deo offerrẽt sacrificia. Timebat ergo Ieroboam, ne si deinceps id facerent, redirent ad obedientiam Roboam Regis Iuda. filij Salomonis, qui habitabat in Ierusalem, & erat legitimus regni hæres, à quo defecerant. Et sic ipse regni administratione excluderetur. Ne id fieret, excogitato pessimo consilio, conflauit duos vitulos aureos, & dixit filijs Israel. Nolite vltra ascendere in Ierusalem: Ecce, dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Et vnum posuit in Bethel, alterum in Dan. (3. Reg. 12. 26.) Et sic effecit, vt filij Israel, relicto Deo fierent idololatræ, & vitulos aureos adorarent. Vnde sæpè de illo dicitur. Qui peccare fecit Israel. Et quia reliqui Reges Israel exemplum ipsius imitati sunt, solet de illis dici: Ambulauit in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.

40. Deinde exstruxit altare in Bethel: constituit nouos Sacerdotes ex infirma plebe, qui non erant de filijs Leui. Instituit solemnitatem, mense octauo, die 15. mensis celebrandam, similem ei, quæ celebrabatur in Ierusalem. Et in ista solemnitate, ipse tanquam Pontifex obtulit solennes victimas, & incensum adoleuit. (3. Reg. 12. 31.) Propter hanc impietatem variis modis à Deo punitus est. 1. Altare scissum est, in quo ipse incensum adolebat. 2. Exaruit manus illius. 3. Abia, filius eius mortuus est. 4. Tota familia paulò post deleta. 5. Omnes, qui ex familia ipsius

interi-

interfecti sunt, manserunt inſepulti, & à canibus & feris dilacerati sunt. 6. Regnum ad aliam familiam translatum. Quę omnia fusè narrantur tertio Regum decimo tertio & decimoquarto. De reliquis Regibus, qui Ieroboam successerunt, nihil necesse est dicere. Constat fuisse impios.

QVÆSTIO V.

Quomodo creati fuerint Reges Hebræorum?

1. Dicam 1. de Creatione 2. de Inauguratione. 3. de Vnctione Igitur quod ad creationem attinet, notandum est, Reges variis tituli creari, seu ius regni adipisci posse. 1. Electione. 2. Successione. 3 Iure belli. 4. Vi & tyrannide. 5. Donatione. 6. Emptione aut permutatione. 7. Adoptione 8. Superioris, aut potentioris authoritate. Et si qui alij sunt.

2. Est ergo quęstio. Quo titulo Reges Hebræorum ad regnum peruenerint? Aliqui putant, electione seu suffragijs populi creatos esse & regnandi potestatem accepisse. Ita Carolus Sigonius, & Guilielmus Barclarus, apud Pinedam lib. 2. de rebus Salomonis cap. 2. Quod dupliciter probari po est P imò, quia Deus permisit populo ius suffragij in eligendo Rege, iuxta illud Deuteronom. 17. 15. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Secundò, quia constat multos à populo electos esse. Sic electus est Saul 1. Reg. 12. 13. Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis & petistis Sic Dauid 2. Reg. 5. 1. Venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, & vnxerunt in Regem super Israel. Sic Salomon paralipomenon 29 23. Sedit Salomon super solium Domini in Regem pro Dauide patre suo, & cunctis placuit, id est, cunctis consenserunt

runt & ſuffragati ſunt. Sic Roboam 3. Regum 12.1. Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum Regem. Sic Ieroboam ibidem verſu 20. Factum eſt autem, cùm audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael. Sic Ochozias. 2. Paralip 22.1. Conſtituerunt autem habitatores Ieruſalem, Ochoziam, filium eius minimum, Regē pro eo. Sic Ozias 2. Paral. 26. 1. Omnis autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum ſexdecim conſtituit Regem pro Amaſia patre ſuo. Sic Ioſias 2. Paral. 23. 25. Reliqua populi multitudo, cæſis ijs, qui Amon percuſſerant, conſtituit Regem Ioſiam filium eius pro eo. Sic Ioachaz ſecundo Paralipomenon trigeſimo ſexto, verſu primo. Tulit ergo populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & conſtituit Regem pro patre ſuo in Ieruſalem.

3. Reſpondeo. Aliud eſt loqui de iure, aliud de facto. Si loquamur de iure, non poterat alius conſtitui vel creari Rex à populo, niſi qui à Deo electus & deſignatus eſſet, iuxta illud Deut. 17. 15. Eum conſtitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Et quia hoc non ſemper ſeruatum eſt, ideò conqueritur Deus apud Oſeam cap. 8. v. 4. Ipſi regnauerunt, & non ex me. Si autem loquamur de facto, ſeruandæ ſunt ſequentes Concluſiones.

4. Prima Concluſio. Aliqui per Electionem diuinam creati ſunt Reges Hebræorum; vt Saul, Dauid, Ieroboam, Baaſa, Iehu Nam Saul à Samuele iuſſu Dei, priuatim vnctus eſt in Regem, nec præſente, nec ſciente populo 1. Reg. 10. 1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & ait: Ecce vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem. Hoc

enim

enim mandauerat Dus Samueli 1. Reg. 9. 16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum Ducem super populum meum Israel. Postea per sortes, Deo item dirigente, publicè electus est 1. Reg. 10.20 Applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors super Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. Huic electioni à Deo factæ, consensit populus, dicens: Viuat Rex. Non tamen omnis populus, sed pauci dumtaxat, quorum Deus tetigerat corda, vt loquitur Scriptura ibidem v. 26.

5. Idem constat de Dauide. Cùm enim Saul à Deo Rex constitutus, vt dixi, non obediret Deo, abiecit illum Deus, & regnum eius transtulit in Dauidem. 1. Reg. 13. 13 Dixit Samuel ad Saul; Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, vt esset Dux super populum suum. Et capite decimo quinto, versu vigesimo octauo. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Et Actorum decimo tertio, versu vigesimo secundo. Et amoto illo (Saule) suscitauit illis Dauid Regem.

6. Similiter de Ieroboam, qui à Deo per Prophetam monitus est, quod facta regni Salomonis diuisione, ipse futurus esset Rex super decem tribus 3. Regum 31. At ait Ahias ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.

7. Et de Baasa, cui Dominus dixit per Prophetam 3. Reg. 16. 2. Pro eo, quod exaltauit te de pul-

de puluere, & poſui te Ducem ſuper populum meum Iſrael : tu autem ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, vt me irritares in peccatis eorum: Ecce ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus eius: Et faciam domum tuam, ſicut domum Ieroboam filij Nabat. Qui mortuus fuerit de Baaſa in ciuitate, comedent eum canes: Et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli.

8. Et de Iehu, qui à Propheta, iuſſu Dei, in Regem Iſrael vnctus eſt. 3. Reg. 19 15. Ait Dominus ad Heliam: Vade & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perueneris illuc, vnges Hazael Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges Regem ſuper Iſrael. Et 4. Regum 9. 1. Tolle lenticulam olei, & vade in Ramoth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Iehu, tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput eius, & dices: Hęc dicit Dominus: Vnxit te Regem ſuper Iſrael. De vnctione dicam plura quæſt. 7.

9. Secunda Concluſio. Aliqui facti ſunt Reges per ſucceſſionem, vt Salomon, Roboam, & & plerique alij Reges Iuda. Itemque ex Regibus Iſrael, Nadab, Ela, Achab, Ochozias, Ioram, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Phaceia. Hi enim ſuis parentibus in regno ſucceſſerunt, vt ex Scriptura patet. Sed notandum eſt, hanc ſucceſſionem aliquando coniunctam fuiſſe, vel cum expreſſa Dei, vel cum expreſſa hominum electione. Prius patet exemplo Salomonis, qui quidem ſucceſſit Dauidi patri ſuo, in regno: ſed ex peculiari Dei ordinatione, vt fatetur ipſemet Dauid 1 Paralip. 28, 5. De filijs meis (filios enim multos dedit mihi Dominus.) elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael. Et ſimiliter Salomon 2. Paralip. 8, 9. Tu me feciſti Regem ſuper populum

pulum tuum multum. Et 3 Paral. 9. 7. Tu elegisti me regem populo tuo. Posterius constat, exemplo Abiæ quem Roboam pater eius, præ aliis suis filijs designauit regem 2. Paral. 11. 22. Constituit verò in capite Abiam, filium Maacha, Ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius.

10. Tertia Conclusio. Aliqui facti sunt reges per vim & tyrannidem, vt Athalia in regno Iuda: Et Zambri, Sellum, Manahem Phacee, Osee, in regno Israël. De Athalia sic legimus, quarto regum vndecimo, versu primo. Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semẽ regium. Et postea subditur: Porrò Athalia regnauit super terram. De Zambri 3. Regum 16. 9 Rebellauit contra eum (Elam filium Baasa) seruus suus Zambri. Et infrà: Irruens ergo Zambri, percussit & occidit eum, & regnauit pro eo. De Sellum 4. Regum 15. 10. Coniurauit autem contra eum (Zachariam regem) Sellum filius Iabes percussitque eum palam & interfecit, regnauitque pro eo. De Manahem ibidem versu 14 Et ascendit Manahem filium Gadi de Theria, veniitque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum, regnauitque pro eo. De Phacee ibidem versu 25. Coniurauit contra eum (Phaceiam filius Manahem) Phacee filium Romeliæ, & percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, & cum eo quinquaginta viros de filijs Galaaditarum, & interfecit eum, regnauitque pro eo Denique de Osee ibidem versu trigesimo, Coniurauit autem & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit, regnauitque pro eo.

11. Quarta Conclusio Aliqui facti sunt reges Hebræorum à regibus gentilium, vt Ioachim

chim à Pharaone rege Ægypti: Et Sedecias à Nabuchodonosore rege Babylonis. Nam Pharao deposuit Ioachaz regem Iuda, & vinctum duxit in Ægyptum, ac in eius locum substituit Eliacim filium Iosiæ. (4. Regum 23. versu 34.) Similiter Nabuchodonosor, capta Hierusalem, deposuit Ioachin regem Iuda, & captiuum transtulit in Babylonem, subrogato in locum eius Sedecia. (4 regum vigesimo quarto, versu decimo quinto.)

12. Argumenta, quæ initio allata sunt, nihil aliud probant, quam populum publicè ac solemniter approbasse quorumdam regum, vel electionem, vel successionem: quod non negamus. Sic enim fieri solet, etiam hoc tempore. Quando enim eligitur nouus Princeps aut Rex, vel quando filius succedit patri in regno vel principatu; solet populus applaudere & consentire.

QVÆSTIO VI.

Quo ritu inaugurati fuerint Reges Hebræorum?

1. BOni authores tradunt varios ritus ac cæremonias, quę adhiberi solent in publica regum consecratione seu inauguratione. Sunt autem hæ potissimum. Prima: Futurus Rex in throno seu solio collocabatur. (3. regum 1. 48.) Secunda, Vngebatur à summo Sacerdote. (3 reg. 1. 39. & 2. Paralip. 23. 11.) Tertia, Ponebatur diadema super caput eius. (4. reg. 11. 12. & 2. Paralip. 23. 11.) Quarta, Dabatur illi in manus liber Deuteronomij, in quo lex erat scripta. (2. Paralip. 23. 11.) Quinta, Iurabat in legis obseruationem. (Psal. 118. 106.) Sexta, Clamabatur à populo: Viuat Rex. (1. reg. 10. 24. & 3. reg. 1. 39. & 4. reg. 11. 12.) Septima,

fiebant sacrificia omnis generis. (1. reg. 11. 15.) Octaua, Edebantur varia lætitiæ & approbationis signa. (1. regum 11. 15. & 3. regum 1. 40.) Vide Abulensem 3. regum 1. quæstione trigesima septima, & Serarium 1. reg. 10. in Commentario.

2. Notandum tamen est, aliquando plures, aliquando pauciores ritus fuisse adhibitos; nec semper eo ordine, quo iam enumerati sunt. Quod aliquot exemplis demonstrabo. Inauguratio Saulis describitur 1. reg. 10. 24. Clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. Et cap. vndecimo, v. 15. Iterexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est Saul, & cuncti viri Israël nimis.

3. Inauguratio Salomonis 3. regum 1. 38. Descendit ergo Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi: Et imposuerunt Salomonem super mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: Et cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat Rex Salomon. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. Et infrà v. 47. Et ingressi serui regis benedixerunt Domino nostro regi Dauid, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius supra thronum tuum. Et adorauit Rex in lectulo suo: & locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.

4. Inauguratio Ioas 4. reg. 11. 12. Ioiada Sacerdos produxit filium regis, & posuit super eum diadema & testimonium; feceruntque eum

regem, & vnxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Viuat Rex. Et 2. Paralip 23. 11. Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium; fecerunque eum manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem. Vnxit quoque illum Ioiada Pontifex, & filij eius: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Viuat Rex.

QVÆSTIO VII.

Quomodo vncti fuerint Reges Hebræorum?

1. Duplex erat vnctio regũ apud Hebræos: Vna priuata, altera publica. Priuata fiebat ante solemnem inaugurationẽ: publica in ipsa solemni inauguratione. Priuatim vncti sunt Saul, Dauid, Iehu. Saul à Samuele, in extrema parte ciuitatis, nullo alio presente. (1. Regum 9. 27.) Dauid ab eodem Samuele, in domo patris sui in Bethlehem. (1. Reg. 16. 13.) Iehu à filio Prophetæ, in cubiculo seorsim, nullo alio conscio. (4. Regum 9 6.) Publicè vncti sunt Dauid, Salomon, Ioas, Ioachaz. Et quidem de vnctione Salomonis & Ioas dictum est quæstione præcedente. De vnctione Ioachaz sic legimus 4. Regum 23. 30. Tulit populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo. De Dauide notandum est, ter vnctum fuisse in regem. Primò priuatim à Samuele, in domo patris sui, vt modò ante dixi. Secundò, publicè in Hebron, in regem Iuda. (2 Reg. 2. v. 4.) Tertiò publicè in Hebron, in regem Israël. (2. Regum 5. vers. 3.)

2. Queres. An fuerit aliquod discrimen inter vnctionem regum & Pontificum apud Hebræos? respondeo. Fuit triplex discrimen. Primò, quia omnes Pontifices ex præscripto legis vi ge-

vngebantur: Et nisi vncti essent, non admittebantur ad officium Pontificale. (Exodi 29. 7. & Leuit 8. 1.) At nullum exstabat præceptum Dei, quo omnes reges ad vnctionem astringerentur. Secundò, Pontifices semper vngebantur publicè coram populo apud Tabernaculum Domini. Exod. 29. 4. & Leuit 8. 3. At Reges aliquando priuatim, aliquando publicè, vt dictum est. Tertiò, Pontifices vngebantur oleo sancto, id est, vngento composito ex oleo, myrrha, cinnamomo, calamo, casia. Exodi 29. 7. & Exodi 30. 23. At reges oleo simplici, id est, non composito ex supradictis aromatibus. Quod rameth aliqui negent, verissimum tamen est. Et tribus argumentis probari potest.

3. Primum sumitur ex lege Dei. Nam Deus præceperat, vt nullus hominum vngeretur oleo sancto, quale iam descriptum est, nisi Pontifex & Sacerdotes. Sic enim legimus Exod. 30. 30. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt Sacerdotio fungantur mihi. Filijs quoque Israel dices: Hoc oleum vnctionis sanctum erat mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo, quicumque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo. Ex quo præcepto duo colligimus. 1 Quod nemo præter Aaronem & filios eius id est, præter Pontificem & Sacerdotes, poterit vngi oleo sancto, quod ex varijs aromatibus confectum erat. 2. Quod nulli licuerit conficere simile oleum, aut alicui alteri communicare.

4. Alterum sumitur ex phrasi Scripturæ. Nam oleum sanctum, quo Pontifex & Sacerdotes vrebantur, nunquam in Scriptura appellatur oleum simpliciter; sed oleum vnctionis, vel oleum vnctionis sanctum; vel oleum sanctæ

vnctionis; vel vnguentum. Exod. 29. 7. Oleum vnctionis fundes super caput eius. Et ca. 30 25. Faciesque vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij. Et infrà v. 31. Hoc oleum vnctionis sanctum erit vobis. Et Leuit. 21. 12. Oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. Et alibi sæpius. Et ratio est; quia non erat oleum simplex ac purum, sed vnguentum confectum ex oleo & varijs aromatibus, vt iam ante dixi: ac proinde non oleum simpliciter, sed oleum vnctionis, vel vnguentum appellari debuit. At oleum, quo reges vngebantur, nunquam appellatur oleum vnctionis, aut vnguentum; sed oleum simpliciter, quia non erat compositum ex oleo & aromatibus, sed purum ac simplex oleum. 1. reg. 10. 1. Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, id est, Saul. Et cap. 16. 13. Tulit Samuel cornu olei, & vnxit Dauidem in medio fratrum eius. Et 4. reg 9. 1. Tolle lenticulam olei, & fundes super caput eius, nempe Iehu. Hinc infero: reges non fuisse vnctos oleo composito, quo Pontifex & Sacerdotes vngebantur, sed oleo puro ac simplici.

5. Tertium sumitur ex illis verbis, Leuit. ca. 10. Pontifex, id est Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratę sunt; vestituſque est SS. vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scinder, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo & matre non contaminabitur: Nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. In quibus verbis continetur hæc lex, vt Pontifex externo ritu non lugeat mortuos, ne egressus è sanctuario, prosequatur funera mortuorum, ne quidem parentum suorum. Et ratio legis additur, quia

oleum

oleum sanctæ vnctionis fusum est super caput eius; ac proinde nullo modo debet contaminari. Contaminaretur autem, si lugeret mortuos, aut funera eorum, prosequeretur. Vnde sic argumentor: Ideò Pontifex non poterat lugere mortuos, aut eorum funera prosequi, quia oleum sanctæ vnctionis fusum erat super caput eius. At Reges poterant lugere mortuos, & prosequi funera mortuorum. Hoc enim fecit David in morte Saulis & Ionathæ, iuxta illud 2. Regum 1. 11. Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, & omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & ieiunaverunt vsque ad vesperam super Saul & super Ionathan filium eius. Ergo oleum sanctæ vnctionis non erat fusum super caput Regum.

6. Vbi notandum est discrimen inter Pontificem, Sacerdotes & Reges. Solus Pontifex vngebatur oleo vnctionis in capite, & ideò non lugebat vllos mortuos, ne quidem parentes. Sacerdotes non vngebantur quidem in capite, sed tamen in vestibus aspergebantur, partim in sanguine arietis immolati, partim oleo sanctæ vnctionis. (Exodi 29. 21.) Et ideò poterant quidem lugere propinquos & consanguineos, non tamen alios (Levit. 21. 2.) Reges, nec in capite, nec in vestibus habebant oleum sanctæ vnctionis, sed oleum simplex, & vulgare, & ideò poterant lugere omnes mortuos, quos volebant. Sic David luxit filium suum Absalonem. (2. Reg. 18. 33. & c. 19. 1.) Sic luxit Abner filium Ner, & feretrum illius ad sepulturam secutus est. 2. Reg. 3. 31.

7. Præter hæc tria argumenta, quæ videntur esse solida, accedunt alia tria, valdè probabilia. Primum, quia oleum sanctæ vnctionis non poterat attrectari, nisi à Pontifice & Sacerdotibus: At Saul, David, Iehu non sunt vncti à Pontifice vel Sacerdotibus, sed à Prophetis: Non ergo

vncti sunt oleo sanctæ vnctionis. Alterum, quia Helias Prophe a à Deo iussus est vngere Iha in regem Israël & Hazaelem in regem Syriæ, & Haliſæum in Propheram, 3 Reg. 19. 15. Et verisimile est, quod ex eadem lenticula vel ex eodem cornu olei potuisset eos vngere. At Hazaelem non poterat vngere oleo sanctæ vnctionis, quia erat homo gentilis: Ergo verisimile est, nec Iehu nec Heliſæum oleo sancto, sed simplici vncti sunt. Tertium, quia Dauid ter vnctus est: vt suprà dixi. Nec credibile est, toties vnctum esse oleo sancto; quia ne quidem Pontifex, pro quo factum erat oleum sanctum, toties vngebatur.

7. Dices: Dauid & Salomon videntur vncti esse oleo sancto. De Dauide constat ex illo Psal. 88 21. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. De Salomone illo 3. Reg. 1. 36. Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem. At oleum, quod in tabernaculo asseruabatur, erat sanctum. Respondeo. Authores hic dissentiunt. Aliqui putant, oleum sanctum commune fuisse Regibus & Sacerdotibus. Hoc iam refutatum est. Alij Dauidem & Salomonem ex peculiari dispensatione vnctos esse oleo sancto. Ita Genebrard. In Ps. 88. 21. vbi ex Cabala & Traditione Hebræorum, hæc asserit. Primò ex concilio Samuelis & Prophetarum illius temporis, dispensatum fuisse cum Dauide, & reliquis regibus familiæ Dauidicæ, vt vngerentur oleo sacerdotali: non autem cum alijs regibus. Itaque Saulem, Iehu, Hazaelem, non fuisse vnctos oleo sacerdotali. 2. Id propterea factum esse, quia Christus erat nasciturus ex familia Dauidis. 3. Externam & corporalem vnctionem Dauidis & Salomonis, fuisse typum seu figuram internæ & spiritualis vnctionis Christi. 4. Tametsi Pontifices, & reges familiæ Dauidis, fuerint vncti eodem oleo sanctos

reges

reges tamen vnctos fuisse per modum coronæ: Pontifices, per modum crucis decussatæ. 5. Illud oleum sanctum, (quod à Mose confectum erat) durasse à tempore Mosis vsque ad captiuitatem Babylonicam, id est, per nongentos annos; & tametsi omnes Pontifices & reges familiæ Dauidis, ex eo fuerint vncti, nunquam tamen diminutum esse, sed per miraculum, integrum perstitisse. 6. Pontifices post captiuitatem Babylonicam vnctos fuisse oleo nouo, quod ad similitudinem prioris erat confectum.

9. Alij rectius sentiunt, nec Dauidem, nec Salomonem, nec vllum alium regem potuisse vngi oleo Pontificali. Ita Oleaster, Caietan. Lipoman. quos citat & sequitur noster Lorin. in Psal. 88. Et hoc conuincunt argumenta superius à nobis allata. Nec obstat illud: Oleo sancto meo vnxi eum. Nam inde non sequitur, Dauidem vnctum fuisse oleo vnctionis, seu vnguento composito ex oleo & varijs aromatibus, (de quo solo hic disputamus) sed tantum, vnctum fuisse oleo sancto. At oleum sanctum latius patet, quàm oleum vnctionis Pontificale. Cùm enim duplex oleum fuerit vsitatum in lege Mosaica; alterum compositum ex oleo & aromatibus alterum simplex ac purum, vtrumque poterat dici sanctum, sed diuerso modo. Oleum vnctionis dicebatur sanctum, quia per illud sanctificabantur & consecrabantur Pontifices & Sacerdotes. Oleum simplex; quo vnctus est Dauid, & alij reges ac Prophetæ, dicebatur sanctum, ratione mysterij; quia erat figura illius olei, quo postea sanctificatus est Christus. Vnde sicut de Dauide dicitur; Oleo sancto meo vnxi eum, ita de Christo; Vnxit te Deus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Psal. 44. 10.

10. Neque verùm est, quod obijcitur, non aliud oleum quàm oleum vnctionis, quo vngebantur Pontifices & Sacerdotes, asseruatum fuisse

in Tabernaculo. Nam præter illud asseruabatur etiam, oleum, quo quotidie lucernæ instaurabantur à Sacerdotibus de quo Leuit. 24 Præcipe filijs Israel vt adferant tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, extra velum testimonij in Tabernaculo fœderis. Cur similiter non poterat asseruari oleum pro vngendis Regibus & Prophetis?

11. Quod dicitur de facta dispensatione, non est probabile Nam neque Samuel neque alij Prophetæ poterant dispensare in lege diuina, quæ vetabat, ne quis alius præter Pontifices & Sacerdotes, vngeretur oleo vnctionis. Multo minus alij, ex eorum consilio, poterãt dispensare Quod additur vnctionẽ Dauidis fuisse figuram vnctionis Christi, libens concesserо. De quo paulò post. Nec improbabile est, oleum vnctionis per nongentos annos, sine vlla sui diminutione, sufficisse pro vngendis Pontificibus & sacerdotibus. Nam etiam Rhemis in Gallia, conseruatur ampulla cum sacro Chrismate, quæ similiter sine vlla sui diminutione, per mille & centum annos sufficit pro vngẽdis Regibus. De qua Genebrard. & Lorin loco cit. Reliqua quæ adferuntur parum ad rem faciunt.

12. Quæres: Quare Reges vncti fuerint in V. Testamento Non disputo iam de genere olei, de quo satis dictum est, sed de ipsa vnctione, quare adhibita fuerit in Regum inauguratione? Resp. Adhibita fuit propter has causas. Primò, vt sicut per vnctionem Pontificum significabatur summa illorum dignitas & excellentia inter Ministros Synagogæ ita per vnctionem Regum significabatur summa illorum dignitas & excellentia inter Principes sæculares. Abul. in 1 Reg. 10. qu. 3. 2. vt per hanc cæremoniam insinuaretur Regibus dari gratiam & robur animi, ad defensionẽ religionis & subditorũ. (Augustinus Triumphus de potest. Ecclesiastica quæst. 38. art. 2.)

Tertiò,

Tertiò, vt repræsentarent Messiam, siue Christum Regem. Sicut enim Pontifices per suam vnctionem, erant figura Christi Pontificis; ita Reges per suam vnctionem, erant figura Christi Regis. Vnde Reges in Scriptura vocantur Christi Domini, vt patet 1. Regum 24. 7. vbi David loquens de Saule, ait: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Et 2. Regum 1. 14. de eodem: Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini? Et Psalm. 104. 15. Nolite tangere Christos meos. Et Isaiæ 45. 1. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. Vide Serarium lib. 1. Reg. cap. 10. in Commentario.

QVÆSTIO VIII.

Quod fuerit officium Regum apud Hebræos?

1. OFficium regis summatim describitur Deut. 17, 18. his verbis: Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legéque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt; Nec eleuetur cor eius in superbia super fratres suos, Neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel.

2. Hic tria potissimum præscribuntur Regi. Primò, vt habeat apud se exemplar legis Deuteronomij: illud assiduè legat, præcepta eius custodiat. Quod etiam mandatum fuit Iosuæ capit. 1. vers. 8. Non recedat volumen legis huius de ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac nocti-

cibus, vt custodias & facias omnia, quę scripta sunt in eo; tunc dirigęs viam tuam, & intelliges eam. Contra hoc peccarunt aliqui reges Iuda, præsertim qui Iosiam proximè præcesserunt. Nam tempore Iosiæ, repertus est liber Deuteronomij in Domo Domini, vbi multo tempore latuerat occultus & incognitus 2. Paralipom. 34. 14. Vnde necesse est, proximos illius antecessores, Manassen & Amon, nec habuisse, nec seruasse legem Deuteronomij. Quod etiam dicendum est de Regibus Israel, qui omnes, vt dixi, fuerunt Idololatræ. Longè aliter Dauid, qui de seipso fatetur, Psal. 118. 93. Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.

3. Secundò, vt non superbè efferat se supra fratres suos, id est, supra Hebræos, vel supra gentem suam. Rex enim debebat eligi ex gente Hebræorum, Hebręus ex Hebræis, iuxta illud Deuteronom. 17. vers. 15. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. At frater non debet se superbè eleuare supra fratrem. Non, quod nō possit authoritate vel iurisdictione, aut alio titulo esse superior suo fratre: sed quod non debeat prætextu regiæ dignitatis, & eminentiæ, vel opprimere subditos, vel facere contra fraternam charitatem. Contra hoc peccauit Salomon, qui grauissimum iugum imposuit suis subditis, immoderatas exactiones & tributa ab ijs exigendo. 3. reg. 12. 4 Et Roboam filius eius, qui rogatus, vt minueret aliquid de grauissimo illo iugo, respondit: Pater meus posuit super vos iugum graue: Ego autem addam super iugum vestrum: Pater meus cæcidit vos flagellis, Ego autem cædam vos scorpionibus. ibidem vers. 11 Et Achab, qui iniustè occidit Naboth, & vineam eius occupauit. 3. regum 21. v. 16 Et alij mui i.

4. Tertiò, vt non declinet in partem dextram vel

vel siniſtram. Quod poteſt dupliciter intelligi. Primò, vt ſeruet iuſtitiam, & ab ea non declinet, vel in dexteram, vel in ſiniſtram partem: quod ſolet fieri, vel ex fauore & acceptione perſonarum; vel ex ſpe lucri & vtilitatis; vel ex odio, aut alia peruerſa affectione. Secundò, vt conſtanter & perfectè cuſtodiat legem Dei. Hic ſenſus colligitur ex illo Deut. 28.14. Si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaueris ab eis, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, &c. Et c. 31. v. 19. Noui, quod poſt mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via, quam præcepi vobis, id eſt, Non eritis conſtantes in obſeruatione legis Dei. Et Ioſue 1. v. 7. Confortare igitur & eſto robuſtus, vt cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus: ne declines ab ea, ad dextram vel ad ſiniſtram. Vbi hortatur illum ad conſtantiam in obſeruatione legis. Hanc conſtantiam habuit Dauid, Pſalm. 118. 157. Multi, qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinaui. Non habuit Saul, Salomon, Roboam, Ieroboam, Ioas, Amaſias, qui initio quidem ſeruarunt legem; ſed poſtea ab ea declinauerunt, & impij facti ſunt. De quibus ſuprà.

5. Præmium autem temporale, quod conſtitutum eſt regi, qui hæc tria ſeruauerit, inſinuatur illis verbis: Vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael. Quod non contigit Sauli, qui poſt biennium amiſit ius regni, nec potuit illud trãsferre in filios ſuos; ſed in familiam Dauidis à Deo tranſlatum eſt. Nec Salomoni, qui filio ſuo reliquit minimam regni partem. Nec Ieroboam, Baaſa, Iehu, & ſimilibus, qui propter peccata ſua meruerunt ſpoliari regno, vel in ſe, vel in proximis filijs ſuis: Neque potuerunt vltra tertium aut quartum hæredem, illud propagare. Quo ſpectant ſequentia teſtimonia 1. reg.

13. 13. Dixit Samuel ad Saul: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quę præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum; ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Et cap. 15. 26. Proiecisti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſrael. Et infrà: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. E Eccleſiaſt. 10. 8. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Non deſunt exempla Chriſtianorum Regum ac Principum.

QVÆSTIO IX.

Quod fuerit Ius Regum in ſubditos?

1. HOc Samuel oſtendit 1. Reg. 8. 11. his verbis: Hoc erit ius Regis, qui imperatus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum: Et conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Segetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo, Greges quoque veſtros addecimabit: vosque eritis ei ſerui, Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis: Et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis Regem.

2. Qua-

2. Quæres 1. Quale fuerit hoc ius regale? Respondeo Fuit tyrannicæ potestatis, quod reges Gentilium solent sibi vsurpare, vt rectè docet D. Thomas in 1. 2. quæst. 105, art. 1. ad 5. Serarius 1. reg. 8 Torniellus in Annalibus, anno mundi 2959. nu. 3. Azor. 2 p Instit. Moralium lib. 11 cap. 4 & plures alij. Et probatur primò, quia tria potissimum continentur hoc iure. 1. Subditos, qui ib risunt. facere mancipia, & in seruitutem redigere 2. Eorum filios & filias pro libitu in propria seruitia & commoda destinare. 3. Eorum vineas, agros, oliueta, & alia bona externa, vel pen tus auferre, vel omni tributorum genere vexare. At hæc tria, nec iure naturali, nec diuino licita sunt; sed tantum vsurpantur iure quodam, seu consuetudine tyrannorum.

Secundò, quia populus petierat à Samuele talem regem sibi dari, qualem habebant aliæ gentes. 1. reg. 8. versu 5. Constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Et infrà versu 19. Rex erit super nos: & erimus nos quoque sicut omnes gentes. Itaque Samuel volens eos deterrere ab hac petitione (qua grauiter Deum offendebant) prædixit illis ius, quo vti solent reges gentilium, vt eo audito mutarent sententiam.

Tertiò, quia si illud ius, de quo Samuel loquitur, esset verum ac legitimum ius regium; certè Achab Rex non peccasset, petendo vineam Naboth, quia vsus fuisset suo iure: Sed potius peccasset Naboth, non obtemperando regi, vtenti suo iure. At hoc falsum est: Ergo & illud, ex quo sequitur.

Quartò; consentit Clemens Alexand. lib. 3. Pædagogi cap. 4. vbi sic ait: Deus petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominum, sed quendam se insolentem daturum eis minatur tyrannum, libidini & voluptati dedi-

tum,

tum. Et Diuus Gregorius lib. 4 expositionis c. 1. iura hominum proponuntur contemnentibus iura Dei: & his, qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant, dura & importabilia humanæ seruitutis onera prædicuntur. Et ibidem: Ad hoc Prophera graue ius regis exposuit, vt nequaquam peteretur.

3. Quæres 2. An hoc ius fuerit concessum regibus, ita vt licitè potuerint illud vsurpare? Duplex sententia est, Vna, fuisse ius concessum, tanquam bonum, non quidem simpliciter bonum; sed respectu Iudæorum contumacium, quos tyrannicè gubernari expediebat, in perpetuam eorum pœnam & correctionem. Altera, fuisse ius prauum & illegitimum, ac malè vsurpatum. Sed tamen à Samuele propositum, per modum prædictionis, non approbationis. Prædixit enim, vt si Iudæi peterent sibi regem dari, fore, vt Rex abutatur suo iure, & redigat ipsos in seruitutem. Et hac ratione, vt ante dixi, voluit eos deterrere à petendo rege. Hæc sententia verior est, quam sequitur D. Thomas, Serarius, Azor. & Tornellus locis supra citatis. Et iuxta hanc sententiam, nomen iuris non sumitur pro vero iure, sed pro iure vel consuetudine vsurpata à Tyrannis; vt sensus sit: reges vestri sequentur consuetudinem Tyrannorum, redigendo vos in seruitutem, & vestra iniquè diripiendo. Quod etiam factum est à Salomone, Roboam, Achab.

4. Nota. Aliud est, regem vti personis & bonis subditorum, quando id postulat commune bonum totius regni: Aliud, vti personis & bonis subditorum, in proprium commodum ac libidinem. Prius licet; posterius non licet. Et de posteriori loquitur Samuel. Vide D. Thomam ibidem.

QVÆ-

QVAESTIO X.

An Reges Hebræorum potuerint habere plures vxores?

2. DIcam 1. quid reipsa factum sit. 2. quo iure factum. Primò igitur constat aliquos reges habuisse plures vxores. Saul habuit duas; Vnam primariam, nomine Achinoam: alteram secundariam, nomine, Respha. (Quæ aliquãdo vocatur concubina, vt 2. regum 3. 7.) Ex priori habuit tres filios, Ionathan, Iessui, & Melchisua: Et duas filias, Merob & Michol. 1. Regum 14. 49 Ex posteriori, duos filios, Armoni & Miphiboseth. 2. regum 21. 8.

2. Dauid, antequam regnaret, habuit duas. nempe Achinoam Iezraelitem, & Abigail, quæ fuerat vxor Nabal Carmeli. 1. regum 25. 39. & 43. Deinde, septem annis regnauit in Hebron, super solam tribum Iuda. 2. regum 2. 11. Et 3. regum 2. 11. Intra hoc septennium, præter duas supradictas vxores, accepit alias quatuor 1 Maacha, filiam Tholmai regis Gessur. 2. Aggith. 3. Abital. 4. Eglam. Habuit igitur sex vxores, & ex ijs genuit sex filios in Hebron, singulos filios ex singulis vxoribus. 1. Ammon, primogenitum, ex Achinoa. 2. Cheleah, ex Abigail. 3. Absalonem, ex Maacha. 4. Adoniam, ex Aggith. 5. Sapphatiam, ex Abital. 6. Iethrahan, ex Egla. 2. reg. 3. 2. & 1. Paralip. 3. 1. Postea verò, cum factus esset. Rex super reliquas tribus, & habitaret in Ierusalem, duxit aliam vxorem, nempe Bersabee, ex qua natus est Salomon, qui postea successit in regno. 2. reg. 11. 27. Et hæ omnes fuerunt fœcundæ. Præter has habuit vnam, ex qua nullam suscepit prolem, nempe Michol, filiam Saulis regis; quæ primò quidem fuit illi desponsata à Saule 1. reg. 18. 20. Deinde, rursus abducta, & alteri tra-

ri tradita: ibidem cap. 25. 44. Postremò, Dauid restituta. 2. reg. 3. 14. Fuit autem sterilis in pœnam peccati, quia illuserat Dauidi, coram Domino saltanti. 2. reg. 6. 20. & 23.

3. Salomon habuit vxores, quasi reginas, septingentas, & concubinas trecentas, vt Scriptura loquitur. 3. reg. 11. 3. Vbi nomine concubinarum intelliguntur vxores minus principales, vt notat Serarius. Habuit igitur vxores mille, quarum septingentæ dicuntur quasi reginæ, quia vel regio cultu vrebantur, vel regum ac Principum erant filiæ. Mirum autem est, quod ex tanto vxorum numero, non nisi vnum filium genuerit, nempe Roboam; unique ex matre Ammonitide, vt notat Suidas. & ex eo Serarius 3 reg. 12. Sive dubio, fuit pœna peccati, vt paulò post dicam.

4. Roboam, filius Salomonis habuit vxores octodecim, & concubinas sexaginta. Et genuit 28. & filios, & 60. filias. 2. Paralip. 11, 21. Similiter Abia, filius Roboam, confortato regno suo, accepit vxores 14. Et procreauit 22. filios, & 16. filias. 2. Paralip. 13. 21.

5. Nunc quæstio est. An iure potuerint habere plures vxores, necne? Ratio dubitandi ex vna parte est, quia Polygamia ex peculiari Dei dispensatione fuit Hebræis concessa: Ex altera, quia regi specialim fuit prohibita, Deut. 17. v. 17. Non habebit vxores plurimas. Et quia Salomon transgressus est hoc præceptum, ideò peccauit, & punitus est, vt colligitur ex illo 3. Reg. 11. 4. Depravatum est cor eius per mulieres. Respondeo. Polygamia fuit concessa populo Hebræorum, cum hac duplici limitatione. Primò, vt non alio fine, quàm propagandæ causa, acciperent plures vxores, vt docet D. Thomas in Supplem. quæst. 65. art. 2. & alij. Secundò, vt non acciperent vxores alienigenas, seu idololatricas, propter periculum subuersionis. Exodi

34. 16.

§4 16 & Deut. 7. v. 3. Et huc spectat illud citatum: Non habebit plurimas vxores, quæ alliciant animum eius, nempe ad cultum falsorum Deorum. Itaque duplici nomine poterat quis peccare contra concessionem polygamiæ. 1. Si voluptatis aut libidinis gratia plures vxores acciperet. 2. Si acciperet alienigenas seu idololatricas. Vtroque modo peccauit Salomon. 1. Quia plures accepit libidinis gratia, iuxta illud 3. reg. 11. 2. His itaque copulatus est Salomon amore ardentissimo. Et in pœnam huius peccati, non habuit ex tot vxoribus & concubinis, nisi vnum filium in gratiam Dauid, ne familia Dauidis regia deficeret. 2 Quia accepit plures alienigenas, à quibus deprauatus est, & idololatra factus. (ibidem.) Et in pœnam huius peccati, scissum est regnum illius, & datum Ieroboam. 3. regum. 11. 11. Verum de polygamia dicam plura inferius c. 21.

QVÆSTIO XI.

An Reges Hebræorum potuerint habere plures equos?

1 Videtur hoc illis prohibitum esse, Deut. 17. 16. Cumque fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos. Et ita sentiunt Haymon, & Arias Montanus apud Pinedam lib. 7 de rebus Salomonis c. 14. Et probatur 1. quia in Scriptura nusquam legimus de equo regio, sed tantum de mulo vel mula regia. 2. reg. 13. v. 29. Omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt. Et ca. 18. v 9. Accidit autem, vt Absolon (filius regis) occurreret seruis Dauid, sedens mulo. Et 3. reg. 1. 38. Imposuerunt Salomonem super mulam regis Dauid.

2. Secundò, quia Scriptura solet ferè in malam partem loqui de equis & equitibus, tanquam de re-

de rebus proprijs Ægyptiorum & aliorum Gentilium, vt Exodi 15. 1 Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare. Et Psalm. 19. 8. Hi in curribus, & hi in equis: Nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Et Psal. 32. 17. Falsax equus ad salutem. Et Psal. 75. 7. Dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Et Psal. 146. 10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit. Et Isaiæ 31. 1. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes Et infrà: Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non spiritus. E. Zach. 10. 5. Confundentur ascensores equorum. Vnde etiam Dominus exprobrat Iudæis quod more gentilium alant equos, Isaiæ 2. 7. Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.

4. Tertiò, Idem sentiunt Patres, qui asserunt nõ solùm Regi, sed toti Hebræorum populo prohibitũ fuisse vsum equorum, vt Origenes hom. 15. In Iosue, & Hieronymus in illud Psal. 75. 7. Dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Vbi sic ait. Præceptum est in lege, vt Hebræus non habeat equos. Et confirmari potest primò ex illo Iosue 11. 9. Equos eorum subneruabis. Vbi Deus mandat Iosue, vt pugnaturus contra Reges Gentilium, non accipiat eorum equos, sed potius subneruet, id est, pedes & crura eorum incidat, & inutiles reddat. Quare hoc? Quia nolebat populum Hebræorum habere equos more Gentilium. Volebat potius debilitari & interfici, quàm ab Hebræis possideri. Secũdò, ex illo Isaiæ 36. 8. Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum. Vbi Rapsaces, missus à rege Assyriorum, obijcit Ezechiæ regi, quod non habeat homines, qui possent equos ascendere, eo quod nullus esset equorum vsus apud Hebræos: Vel, vt interpretatur Hieronymus, quod Hebræi non auderent ascendere equos propter

legem

legem Dei, quæ id prohibebat. Ex tiò ex illo 3. Reg. 10. versu vigesimo octauo educebantur equi Salomoni de Ægypto, quia scilicet in Iudæa non erant equi, sed aliunde habebantur, vt notat Hieronymus priori loco citato, Salomon, inquit, Non habebat equum de Ierusalem aut de Iudæa, sed emebat sibi de Ægypto.

4 His non obstantibus, dicendum est, in Deuteronomio non fuisse regi absolutè prohibitum vsum equorum, sed excessum & abusum. Hoc enim significat illud: Non multiplicabit sibi equos. Excessus autē, seu multiplicatio equorum fuit illi prohibita, triplici de causa. Primo, ne tempore belli confideret in multitudine & robore equorum contra illud Psal. 32 17. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suę non saluabitur. Et illud Isaię 31. v. 1 Vę qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes. Secundò, ne erigeretur in superbiam, ex nimio equorum fastu ac pompa. Tertiò, ne ad alendos tot equos, & ad pompam sustinendam, imponeret subditis grauia onera ac tributa. Contra hanc prohibitionem peccauit Salomon, qui alebat mille quadragintos currus, & duodecim millia equitum. 3. Reg. 10. versu 26. Et ad eos alendos, onerabat subditos, vt ipsi postea apud filium ipsius Roboam conquesti sunt. 3. Reg. 12. 4 Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.

5. Ad contraria argumenta sic respondeo. Ad 1. Falsum est. Reges habuisse tantum mulas, & non equos. Nam Dauid cum in bello superasset Adarezer regem Saba, & cepisset equos & quadrigas ipsius, quosdam ex illis sibi reseruauit, iuxta illud 1. Paralip 18. versu 4. Cepit ergo Dauid mille quadrigas eius. & septem millia equitum. subneruauitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reseruauit sibi. Ex quo facto Dauidis, duo colligimus. Vnum, quod regibus

gibus Hebræorum licuerit habere aliquos equos; alioquin peccasset Dauid, aliquos sibi reseruando. Alterum, quod non licuerit illis habere nimis multos; & ideò plerosque subneruauit, iuxta mandatum Dei, quod Iosue datum esse diximus.

6. Ad 2. Illa testimonia nihil aliud probant, quam quod Hebræi, tempore belli, non debuerint fiduciam ponere in multitudine equorum & curruum, sicut faciebant Ægyptij & alij gentiles; sed potius in virtute & protectione Dei. Hoc enim disertè significatur illis verbis: Hi in curribus, & hi in equis: nos autẽ in nomine Domini. Et similiter illis: Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciã super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia præualidi nimis: Et non fuit confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisiuerunt.

7. Ad 3. Eodem sensu, quo regi prohibitum fuit, multiplicare equos; fuit etiam prohibitum alijs Hebræis. Nam neque illi debebant tempore belli confidere in equis, sed in Deo. Atque hinc factum est, vt ratus fuerit vsus equorum apud Hebræos, ante tempora Salomonis: quia ad agriculturam, vel ad onera portanda vtebantur asinis & alijs iumentis. Salomon introduxit copiam equorum, ad luxum & splendorem. Ioram & alij reges, ad vsum belli. 2. Paralip. 21. versu 9. (Cumque transisset Ioram cum principibus suis, & cuncto equitatu, qui erat secum &c.) Reliqua, quæ obiecta sunt, ex dictis facilè diluuntur. Illud solum, quod Rapsaces obiecit Ezechiæ: Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum; indiget explicatione. Sensus est: Vis tu resistere regi meo potentissimo, cùm habeas tam paucos & imbelles tecum homines vt ex ijs, non sint bis mille, qui

qui possit equos ascendere & pugnare? In quo errauit Rapsaces.

QVÆSTIO XII.

An Reges Hebraeorum potuerint habere magnas diuitias.

2. HOc etiam videtur prohibitum Deuter. 17. vetu 17. Nam sicut ibi dicitur: Non multiplicabit sibi equos: Et rursum: Nō habebit vxores plurimas: ita etiam addi ur: Neque auri & a genti immensa pondera. Sed facilis est responsio. Sicut enim non prohibetur vsus vxorum aut equorum, ita nec vsus auri & argēti. Et è contrario: Sicut prohibetur excessus & abusus vxorum & equo um, ita etiam excessus & abusus diuitiarum. Et quidem tr plici titulo. 1. Ne reges, cupiditate auri & argenti, incidant in peccatum auaritiæ. 2. Ne ex eadē cupiditate spolient suos subditos. 3. Ne, si habeant copiam auri & argenti, in fastum & luxuriam diffluant. Quæ omnia contigerunt Salomoni: Is enim, primò quidem, ex cupiditate factus est auarus, vt ipse confitetur, Ecclesiastæ 2. 8. Congeruaui mihi argentum & aurum. & substantias regum ac prouinciarum. Deinde, spolianit suos subditos, exigendo immodica tributa & vectigalia, vt suprà ostensum est ex querela ipsorum subditorum. Tertiò, in libidinem ac luxuriam prolapsus est, accipiendo septingentas vxores & trecentas concubinas.

2. Quæres. An igitur reges & Principes non debeant habere fiscum, in quo econdant aurum & argentum? Respondeo. Deben habere, quantum necesse est ad conseruationem iustitiæ, & defensionē patriæ sed nō debet esse immodicus. Quod elegantes expressit Traianus Imperator. cum

cum dixit, fiscum suum esse lienem. Sicut enim crescente & intumescente liene, cæteri artus & membra tabescunt; ita crescente & intumescente fisco, signum est, subditos exhauriri & spoliari. Nota: Duplex vitium cauendum est. Vnum, ne Reges & Principes omnia consumant, vel in priuata commoda & luxum conferendo, vel in aulicos & consiliarios dissipando. Alterum, ne auaritiæ dediti, iniquè exhaurian subditos, & accumulent thesauros sine modo & mensura. Vtrumque reprehensione dignum.

QVÆSTIO XIII.

Qui & quales fuerint Consiliarij Regum Hebræorum?

1. PRimò certum est ex scriptura, reges Gentiles habuisse apud se viros sapientes, ex quorum consilio agerent omnia, quæ alicuius essent momenti, vt constat de Assuero rege Persarum, de quo legimus Esther. 1. 13. Rex interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & eorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum.

2. Secundò certum est, Reges Hebræorum, de quibus nunc agimus, habuisse etiam suos Consiliarios, vt nominatim constat de Dauide, Salomone, Roboam, Ochozia, Ioa, Ozia. Dauidis Consiliarij fuerunt hi duo potissimum, Achitophel, & Chusai Aracites. (secundo Regum 15. 12. Et cap. 16. versu 16.) Achitophel postea defecit à Dauide, & adhæsit filio eius Absaloni. Fuit autem vir prudentissimus, cui Scriptura dat hoc testimonium: Consilium Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cùm esset cum Dauid, & cùm esset cum Absalon. (capite 16. v. 23.) Tandem, cùm videret consilium suum,

quod

quod dederat Absoloni contra Dauidem, negligi, & consilio Chusai postponi, laqueo se suspendit, cap. 17. 23. Porrò Achitofel videns, quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum surrexitque & abijt in domum suam & in ciuitatem suam: & dispositâ domo sua, suspendio interijt.

3. Chusai mansit fidelis Dauidi. Et vt magis illi prodesset, accessit Absalonem, & simulauit se illi fideliter seruiturum, sicut antea fideliter seruierat Dauidi patri ipsius. (cap. 16. 18.) Idque propterea fecit. 1. vt coram intelligeret, quid Absalon, ex consilio Achitophelis, moliretur contra Dauidem. 2. Vt hoc ipsum consilium, suo consilio dissiparet. 3. Vt Dauidem de his omnibus certiorem faceret. Quæ tria ex animi sententia successerunt. (capit. 17. per totum.) An autem Chusai, hac sua simulatione, mentitus sit, disputant Interpretes. Serarius putat, ab officioso mendacio excusari eum non posse. Quod probabile est. Et colligitur ex his ipsius verbis, quæ dixit Absaloni: Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israël, est cum eo. Sed, vt & hoc inferam, cui seruiturus sum? Nonne filio Regis? Sicut patri tuo. ita parebo & tibi. Priora prudenter, posteriora mendaciter dicta sunt.

4. Consiliarij Salomonis, post mortem ipsius facti sunt consiliarij Roboami, filij Salomonis. Habuit autē Roboam duplices consiliarios: Alios senes & expertos, quos acceperat à patre suo: alios iuuenes & inexpertos, qui cum ipso fuerant enutriti. (3 Regum 12. 6.) Priores dabant illi sanum consilium; posteriores pernitiosum. Hos secutus est Roboam; ideoque & stultè fecit, & maiorem regni sui, partem amisit. Quò spectat illud Ecclesiast. 47 26. Finem habuit Salomon, cum patribus suis: Et dereliquit post se, de semine suo, gentis stultitiam, & immisurum à prudentiæ.

dentia, Roboam, qui auertit gentem cõsilio suo, id est, consilio iuuenum, quod ipse approbauit.

5. Ochozias seductus ab Athalia matre sua vsus est consiliarijs ex domo impijssimi Achabi, qui erat pater Athaliæ. De quo secundo Paralipomenon 12. versu 4. Fecit Ochozias malum in conspectu Domini, sicut domus Achab. Ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius. Ambulauitque in consilijs eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab, Rege Israël, in bellum contra Hazael Regem Syriæ. Euentus consilij & belli fuit malus, vt ibidem patet. Et hoc insinuat illa particula: In interitum eius.

6. Ioas, initio regni, habuit optimum consiliarium, Ioiadam Pontificem. Et optimè se gessit, quamdiu illius cõsilio vsus est: pessimè, quando mortuo Pontifice, consilio Principum aulicorum acquieuit 4. Reg 12. 2 Fecit Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos. Et 2. Paralip. 24. 17. Postquam autem obijt Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq; lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem, propter hoc peccatum.

7. Ozias multa præclarè gessit ex consilio & directione Zachariæ Videntis. Sic enim de illo legimus 2. Paralip. 26. 5. Exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. Iste Zacharias (vt notant Liranus, Dionysius, Caietanus) putatur fuisse filius Zachariæ Pontificis, occisi à Rege Ioa, & consequenter nepos Ioiadæ Pontificis, de quo iam dictum est. Itaque per illum, tanquam Prophetam, Ozias Rex requirebat, id est, cõsulebat Deum, & per illum à Deo in suis actionibus dirigebatur.

8. Nota,

8. Nota. Ioiada Pontifex, & Zachatias Videns, quorum alter fuit consiliarius Ioæ, alter Oziæ, debent dupliciter spectari. 1 quatenus erant viri boni & prudentes 2. quatenus alter erat Pontifex, alter Prophera. Vtroque modo poterant dare consilium. Priori quidem, ex prudentia humana. Posteriori verò, ex oraculo seu responso Dei. Nam Pontifices solebant coram propitiatorio consulere Deum, & ab eo responsa accipere. Similiter Prophetæ vel per internam locutionem, vel per visiones, vel per alia signa docebantur à Deo de futuris rerum eventibus. Hic posterior modus erat certior priori. Et in eo Pontifices & Prophetæ superabant alios consiliarios, qui solum ex solertia & prudentia humana dabant consilium; & ideò poterant errare. Vnde Dauid, Iosaphat, & quidam alij Reges, vt essent tutiores in conscientia, soliti erant in rebus maioris momenti consulere Pontifices aut Propheras, vt cap 7. quæst. 4. §. 5. & seq. & cap 8. explicatum est.

9. Nota 1. Ioas & Ozias, quod attinet ad præsens institutum in duobus fuere similes 1 Quia ambo benè se gesserunt initio regni, eo quod ambo haberent bonos consiliarios ac directores: Ioas quidem Ioiadam Pontificem; Ozias verò Zachariam videntem. 2 Ambo postea, mortuis illis consiliarijs degenerarunt. Nam Ioas, mortuo Ioiada Pontifice, concessit publicum idololatriæ exercitium: Et Ozias, mortuo Zacharia Vidente, temere vsurpauit sibi officium sacerdotale. Ex quo manifestè apparet, salutem Regum ac Principum, magna ex parte, pendere à cõsiliarijs. Qui si tales sint, quales esse necesse est, benè agitur: secùs, si tales non sint. Quod etiam ostendunt alia exempla iam allata. Quales autem esse debeant, dicam seq. quæst. §. 4.

QVÆSTIO XIV.

Quid Christiani Reges ac Principes discere debeant ex iis, quæ hoc capite dicta sunt?

1. MVlta sanè. Et hæc quidem generatim. Primò, vt sint viri boni. Vel, vt faciãt, quod rectum est in conspectu Dei; Sic fecit Dauid, Asa, Iosaphat, Ioathan, Ezechias, Iosias. Non possunt autem esse viri boni, nisi sint Catholici, nisi coniuncti cum Deo, nisi iustitiæ amantes. Vt autem sint tales, postulat illorum dignitas & tituli, quibus ornati sunt. Vocantur enim Dij. (Exod. 22. 8. & Psal. 81. 6.) Vocantur Christi seu vncti Domini. (1. Regum 24. 11. & Psal. 104. 15. & Isaiæ 45. 1.) Vocantur serui, Ministri, Vicarij Dei, (2. Paralip. 6. 15. & Rom. 13. 4.) Vocantur luceruæ populorum, (2 Reg. 21. 17.) Nutritij Ecclesiæ. (Isaiæ 49. versu 23.) Hi tituli, vt veri sint, requirunt magnam sanctitatem.

Secundò: Vt non solum sint boni, sed etiam zelosi in Catholica fide & religione: neque patiantur in suis regnis & prouincijs vllam aliam fidem, quam Catholicam doceri & exerceri. Non sint similes illis, de quibus dictum; Fecit bonum in conspectu Domini: Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

3. Tertiò, Vt non contrahant matrimonia, vel affinitates, vel amicitiam, vel societatem belli cum infidelibus. In quo genere peccarunt, & puniti sunt, tum alij, tum Salomon, Ioram, Iosaphat. Nam Salomon contraxit matrimonium cum filia Regis Ægypti, quæ erat idololatrica, Ioram cum Athalia, filia Regis Israël, quę similiter erat idololatrica. Vterque malè, & malo eventu. Iosaphat, tametsi aliàs bonus, inijt so-

cieta-

cietatem belli cum impio Achabo, & negotiationis cum Ochozia filio Achabi. Propterea dictum est illi: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: Et idcirco iram quidem Domini merebaris sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requires Dominum Deum patrum tuorum. (2. Paralip. 19. 2.) Et iterum: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis. (ibidem cap 20. v 37.) Audiant hoc Christiani Principes. Si volunt vxores ducere, amicitias contrahere, belli aut nauigationis societatem inire, abstineant à consortio Turcarum & aliorum infidelium. Alioqui dicetur ipsis, quod pio Iosaphat dictum est: Quia habuistis fœdus cum infidelibus, percussit Deus opera vestra: contritæ sunt naues vestræ: amissa victoria: thesauri consumpti: subditi ad egestatem redacti: familiæ extinctæ. Non desunt exempla, quibus id confirmem. Sed quia nota & recentia malim præterire.

4. Quartò, vt habeant apud se bonos Consiliarios: non iuuenes, imperitos, inexpertos, sicut habuit Roboam: non idololatras, aut hæreticos, sicut habuit Ochozias: non perfidos & infideles, qualis fuit Achitophel: Sed qui sincere Catholici sint; qui periti, prudentes, experti, cordati; qui immunes ab auaritia & adulatione qui liberi à passionibus & inordinatis affectibus, qui pacis iustitiæ patriæ amantes; qui religionis & Ecclesiæ patroni: Denique, quibus vnicus scopus sit, vbique Dei honorem & bonum publicum promouere. Procul verò faceſſant, & ab omnibus Regum ac Principum aulis arceantur illi, qui palam quidem suam operam addicunt Principi Catholico, & ordinarium stipendium ab eo percipiunt; sed occulta conspiratione de

duplicato vel triplicato paciſcuntur cum alio Principe hęretico aut infideli, ea conditione, vt quidquid apud Catholicos in ſecreto conſilio deciſum eſt, ei inregrè aperiant, & de omnibus certiorem faciant. Non Conſiliarij iſti, ſed proditores ſunt. Et tamen non paucos eſſe, fama eſt.

5. Et hæc quidem communia ſunt, quæ diſcant Reges ac Principes Chriſtiani. Speciatim verò iſta imitentur. Primò, Dauid in rebus magni momenti conſulebat Deum. 2. Aſa matrem ſuam, quæ erat Princeps in ſacris Priapi, amouit ab officio, malens illam offendere, quàm Deum. 3. Ioſaphat miſit Leuitas & Sacerdotes, vt in omnibus ciuitatibus docerent populum legem Dei. 4. Ioas curauit inſtaurari templum Domini. 5. Amaſias, collecto duplici exercitu contra Idumæos, altero ex populo Iuda, altero ex populo Iſraël, monitus à Propheta, vt poſteriorem tanquam hæreticum dimitteret; mox obtempeauit, & victoriam obtinuit. Quam non obtinuiſſet, ſi vtroque exercitu pugnaſſet. 6. Ozias in omnem euentum maturè proſpexit Regno ſuo de firmis munitionibus, & omni belli apparatu. Ideoque terrori erat vicinis hoſtibus. 7. Ezechias reformauit cultum Dei, & in quauis occurrente neceſſitate ad Deum confugiebat. 8. Ioſias populum adiurauit, vt inito cum Deo fœdere, promitteret ſe ſeruaturum legem à Deo datam.

6. Hęc caueant. Primò, Saul amiſit regnum, quia non obediuit Deo & Samueli. 2. Dauid, tempore pacis & proſperitatis, in adulterium lapſus eſt. 3. Salomon Regum ſapientiſſimus, per mulieres deprauatus, & idololatra factus. 4. Roboam, quia relicto ſeniorum conſilio ſecutus eſt conſilium imperitorum iuuenum, qui præter delitias auſicas, nihil nouerant, maiori parte ſui regni ſpoliatus eſt. Aſa, cætero qui bonus, cùm

labo-

laboraret podagra, magis in medicorum, quàm in Dei ope confidebat. Quod in illo reprehensum est 6. Ioram, cùm antea esset Catholicus, & Catholico natus parente, accepit vxorem hæreticam, & in gratiam illius hæreticus factus est. Sed non impunè Nam insanabili dolore aluum per biennium cruciatus, tandem egestis visceribus, miserè perijt. 7. Ochozias, patri similis, à matre in hæresim pertractus est, & in pœnam defectionis à Iehu Rege Israël interfectus. 8. Ioas, Rex Catholicus, mortuo Ioiada Pontifice, à quo dirigebatur, concessit publicum exercitium falsæ religionis in gratiam Nobilium aulicorum. Et postea à seruis suis interfectus est. 9. Amasias, propter eandem culpam, à ciuibus trucidatus est. 10. Ozias, ob vsurpatum temerè officium sacerdotale, lepra percussus. 11. Achaz propter cultum impiæ religionis, sæpe bello oppressus. 12. Manasses, quia restituit idololatriam, quam pater eius exterminauerat, catenis vinctus & in captiuitatem adductus 13 Amon, simili de causa, in propria domo à suis subditis jugulatus. 14. Sedecias, quia non seruauit fidem Nabuchodonosori datam, effossis oculis, in Babylonem ductus. Denique, vt alia omittam, Ieroboam, primus Rex Israël, vt regnum suum confirmaret, subditos abstraxit à vera religione, vt hoc modo, vera religione destitutos, facilius contineret in rebellione, ne ad legitimum suum Regem, à quo defecerant, reuerterentur. Nam sicut Catholica religio aptissima est, vt subditos efficiat pios, & Magistratui suo obtemperantes; ita hæresis ad rebelliones & defectiones concitandas efficacissima. Res nota, & multis exemplis, tum hoc tempore, tum superiori sæculo confirmata.

CAPVT XVIII.

De Bello, Castris, & mundicia Castrorum.

QVæritur 1. An bellum fuerit licitum in V. Testamento? 2. Quænam fuerint leges belli à Deo prescriptæ? 3. Quę iustæ causæ gerendi bellum? 4. An Iudæi potuerint bellum gerere contra Iudæos? 5. An contra quoscuis Gentiles? 6. An in bello potuerint implorare auxilium à Gentilibus, seu infidelibus? 7. Quinam Iudęorum Reges aut Principes feliciter gesserint bellum? 8. Quid in lege Mosaica statutum fuerit de munditia castrorum.

QVÆSTIO I.

An bellum fuerit licitum in Veteri Testamento.

1. MAnichęi docuerunt, bellum ex natura rei illicitum esse, & ideo Moysen, Iosuæ, Dauidem, & alios V. Test. reges ac Principes qui bella gesserunt, tanquam impios accusabant, vt refert Augustinus lib. 22. contra Faust. cap. 74. & seqq. Nos duo asserimus. 1. Bellum ex natura rei licitum esse. 2. Ex eo recte colligi, etiam Iudæis in Veteri Testamento fuisse licitum, præsertim cum illis specialiter non fuerit prohibitum.

2. Prima Conclusio. Bellum ex natura rei tunc licitum est, quando absunt hæ tres conditiones. 1. Legitima auctoritas indicendi bellum: qualis est in Principe vel Republica, non agnoscente superiorem in temporalibus. 2. Iusta causa. 3. Recta intentio. Tunc illicitum, quando vel omnes, vel aliqua earum conditionum deest. Ita

D. Thom.

D. Thom in 2.2. quæst. 46. art. 1. Et quidem, si desit prima vel secunda conditio, non solum charitati, sed etiam iustitiæ contrarium est cum onere restitutionis. Si desit sola tertia, non est contrarium iustitiæ, sed charitati, vt bene notat Bellarm. lib. de Laicis c. 15.

3. Ratio conclusionis est, quia bellum vel est defensiuum, quod solius defentionis causa suscipitur; vel offensiuum, seu aggressiuum, quod ad vindicandam seu compensendam iniuriam infertur. Si defensiuum, constat ex natura rei licitum esse. Nam si iure naturali licitum est homini priuato, vim vi repellere; multò magis id licitum est Principi aut communitati. Si offensiuum, tunc etiam licitum est propter similem rationem. Nam si homo priuatus potest aduersario suo intentare litem, vel actionem iniuriarum, per viam iuris; cur Princeps vel communitas non possit idem facere per viam belli, quando via iuris non est sufficiens? Alioqui publica iniuria, quæ Principi vel communitati facta est, nunquam posset resarciri aut vindicari: & consequenter, nec publica iustitia & indemnitas custodiri, quod est absurdum.

4. Dices: Etiamsi seruentur conditiones, quæ in conclusione assignatæ sunt, nihilominus bellum videtur esse contrarium paci charitatis. Nam inter illos, qui bellum contra se mutuo gerunt, non est pax, sed pugna & dissensio. Respondeo. Ex parte illius, qui iniustam causam fouet, aut malam intentionem habet, contrarium est paci charitatis. De hoc nemo dubitat. At ex parte alterius, qui iustam causam fouet, & rectam habet intentionem, non est contrarium, sed conforme charitati. Quod sic ostendo. Homo priuatus, qui ex charitate diligit se & proximum suum, potest secundùm ordinem charitatis præferre se proximo. Vt si occurrat casus

in quo vel ipse, vel proximus debeat pati aliquod damnum, vel incommodum ; potest salua charitate, seipsum saluare, cum damno vel incommodo proximi, modò non faciat iniuriam proximo ; vt Theologi constanter docent Idem dico de Principe, vel cõmunitate. Si ergo Principi inferatur iniuria ab alio Principe, potest salua charitate, vindicare iniuriam per bellum ; & se indemnem conseruare. In quo facto seruatur simul charitas & iustitia. Charitas, quia seruatur regula charitatis. Proximus sum egomet mihi. Iustitia, quia officium iustitiæ est, illatam iniuriam legitimè vindicare.

5. Secunda Conclusio. Bellum fuit licitum in Veteri Testamento, seruatis illis conditionibus, quæ supra positę sunt. Ratio sumitur ex dictis. Nam quod ex natura sua licitum est, hoc etiam licitum fuit Iudæis, nisi speciali mandato fuerit Iudæis prohibitum : At bellum ex natura sua licitum est, vt dixi: Nec vllo speciali mandato fuit Iudæis prohibitum, cùm nullum extet tale mandatum in Veteri Testamento. Et confirmatur tripliciter. Primò, quia Deus non solum permisit bellum in Veteri Testamento ; sed etiam imperauit. (Num. 25. 16. & 1. Reg. 15. 3. & alibi.) Secundò, præscripsit leges & præcepta gerendi bellum, vt dicam sequenti quæstione. Tertiò, laudantur in Scriptura, qui in Veteri Testamento fortiter se gesserunt in bello. Sic laudatur Abraham (Genes. 14. 19.) sic Leuitæ (Exodi 32. 29.) sic Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Samuel, Dauid, & alij. Hebræor. 11. 32.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quæ fuerint leges belli à Deo præscriptæ in Veteri Testamento?

1. RESpond. Erant variæ. Nam quædã obligabant, quando castra erant mouenda de loco in locum. Aliæ, quando eundum ad prælium. Aliæ, quando iam inchoandum prælium. Aliæ quando ciuitas obsidenda. Aliæ, quando obsidio continuabatur. Aliæ, denique, quando victoria parta.

2. Primò igitur, quando castra erant mouenda, obligabat hęc lex. Numerorum. 10. vers. 2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinẽ, quando mouenda sunt castra. Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, veniẽt ad te Principes, & capita multitudinis Israel. Si autem protixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu & prolixulatu tubæ, ieuabũt tentoria, qui habitãt ad meridiem: & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt. Filij autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.

3. Hæ tubæ debebant esse argenteæ; tum propter reuerentiam diuini cultus, tum vt essent magis sonoræ. Seruiebant autem ad varios vsus. 1. ad connocandum populum ad concionem, iuxta ostium tabernaculi. 2. ad conuocandos principes ad consultationem. 3. ad mouenda castra. Quæ tria patent ex citato textu. 4. ad bel-

lum. 5. ad festa & sacrificia. Hæc duo patent ex textu sequenti in eodem capite. debebant autem inflari à Sacerdotibus : Et ex eo modo inflandi constabat, in quem vsum inflarentur, vt ex textu colligitur.

4. Secundò, quando eundem erat ad prælium, triplex lex obligabat. Prima, Num. 10. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manu inimicorum vestrorum. Secunda, Deut. 23. 9. Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala, id est, ab omni peccato, vt à scortatione, ebrietate, rapinis, iuramentis, blasphemijs, duellis, æmulationibus. Itemque ab omni immunditia legali. Tertia, Deuteronom. 20. 5. Duces per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabant: Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui desponsit vxorem, & non accepit eam? Vadat & reuertatur in domũ suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Itaque, vt summatim dicam quando ibatur ad prælium, hæc tria debebant seruari. 1. Inflandæ erant tubæ per modum vlulatus, ad implorandum à Deo subsidium. 2. Omnes debebant esse puri à peccato, & immunditia legali. 3. Non admittebantur pauidi, sponsi, nouam domum aut vineam ædificantes.

5. Tertiò, quando iam prælium erat inchoandum, seruabatur hæc lex, Deuteronom. 20. 2.

Appro-

Appropinquante iam prælio, ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populũ: Audi Iſrael, Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum. Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſaros dimicat, vt eruat vos de periculo. Magna conſolatio.

6. Quartò, quando ciuitas erat obſidenda, dabatur hæc lex, Deut. 20 10. S quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem; ſi receperit, & apperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in eo eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manus tuas, percuties omne, quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, abſque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris, quæ in ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde ſunt, & non ſunt de his vrbibus, quas in poſſeſſionem acceptурus es. De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere: ſed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum & Heuæum; & Iebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum.

7. Quinto, quando obſidio ciuitatis continuabatur, debebat ſeruari hæc lex, Deut. 20 19. Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, vt expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debet vaſtare regionem:

quo-

quoniã lignum est, & non homo nec potest bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in esteros apta vsus, succide, & instrue machinas, donec capias ciuitatem quæ contra te dimicat.

8 Sextò, quando victoria erat parta, ordinariè non licebat occidere innocentes, vt mulieres infantes, & pecora. Hoc colligitur ex dictis, Deut. 20. 13. Percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladij, absque mulieribus, & infantibus, & iumentis Non obstante hac lege ordinaria, mandabat aliquando Deus, vt etiam mulieres, infantes & iumenta interficerentur vt 1. Reg. 15. vers. 3. Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius. Non parcas, ei sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & Asinum. Aliquando, vt omnes mulieres, exceptis puellis & virginibus. Num. 31. 17. Cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiã in paruulis: Et mulieres, quę nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis. In his, & similibus casibus, Dei iussio pro lege est vt ex Augustino notat Serarius in caput 6. Iosue, quæst. 36.

9. Quæres, quid Deus promiserit Iudæis, si seruarent has leges bellicas? Respondeo. Hæc duo. Primò, Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Leuit. 26. versu 7. Secundò, persequentur quinque de vestris centum alienos: Et centum de vobis, decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro, ibidem v. 8. Si autem non seruarent minatus est contrarium: ponam faciem meam cõtra vos, & corruetis corã hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos, fugietis, nemine persequente. ibidem v. 17. & sequentibus. Vide plura Deut. 28. versu 7. & 25.

10. Hinc discant Christiani, quomodo se gerere

rere debeant in bello. Tametsi enim quædam ex supra dictis legibus fuerint cęremoniales, quæ iam abrogatę sunt; tamen aliquæ erant morales, quæ nunquam abrogantur, sed æquè nunc obligant Christianos, ac olim Iudæos obligabant. Cuiusmodi sunt hæ. 1. vt sint puri ab omni peccato. 2. vt seruent ordinem præscriptum in castris. 3. vt confidant in Deum, & ab ipso petant subsid um. 4 vt parcant innocentibus, quantum fieri potest. 5. vt hosti offerant prius pacem, antequam illum bello offensiuo inuadant. Si seruarentur hæ leges à Christianis, fœlicius pugnarent contra hostem, quàm hactenus pugnarunt. At raro seruantur. Nam multi inter milites ac Duces solent esse scortatores, ebriosi, blasphemi, raptores, & similibus flagitijs inquinati, qui meritò à Deo deserantur, & infœliciter rem gerunt.

QVÆSTIO III.

Quæ fuerit iusta causa gerendi bellum in veteri Testamento?

1. Svppono iustam causam indicendi bellum, generatim loquędo, esse grauem iniuriam, quæ alicui Principi aut rei publicæ, vel imminet, vel facta est. Si immineat, vt impediatur per bellum defensiuum, iure defensionis. Si facta est, vt vel resarciatur per bellum offensiuum, iure iustitiæ commutatiuæ: vel vindicetur, iure iustitiæ vindicatiuæ. Vide Augustinum quæst. 10. super Iosue, D. Thomam q. 40. art. 4. Molinam de iure & iustitia disp 102.

2. Hoc posito, quæstio est, quænam fuerint speciales causæ belli in Veteri Testamento? Vel, propter quas iniurias, legitimè indicta fuerint bella in veteri Testamento? Respondeo. Ex scriptura colliguntur hę causę: Prima, publica Principis

cipis contumelia. Sic Dauid mouit bellum contra Hanon Regem Ammonitarum, eo quod nuncios à Dauide missos affeciſſet magna ignominia, quæ describitur 2. Regum 10. 4. his verbis: Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias vsque ad nates & dimisit eos.

Secunda rebellio subditorum. Sic idem Dauid suscepit bellum contra Seba filium Bochri, qui cum quibusdam alijs separauerat se à Dauide legitimo suo Rege. 2. Reg. 20 1.

Tertia: Defensio malefactorum, ne iustè puniantur. Sic filij Israel pugnauerunt contra Beniamitas, eo quod nollent tradere quosdam ex sua tribu, qui nefandum flagitium perpetrauerant. Quin eos potius defendebant. Iudic. 20. 1

Quarta, Suppetiæ inimicis latæ. Sic Dauid percussit vigiuti duo millia virorum de Syria Damasci, quia suppetias tulerant Adarezer Regi Soba. 2 Reg 8. 5.

Quinta, negatio innoxij transitus per alienam terram, qui iure naturali negari non potest Sic Israelitæ indixerunt bellum Arad Regi Chananæo, quod negaret illis transitum per suam prouinciam, Num 21. 1.

Sexta, Violatum fœdus. Sic Rex Ioram indixit bellum Regi Moab, qui nolebat illi soluere centum millia ouium, quæ ex antiquo fœdere tenebatur soluere. 4. Reg. 3 5.

Septima idololatria subditorum. Sic Moyses cum filijs Leui, bello aggressus est filios Israel, & interfecit triginta tria millia hominum, propterea quod aureum vitulum adorassent. Exod. 32. 26.

QVA-

QVÆSTIO IV.

An Iudæi potuerint bellum gerere contra Iudæos?

1. RAtio dubitandi est, quia quãdo Roboam Rex cũ domo Iuda & Beniamin, voluit bellum gerere cõtra domum Israël, (qui omnes ex vtraque parte erant Iudæi) dixit illi Deus per Prophetam: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israel. 3. Regum 12. versu 24 Et tamen Roboam habuit legitimam causam indicendi bellum, quia volebat subditos rebelles ad obediẽtiam reuocare. Ergo, quod prohibitus fuerit gerere bellum, non erat alia causa, quam quia volebat illud gerere contra Iudæos, fratres suos.

2. Sed contrarium facilè probari potest ex dictis. Primò, exemplo Moysis & Leuitarum, qui pugnarunt contra fratres suos, propter peccatum idololatriæ commissum. Exodi 32. versu 26. Secundò, exemplo filiorum Israel, qui communi consensu, & consulto prius Deo, pugnarunt contra Beniamitas, & totam ferè ipsorum tribum extinxerũt. Iudicum 20. per totum. Tertiò, exemplo Dauidis, qui pugnauit contra subditos rebelles. 2. Regum 20. versu 1. Accedit ratio, quia si Iudæi contra Iudæos non potuissent bellum gerere, nõ potuisset inter illos conseruari iustitia, nec iniuria vindicari. Nam sæpè contingit, vt iniuria ab vna parte illata, non possit vindicari, nisi bello. Et si non vindicaretur, nulla seruaretur iustitia in communitate, quod est absurdum. Denique conditiones illæ, quæ efficiunt, vt bellum sit iustum & legitimum, tam benè reperiri possunt inter homines eiusdem gentis, quàm inter extraneos.

3. Nec obstat exemplum Roboam. Nam is non est iussus cessare à bello, ex eo præcisè, quod illud

lud ſuſcepiſſet cõtra fratres ſuos; ſed ex eo, quod vellet illos ad ſuum regnum reducere, quod erat contra Dei ordinationem. Nam Deus volebat regnum Salomonis, propter ipſius peccata, in duas partes diuidere: & maiorem partem dare Ieroboam, ſeruo Salomonis; minorem verò relinquere Roboam, filio Salomonis. Roboam autem nitebatur totum regnum ſolus obtinere; & omnes, qui adhærebant Ieroboã, ad ſe reducere. Et quia hoc volebat perficere armata manu, monitus eſt à Deo, vt à cæpto deſiſteret. 3 Reg. 12. 21. & ſequentibus.

QVÆSTIO V.

An Iudæi potuerint bellum gerere contra quoſcumque Gentiles?

1. REſpondeo. Poterant, ſeruatis conditionibus ſuprà poſitis Nã ſi Gentiles, quicumque tandem illi fuiſſent, vel iniuſtè inuaſiſſent Iudæos, vel grauem aliquam iniuriam irrogaſſent, poterant ipſi ſe defendere, & illatam iniuriam vindicare. Sic fecerunt contra Chananæos, Amorrhæos, & Madianitas, tempore Moſis. Sic contra habitatores Iericho, & Hai, & ciuitatum ciuitatum, tempore Ioſue. Sic contra Syros, Madianitas, Amalecitas, Ammonitas, Philiſtæos, tempore Iudicum. Sic contra eoſdem Philiſtæos, Syros, Arabes, Æthiopes, Moabitas, Idumæos, tempore Regum. Sic contra Antiochum, Apollonium, Nicanorem, Lyſiam, Gorgiam, Bacchidem, Typhonem, Alexandrum, tempore Machabæorum. Et ratio eſt, quia ſicut homo priuatus, iure naturali poteſt ſe legitimò defendere contra quemcumque iniuſtum inuaſorem, aut iniuriantem; Ita etiam Princeps vel Reſpublica poteſt.

2. Dices, Deus per Prophetam prohibuit Iudæis

dæis ne susciperet bellũ cõtra Nabuchodonosorẽ Regẽ Babylonis, sed sponte se illi subijcerent, Ierem. 27. 12 Resp. Verũ est, quia Iudæi non poterant iusto bello, de quo hic agimus, contra Regem illum pugnare. Idq; ex duplici capite Primò, quia Deus dederat Nabuchodonosori regnũ Iuda, & omnia regna vicina. Ierem. 27. 6. Ergo nec Iudæi, nec vicini populi poterãt iusto bello hanc donationem impedire. Secundò, quia Iudæi propter sua peccata meriti erant hanc pœnã, vt seruirent Nabuchodonosori: Et nisi vellent sponte eam subire, futurum erat, vt grauiorem pœnam sustinere cogerentur. Ibidem versu duodecimo. Ergo non poterant iusto titulo reluctari.

QVÆSTIO VI.

An Iudæi in bello potuerint implorare auxilium à Gentilibus & infidelibus?

1. ALiqui affirmant, quia Asa Rex Iuda implorauit auxilium Benadad Regis Syriæ in bello contra Regem Israel. 2. Parali. 16. 2. Similiter Iudas Machabæus iniit fœdus cum Romanis Gentilibus, vt in bello se mutuo iuuarent. 1. Machab. 8. 1.

2. Alij negant; quia Deus seuerè prohibuit Iudæis, ne contraherent fœdus & amicitiã cum infidelibus: Et graues pœnas comminatus est, nisi obtemperarent. Deut. 7. 2. & Iosue 23. 12. & Iudic. 2. 2. Et quia non obtemperarunt, puniti sunt. Nam Deus permisit illos à Gentilibus opprimi, & in seruitutem redigi, vt patet ex lib. Iudicum, & libro 4. Regum, & libro Tobiæ, Esther, Propherarum. Sed distinguendum est, iuxta sequentes Conclusiones.

3. Prima Conclusio. Per se, & ex natura rei, licitum est in bello iusto, implorare auxilium infidelium, etiam contra fideles. Ita Domini-

cus

eus Bannes in 2. 2. quæst 40. art. 1. Dub. 1. & alij ab eo citati. Ratio est, quia infideles possunt ex se suscipere iustum bellum contra quoscumque hostes : ergo possunt etiam alios iuuare in iusto bello contra quoscumque hostes : ergo licitum est ab ijs petere, vt nos iuuent in iusto bello. Et confirmatur 1. quia actus iustitiæ loquendo præcisè ex natura rei, potest ab omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus exerceri : At gerere iustum bellum, vel iuuare in iusto bello, est actus iustitiæ: ergo potest ab omnibus exerceri 2. quia in iusto bello licitum est vti subsidio equorum, Elephantorum, & aliorum brutorum animalium: ergo etiam hominum infidelium. 3. Licitum est in iusto bello præbere auxilium infidelibus contra fideles: ergo etiam licitum est, ab eis petere auxilium, cùm sit par ratio. Antecedens patet exemplo Danidis, qui auxilium præbuit Achis Regi Philistinorum, contra populum Israel. 11. Reg. 28. & 29. Videatur ibidem Abulensis c. 28. q. 5.

4. Secunda Conclusio. Nihilominus Iudæi triplici titulo prohibebantur inire fœdus cum infidelibus. Primò, ratione periculi subuersionis; quia periculum erat, ne ex tali fœdere & societate, desererent cultum Dei, & fierent idololatræ Exodi 34. 12. & Deut. 7. & alibi. Secundò, ratione periculi perfidiæ, ex parte infidelium. Nam infideles, sæpè non seruabant pacta cum Iudæis inita. Non se gauit Rex Moab. 4. Reg. 3. 5. Nec Demetrius. 1. Machab. 11. 58 Nec Tryphon. 1. Machab. 12. 48. Nec Ptolomæus 1. Machab. 16. 16. Nec multi alij. Tertiò, ratione scandali, quod erat duplex. Vnum, quia qui in bello petebant auxilium ab infidelibus, videbantur fiduciam suam in illi potius ponere, quàm in Deo. Quod, quia erat contra legem Dei, erat scandalosum. Et hoc nomine reprehensus fuit Asa Rex Iuda, qui à Benadad Rege Syriæ petiuerat auxilium,

lium, iuxta illud 2. Paralipom. 16. 7. Venit Hanani Propheta ad Asa Regem Iuda, & dixit ei. Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Alterum, quia sicut erant socij & fautores infidelium in bello, sic etiam putabãtur esse socij & fautores in impietate, quod æquè erat scandalosum. Vnde dictum est Iosaphat Regi Iuda, qui auxilium præbuerat impio Regi Achab. 2 Paralip. 19. 2. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini mereberis, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda.

QVÆSTIO VII.

Quinam Iudæorum Reges aut Principes feliciter gesserint bellum?

1 REspondeo. Illi potissimũ, qui seruarũt leges belli à Deo præscriptas: Et maximè, qui spem suam ponebãt in Deo, & ab eo subsidium petebant. Sic fecerunt Moyses, Iosue, Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Iephte, Sampson. Sic fecit Rex Dauid, quãdo consulto prius Deo, pugnauit cõtra hostes. Sic Abia Rex Iuda, quando pugnaturus contra Ieroboam, Regem Israel, totam suam fiduciam collocauit in Deo, 2. Paralipomenon 13. 4. & sequentibus. Sic Iosaphat Rex Iuda, qui omnibus in circuitu hostibus erat terrori, quia Deus pugnabat pro ipso. 2. Paralipomen. 17. 3. & 10. Sic Ezechias, quando obsessus à Sennacherib Rege Assyriorum cum ingenti exercitu, orauit Dominum pro liberatione, & obtinuit. Nam Angelus Domini missus in castra Assyriorum, vna nocte percussit centum octoginta quinque millia hostium. 2. Paralipom. 32. 10. & 4. Reg. 19. 35. Sic

Macha-

Machabæi, quorum bella & victoriæ describuntur in libris Machabæorum. Illi verò infeliciter pugnarunt, qui neglecto Deo confidebant in multitudine & potentia suorum exercituum.

QVÆSTIO VIII.

Quid in lege Mosaica statutum fuit de munditia castrorum?

1. GEneralis lex erat hęc, Deut. 23. 14. Sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis Ratio additur: Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. Specialim verò statuta fuerunt hæc tria. Primò, si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua: Et post solis occasum regredietur ad castra, ibidem versu 10. Secundo, Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo. Cùmque sederis, fodies per circuitum & egesta humo, operies, quo relenatus es, ibidem versu 12. Tertiò, Præcipè filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, & qui pollutus est super mortuo. Num. 5. versu 2.

2. Igitur castra debebant esse munda à pollutione, & semine, & stercore, & lepra, & immunditia legali ex mortuo contracta idque duplici de causa. Primò, propter Arcam Dei, quæ erat in medio castrorum, in qua Deus dicebatur habitare. Secundò, ad conseruandam in castris valetudinem. Quæres, an ista lex semper obligauerit Iudæos? Abulensis putat, tunc solum obligasse, quando Iudæi erant in deserto: non autem postea, quando habitabant in terra promissionis. Nihilominus Esseni, de quibus supra cap. 10

dictum

dictum est, dicuntur etiam in Iudæa obseruasse eandem legem, vt refert Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Erant enim valdè studiosi legis & puritatis. Vide Cornelium in cap. 23. Deuteronomij.

CAPVT XIX.

De Furto & Vsura.

1. DVo quæri possunt. 1 Quæ fuerint leges circa furtum? 2. An vsura Iudæis fuerit licita, necne? Ad primus sic resp. Principalis lex circa furtum fuit hæc: Non furtum facies, Exodi 20. v. 14. Ad hanc reuocari debent sequentes.

Prima, Non decipiet vnusquisque proximum suum. Leuit. 19 11.

Secunda, Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos clamabunt ad me, & ego exaudiam eos: Percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, filij vestri pupilli. Exodi 22 v. 22. & Deut 10. 18.

Tertia, Nolite facere iniquum aliquid in Iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Leuit. 19. 55.

Quarta, Statera iusta & æqua sint ponderá: Iustus modius æquusque sextarius, ibidem v. 36.

Quinta, Nõ habebis in sacculo diuersa põdera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor. Põdus habebis iustũ & verũ: & modius æqualis & verus erit tibi Deut. 25. 13.

Sexta, Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua Deut. 19. 14.

Septima, Non facies, quod iniquum est, nec ininstè iudicabis. Non consideres personam pauperis

pauperis, nec honores vultum potentias. Iustè iudica proximo tuo. Leuit. 19. 25.

Octaua, Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animal pro animali. Leuit. 24. versu 18.

Nona, Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit aut vendiderit; quinque boues pro vno restituet, & quatuor oues pro vna one. Exodi 22. 1.

Decima, Si viuens bos; aut ouis, aut asinus, apud eum inuentus fuerit, duplum restituet, ibidem v. 4.

Vndecima, Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse vendetur. ibidem v. 3.

Duodecima, Occidens furem nocturnum, innocens habeatur: occidens verò furem diurnum occidatur. ibidem v. 2.

Decima tertia, Qui damnum fecerit proximo suo, confitebitur peccatum suum; & compensabit damnum; & insuper addet quintam partem. Num. 5. 6.

Decima quarta, Si læserit quisquam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Exodi 22. 5.

Decima quinta, Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit. ibid. v. 6.

Decima sexta, Plagiarius, qui furatur hominem vt vendat, occidatur. Deut. 24. 7.

5. Dices, Aliqua ex illis legibus videntur inter se pugnare, vt octaua, nona, & decima. Nam octaua precipit simplum restitui: nona, quadruplum aut quintuplum: Decima duplum. Respondeo. Non pugnant, sed discrepant. Primò, quia octaua est moralis, sumpta ex iure naturali: reliquæ duæ sunt Iudiciales, sumptæ ex libera voluntate

luntate legislatoris. Deinde, octava præcipit, quod iure naturali debitum est: reliquæ duæ quod per modum liberę pœnę à Iudice vel legislatore imponi potest. Iuxta octauam, qui furatur bouem, tenetur iure naturali illum restituere. Iuxta reliquas, tenetur iure positiuo & pœnali, vel duplum, vel quadruplum, vel quintuplum restituere, pro arbitrio legislatoris. Itaq; qui vnum bouem pro boue restituit, satisfacit Iuri naturali; non tamen positiuo. Vel, quod idem est, satisfacit iustitiæ commutatiuæ, non tamen vindicatiuæ.

3. Quæres, Quare fur pro vno boue debuerit quinque boues restituere, & pro vna oue quatuor tantum oues, & non quinque? Respondet Theodor. quia maius furtum maiori pœna plectendum est: At maius furtum est bouis, quàm ouis; quia bos est maioris pretij, quàm ouis, D. Thom. in 1. 2. q. 105. art. 2. ad 9. sic respondet. Iubet Deus, vt fur pro vno boue reddat quinque, quia bos habet quinque vtilitates. 1. Immolatur. 2. pascit nos carne sua. 3. arat. 4. dat lac. 5. dat corium. At ouis adfert quatuor tantum commoda. 1. Immolatur. 2. pascit nos sua carne. 3. dat lac. 4. dat lanam. Alij addunt mysticam causam; quia bos significat doctorem populi; ouis discipulum & auditorem. At grauius punitur, qui aufert vel peruertit Doctorem, quàm qui auditorem. Ita Rabanus Exodi 22. v. 1. Quæ omnia probabilia sunt. Vera causa est, quia Deo, qui est supremus legislator, ita placuit.

4. Quæres 2. Quare furem nocturnum licebat occidere, non autem diurnum? Respondeo. Ob has causas. 1. quia non constat, an fur nocturnus veniat tantum ad furandum, an etiam ad occidendū. Et, quia præsumitur ad vtrumque venire, occidi poterat in Veteri Testamento. 2. quia nocte agnosci non potest; & ideò is, qui damnum patitur non potest cum postea in iudi-

cio accusare, & rem suam repetere 3. quia nocturnus non potest tam citò, ac facile reprehendi, ac diurnus. Nam nocte omnes dormiunt, ac proinde paterfamilias non potest statim habere famulos paratos, qui furem apprehendant Secus est de die. Eandem distinctionem furis diurni ac nocturni, quoad eius occisionem habet Augustinus, & ex eo translata est in ius Canonicum. Extrauag. de homicidijs cap. Si perfodiens. Notandum tamen est, si fur diurnus non tantum furaretur, sed etiam gladio vel armis vellet tueri suum furtum, licere etiam illum occidere. Ita Augustinus quæstion. 8. 4 supra Exodum. Et sancitum est in iure ciuili L. Furem, ff. ad legem Corneliam, de Sicarijs.

De Vsura.

5. De vsura extat duplex lex. Vna. Exod. 22. 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, nec vsuris opprimes. Altera, Deut. 23. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura id, quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo. Hic duo decernuntur. 1. vt Iudæi non exigant vsuram à Iudæis, id est à fratribus suis. 2. vt possint exigere ab extraneis.

6. Quæstio est, quomodo hoc posterius sit intelligendum? Triplex est opinio. Prima Iudæorum, qui putant sibi concessum esse à Deo, vt à quolibet extraneo possint vsuram exigere sine peccato. Ac proinde, etiam hoc tempore se non peccare exigendo vsuram à Christianis & Gentilibus. Altera quorundam Theologorum, qui asserunt, Iudæis non quidem concessum, sed tamen permissum esse, vt exigant vsuram ab extraneis, propter duritiam cordis ipsorum: Ac proinde

nde ipsos quidem peccare vsuram exigendo; non tamen per legem Mosaicam puniri. Ratio illorum est, quia vsura absolutè, & sine vlla distinctione fratris vel extranei, mala & prohibita est, vt patet Psal. 34. 5. & Psal. 54. 12. & Ezech. 18. 8. Ergo non potuit licitè concedi Iudæis. Potuit tamen permitti, tanquam minus malum, ad vitandum maius malum, ne scilicet suos fratres per vsuram exhaurirent. Ita D. Thom. in 2. 12. q. 78. art. 1. ad 2. & multi alij. Tertia est, Iudæis non tantũ permissum, sed etiam concessum fuisse exigere vsurã à vicinis hostibus, nempe Chananæis, Amorrhæis, Amalecitis; ita vt exigendo non peccarent. Ratio est, quia Deus concesserat illis, vt occiderẽt vicinos hostes, & eorum bona diriperent. Itaque sicut non peccabant occidendo Amorrhæos, & Chananæos in bello; ita non peccabant, accipiendo illorum pecuniam per vsuram. Ita Conradus qu. 24. de contractibus. Medina qu. 2. de vsura, & apertè D. Ambrosius lib. de Tobia c. 15. Vbi inter cętera sic ait: Cui iure infernum arma huic legitimè indicantur vsuræ. Item: Ab hoc vsuram exige, quem non sit crimen occidere. Item: Vbi ius belli, ibi etiam ius vsurę. Hę duæ posteriores opiniones sunt probabiles: Prima manifestè falsa.

CAPVT XX.

De Homicidio, & Ciuitatibus Refugij.

1. HOmicidium est duplex. Vnum voluntarium, quod culpabiliter; alterum inuoluntarium, quod sine culpa committitur. De priori hic agam. Posterius pertinet ad Ciuitates Refugij, de quibus paulò post. Igitur de homicidio voluntario extat vna lex moralis.

Exodi 20.13. Non occides. Et vna cæremonialis, Deuteron. 21.1. Si inuentum fuerit cadauer hominis occisi in agro, seniores vrbis vicinię adducent vitulam ad vallem asperam, ibique eam mactabunt, ac super eam tenebunt manus suas, & dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël Et auferetur ab eis reatus sanguinis. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cùm feceris, quod præcepit Dominus, Videantur Interpretes illius loci.

2. Iudiciales sunt plures. Prima. Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. (Leuit. 24. 17.)

Secunda: Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis: sta im & ipse morietur. (Numeror. 35. 31.)

Tertia: Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Leuit. 24. 19

Quarta: Qui percusserit seruum suũm vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Sin autem vno die, vel duobus superuixerint, non subiacebit pœnæ, quia pecunia, illius est, q. d. Emit eos sua pecunia, Exod. 22. 20.

Quinta: Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. Ibid. v. 22.

Sexta: Si percusserit quis oculum serui sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos

tos pro oculo, quem eruit: pari modo si dentem eius excusserit. Ibid v 26.

Septima: Facies murum tecti per circuitum, ne quis ex eo labatur, sisque sanguinis reus. Deut. 22. 8.

Octaua: Si quem Iudices plagis dignum iudicent, pro mensura delicti erit & plagarum modus: sed numerum quadragenarium non excedet. Deut. 25. 2.

Nona: 2. Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Exodi 21. 12.

Decima: Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille surrexerit, & ambulauerit foris: innocens erit qui percusserit; ita tamen, vt operas & impensas in medicos restituat. Ibid. v. 18.

De Ciuitatibus Refugij.

3. Leuitæ & Sacerdotes, (vt cap. 7. q. 6. §. 3. dictum est) habebant quadraginta octo ciuitates sibi deputatas. Ex illis, sex erant ciuitates Refugij, ad quas, tanquam ad asylum, confugere poterant illi, qui sine sua culpa homicidium cõmiserant. (Iosue 20. 4. & Num. 35. 11.) Erant autem hæ ciuitates Refugij. 1. Cedes in Nephthali. 2. Sichem in Ephraim. 3. Hebron in Iuda. 4. Bosor in Ruben. 5. Ramoth in Galaad. 6. Caulon in Manasse. Tres primæ citra, reliquę trans Iordanem. (Iosue 20. 7.) Omnes æquali spatio inter se distabant. (Deuter. 19. 7.) Omnes sitæ erant in montibus, vt eminus videri possent, excepta Bosor, quę sola erat in plano, sed tamen parente loco & conspicuo. (Iosue 20. vers. 8.) Hic aliqua notanda sunt.

Primò, ad vnam ex his ciuitatibus, tanquam ad asylum poterat cõfugere homicida, & coram Senioribus illius loci, qui omnes erant Leuitæ & Sacerdotes, probare suam innocentiam; id est,

se sine sua culpa homicidium feciſſe, iuxta illud Ioſue 20. 2. Separate vrbes fugitiuorum, vt confugiat ad eas, quicumque animam percuſſerit neſcius, & poſſit euadere iram proximi, qui vltor eſt ſanguinis. Cum ad vnam harum confugerit ciuitatum, ſtabit ante portam ciuitatis, & loquetur ſenioribus vrbis illius, ea, quæ ſe comprobent innocentem; Sicque ſuſpicient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.

5. Secundò, debebat autem in aliqua iſtarum ciuitatum, ad quam confugerat, manere vſque ad mortem Summi Pōtificis Quod ſi ante mortem Pontificis inuentus fuiſſet extra ciuitatem Refugij, poterat interfici à propinquis illius, quem interfecerat, (Num. 35. 25.)

6. Tertiò, præter has ciuitates Refugij, erat aliud aſylum, ad quod confugere poterant homicidæ, nempe altare & Tabernaculum. Eò confugit Ioab, qui occiderat Abner & Amaſam. 3. Reg. 2. 28. Fugit Ioab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Sed quia non erat innocens, iuſſu Salomonis interfectus eſt, nec profuit illi aſylum, ad quod confugerat (ibid. v. 31.) Erat enim lex lata, vt homicida voluntarius abſtraheretur ab aſylo, & interficeretur, Exod. 21. 14. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.

7. Quartò, ſicut Iudæi poterant perfugere ad aſylum ſic etiam aduenæ & peregrini. (Num. 35. 15.) Diſputant Interpretes, an quilibet aduenæ & peregrini, etiam Gentiles? Affirmant Maſius, & Magalianus in cap. 20. Ioſue. Negant Abulenſis & Serarius ibid. aſſerentes, aduenas & peregrinos ad Iudaiſmum conuerſos, i. proſelytos, non autem Gentiles in gentiliſmo manentes, habuiſſe hoc priuilegium Nota, Iudæi ex genere, habebant quædam priuilegia propria, quibus carebant proſelyti: quædam communia

cum

cum proselytis. Propria erant hæc tria. Primum, seruus, genere Iudæus, anno septimo & quinquagesimo fiebat liber; non autem proselytus, (Leuit. 24. 39. & sequentibus.) Secundum, Iudæi gaudebant priuilegio remissionis debitorum anno septimo; non autem proselyti. Deut. 15. 3. Tertium, Iudęi non poterant dare ad vsuram Iudęis, sed proselytis, Deuter. 23. 19. Reliqua erant communia. Ita ex Abulensi Cornelius in cap. 35. Num. v. 15.

8. Quintò, Homicidæ voluntarij, vt suprà dictum, non gaudebant priuilegio asyli, sed tantum inuoluntarij. Excipiebatur vnus casus, vt si quis volens occidisset iniustum inuasorem, vim vi repellendo. Is enim habebat ius asyli; & si probaret suam innocentiam, statim ex loco asyli domum remittebatur; nec tenebatur exspectare mortem Pontificis; quia non erat propriè homicida, sed inculpatus vitę suæ defensor. Ita Abulensis in cap. 20 Iosue quęst. 5. Serarius ibidem quęst. 2. Cornelius loco citato. Quid autem dicendum de eo, qui in ipso asylo, seu in ipsis Refugij ciuitatibus homicidium perpetrasset? Abulensis ibid. qu. 19. putat non habuisse ius asyli.

9. Quæres, an etiam Christiani habeant aliqua asyla pro homicidis? Respondeo. Habent: sed in multis differunt à Iudæis. 1. quia Christiani habent asyla iure humano: Iudęi habebant iure diuino constituta. 2. apud Christianos omnes Ecclesię, cœmeteria, cœnobia, domus religiosæ & Ecclesiasticæ, sunt asyla. Apud Iudęos erant multò pauciora, vt ex dictis patet. 3. Iudęi poterant extrahi ab asylo, vt causa eorum examinaretur. Christiani non possunt extrahi, ne quidem à Iudice aut Magistratu. 4. Asyla Iudęorum erant tantum pro homicidis inuoluntarijs. Asyla Christianorum pro omnibus ferè reis. Excipiuntur nocturni agrorum depopulatores, publici

blici latrones, & viarum obsessores (cap. inter alia. De immunitate Ecclesiarum.) Item raptores virginum, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, Iudæi, & quotquot in ipsis asylis delinquunt. Vide Serarium in caput 20. Iosue. quæst. 9.

CAPVT XXI.

De Matrimonio Veteris Testamenti.

1. DE Matrimonio extãt hæ leges in veteri Testamẽto. Prima: Nemo cõtrahet matrimonium in gradu prohibito, Leu. 18. 6. Secunda: Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes. ibidem v. 19. Tertia: Si vnus ex fratribus mortuus fuerit sine prole, vxorem illius accipiet alter frater, & suscitabit semen fratri suo: Et primogenitum nomine illius nominabit Deut. 25. 5. Quarta: Si alter frater noluerit accipere vxorem fratris sui, tunc vxor mortui, coram senioribus, tollet calceamentum de pedibus eius, & spuet in faciem illius, dicens: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. (ibidem v. 7.) Quinta: Si quis in bello captam mulierem alienigenam adamauerit propter pulchritudinem, & voluerit habere vxorem; introducet eam in domum suam: quæ radet caput suum, & præcidet vngues, & mutabit vestem, & flebit patrem & matrem suam vno mense. Et tunc fiet vxor illius. Si postea ei displicuerit, non vendet, sed liberam dimittet. (Deut. 21. 11.) Sexta, si quis habuerit duas vxores, vnam dilectam, alteram odiosam; & filius odiosæ fuerit primogenitus, dabit ei iura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ, (ibid. v. 17.) Septima. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua: Et cunctæ fœminæ de eadem

dem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. (Num. 36. 7.

2. Circa has leges aliqua examinanda sunt. 1. An matrimonium fuerit præceptum in V. Testamento? 2. In quoto gradu licuerit, vel non licuerit matrimonium contrahere? 3. An Iudæi potuerint accipere vxores alienigenas? An potuerint accipere vxores extra suam tribum & familiam? 5. Quæ sit differentia inter matrimonium veteris ac noui Testamenti? Est igitur.

QVÆSTIO I.

An matrimonium fuerit præceptum in Veteri Testamento?

1. RAtio dubitandi est. Primò, quia Gen. 1. 28. & Gen. 9. 1. præcepit Deus: Crescite & multiplicamini. Secundò, quia Deut. 7. 14. similiter præcepit: Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Tertiò, quia non legimus aliquos in V. Testamento vixisse cœlibes. Quartò, quia ignominiosum erat, nõ habere prolem, vnde vulgare erat omnium axioma: Maledictus, qui non reliquerit semen in Israel.

2. Respondeo. Neque naturali, neque diuino præcepto, singuli in V. Testamento fuerunt obligati ad matrimonium. Prior pars patet, quia tametsi tota communitas naturali præcepto fuerit obligata, sicut etiam nunc est, conseruare se per procreationem prolis, & consequenter per matrimonium; hoc tamen præceptum non obligabat singulos de communitate, sed totam communitatem generatim, vt docet D. Thomas in supplemento, q. 41. art. 2. Simile est de agricultura. Nam præceptum naturale est, colere agros ad conseruandam vitam humanam, non minus,

quàm procreare prolem: & tamen præceptum illud non obligat singulos; alioqui singuli deberent agros colere, quod est contra communem hominum sensum ac consuetudinem.

3. Posterior pars probatur, quia in Veteri Testamentó nullum extat diuinum præceptum, quod obliget singulos ad matrimonium. Nam illa verba, Crescite & multiplicamini, non continent præceptum, sed benedictionem. Nam Deus legitur bis dixisse illa verba hominibus. Semel primis parentibus in paradiso: & semel Noë, & filijs eius post diluuium, cùm ex arca egressi essent. Vtrisque dixit post matrimonium iam contractum. Igitur per illa verba non præcepit illis, vt matrimonium contraherent quod iam contractum erat, sed impertiuit illis benedictionem, vt copiosam sobolem procrearent ad multiplicandum genus humanum, quod tunc valdè exiguum erat. Hoc constat ex ipso textu. Nam, primò certum est, Noë & filios eius, antequam arcam ingrederentur, habuisse suas vxores. Gen. 7. 7. Ingressus est Noë & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius, cum eo in arcam, propter aquas diluuij. Secundò, certum est, eundem Noë & filios eius cum suis vxoribus, peracto diluuio, egressos esse ex arca, Genes. 8. 18. Egressus est ergo Noë, & filij eius; vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. Tertiò certum est, postquam cum suis vxoribus egressi sunt ex arca, tunc illis dictum esse à Deo: Crescite & multiplicamini. Hoc enim diserte habet historia. Vnde euidenter sequitur, his verbis non contineri præceptum de matrimonio ineundo, quia matrimonium iam initum erat, sed benedictionem in propaganda posteritate. Et hoc significat textus, cùm ait: Benedixit Deus Noe, & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram.

4. Idem dico de primis parentibus. Nam matrim-

trimonium inter illos ſtatim contractum eſt, quando Deus ex coſta Adæ dormientis formauit Euam. Tunc enim euigilans ex ſopore dixit Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Quibus verbis tria indicat. 1. Euam eſſe vxorem ſuam, 2. maius eſſe vinculum inter virum & vxorem, quàm inter parentes & filios. 3. hanc coniunctionem coniugalem, quę tunc inter ipſum & Euam facta eſt, fuiſſe figuram coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Sic enim verba Adami interpretatur Apoſtolus, ad Epheſ. 5. 32. cùm ait: Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia. Igitur, quod poſtea dictum eſt primis parentibus; Creſcite & multiplicamini: non continet præceptum de matrimonio coutrahendo, ſed ſolemnem benedictionem in propagando humano genere.

5. Similiter illa verba: Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, habent eundem ſenſum. Eſt autem hic ſenſus: Si cuſtodieritis præcepta mea, dabo vobis benedictionem temporalem, tam in procreatione liberorum, quàm in alijs rebus. Hoc etiã conſtat ex textu, qui ſic habet: Si poſtquam audieris hæc iudicia, & cuſtodieris ea, & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus pactum tibi, & miſericordiam quam iurauit patribus tuis: & diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum ſuper terram, pro qua iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.

6. Quod autem obijcitur, nullum in V. Teſtamento fuiſſe cœlibem, verum non eſt, Cœ-

libes fuerunt Melchisedech, Iosue, Helias, Helisæus, Ieremias, Ioannes Baptista, vt testatur S. Ignatius in epist. ad Philadelphos. Item Abel frater Cain, vt tradunt Hieronymus, Basilius, Ambrosius, & alij apud Cornelium in cap. 4. Gen. v. 2. Vide Genebrard in Chronologia.

7. Nec obstat, ignominiosum fuisse apud Hebræos, non habere prolem. Nam hæc ignominia non proueniebat ex virginitate vel cœlibatu, sed ex sterilitate matrimonij. Cùm enim Deus promisisset ijs, qui in matrimonio viuebant, benedictionem & fœcunditatem, sub hac conditione, si custodirent legem Dei; suspicio erat, illos puniri à Deo: qui non habebant prolem, tanquam legis transgressores. Quæ erat magna ignominia. Nota: Aliqui in V. Testamento propter suam culpam non habebant prolem, ita vt sterilitas, esset pœna peccati: Aliqui, sine sua culpa. Prioris generis fuit Abimelech Rex Geraræ, qui non potuit habere prolem in sua familia, propterea quod eripuisset Abrahæ suam vxorẽ, iuxta illud Gen. 20. 18. Concluserat Dominus omnẽ vuluam domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ. Item, Michol vxor Dauidis, quæ quod derisisset Dauidem saltantem coram Arca Domini, mansit sterilis vsque ad finem vitæ, (2. Reg. 6. 23) Item illæ de quibus Oseæ 9. 13. Da eis Domine. Quid dabis eis? (nempe propter peccata sua.) Sequitur: Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.

8. Posterioris generis fuerunt sanctæ fœminæ, Sara, vxor Abrahæ: Rebecca, vxor Isaac: Rachel, vxor Iacob: Anna, vxor Elcanæ: Sera, filia Raguelis, Elisabeth, vxor Zacharię, & alię plures. Quæ quidem longo tempore fuerunt steriles, non propter suam culpam; sed vt Deus nouo miraculo ostenderet, filios, qui ex illis nascerentur, non naturę viribus, sed Dei beneficio natos esse. Et quamquam suprадictæ fœminæ coram

Deo

Deo non fuerint passæ opprobrium, aut ignominiam, quia Deus sciebat sanctas esse; tamen passæ sunt coram hominibus, qui putabant eas à Deo puniri per sterilitatem. Hoc sensu dixit Rachel, postquam peperisset, Gen. 30. 23. Abstulit Deus opprobrium meum. Et Sara filia Raguelis, post longam sterilitatem, orauit Deum dicens: Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè de super terrâ eripias me, Tob. 3. 13. Et Elizabeth ablata sterilitate, cùm iam concepisset in vtero, occultabat se mensibus quinque dicens, Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobriũ meum inter homines, (Luc 1. 24.) Vide Maldonatum ibid. v. 25.

QVAESTIO II.

In quo gradu licuerit, vel non licuerit contrahere matrimonium in Veteri Testamento?

1. VEl, qui gradus consanguinitatis & affinitatis fuerint prohibiti in lege Mosaica? Respõdeo. Ex Leuitico c. 18. colliguntur hæc duo. Primò, ratione consanguinitatis, non licebat contrahere cum his: 1. Cum patre vel matre; vel quod idem est, cum filio vel filia. 2. cum sorore. 3. cum nepte. 4. cum amita vel matertera. Secundò, ratione affinitatis, non licebat cum his. 1. cum nouerca. 2. cum sorore priuigna, 3. cum filia aut nepte priuigna. 4. cum vxore patrui. 5. cum vxore fratris relicta, (nisi frater reliquisset illam sine prole, iuxta tertiam regulam supra assignatam) 6. cum vxore filij. 7. cum sorore vxoris propriæ, vxore adhuc viuente. Nam si mortua esset vxor, licebat.

2. Quæres; An iidem gradus sint etiam prohibiti apud Christianos? Respondeo. Omnino sunt, & præter illos alij plures, vt patet en Concilio

cilio Trident Sessione vigesima quarta, Canone tertio, Et quidem in consanguinitate, prohibiti sont quatuor gradus. Vel, quod idem est, consanguinitas vsque ad quartum gradū inclusiuè reddit matrimonium inualidum, (cap. Non debet, de consanguinitate.) Similiter in affinitate prohibiti sunt quatuor gradus, (cap. citato.) Nisi quod in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 4. statutum sit, ne affinitas ex fornicatione orta extendatur vltra secundum gradum.

3. Hic pro maiori intelligentia duo notanda sunt. Primò; Consanguinitas est propinquitas duarum personarum, orta ex naturali propagatione; quarum vel vna descendit ex altera, vt filius ex patente, nepos ex auo, pronepos ex proauo; Vel ambæ descendunt ex eadem, vt duo fratres ex eo ſem patre, duo nepotes ex eodem auo, duo pronepotes ex eodem proauo. (Valentia quæst. 5. de Matrimonio puncto 3. §. Cognatio, & alij passim.) Affinitas est propínquitas duarum personarum, orta ex carnali copula vnius cum alterius consanguineo vel consanguinea; siue copula fuerit licita, siue illicita. Quo pacto inter nouercam & priuignum est affinitas, quia interceſſit carnalis copula inter nouercā & consanguineum priuigni, nempe priuigni patrem. (Valentia ibidem, § Affini as.) Hinc sequitur, gradus affinitatis distinguēdos esse per ordinem ad gradus consanguinitatis, vt paulò post clarius explicabo.

4 Secundò, Vt autem sciatur, quoto gradu consanguinitatis, vna persona distet ab alia tres regulæ seruandæ sunt. Prima; In linea, recta, quæ est ascendentium & descendentium, tot gradus numerandi sunt, quot numerātur personæ, excepta prima. Itaque filius est in primo gradu consanguineus patri, nepos in secundo, pronepos in tertio, & sic deinceps. Secunda: In linea transuersa, quando vtraque persona æqualiter

distat;

distat ab eodem stipite communi, totidem gradibus distant inter se, quot gradibus distant à stipite. Vnde fratres, qui æqualiter distant à patre, sunt consanguinei in primo gradu; quia quilibet illorum est consanguineus Patri in primo gradu. Similiter filij fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, propter eandem causam. Tertia: In linea transuersa, quando vtraque persona inæqualiter distat à communi stipite, quot gradibus distat persona remotior à stipite, totidem etiam distat ab altera. Vnde filius fratris distat à suo patruo in secundo gradu. Hæ tres regulæ valent in iure Canonico, & seruantur in causis matrimonialibus. Vide Valentiam loco citato, Bellarminum de matrimonio capite vigesimo quarto, & alios.

5. Ad cognoscendos autem gradus affinitatis, tradi solet hæc regula: posita copula carnali inter virum & fœminam, quo gradu aliquis viro consanguineus est, eodem est affinis fœminę. Et vicissim, quo gradu consanguineus est fœminæ, eodem affinis est viro. Nota. Licet omnes consanguinei viri contrahant affinitatem cum vxore illius: Et rursum, omnes consanguinei vxoris contrahant affinitatem cum viro; consanguinei tamen viri & vxoris non contrahunt affinitatem inter se. (cap. super his, de consanguinitate.)

6. Iam facilè intelligetur differentia veteris ac noui Testamenti, quoad gradus consanguinitatis & affinitatis. In veteri prohibiti erant duo gradus consanguinitatis in linea recta. Primus, inter patrem & filiam: vel inter matrem & filium. Secundus, inter auum & neptem: vel inter auiam & nepotem. In linea transuersa, similiter duo. Primus, inter fratrem & sororem. Secundus, inter nepotem & amitam vel materteram. Non tamen inter neptem & patruum vel auunculum, vt notat Bellarminus cap. 17. At in

nouo,

nouo, prohibiti sunt quatuor gradus in vtraque linea. In recta quidem, primus inter patrem & filiam : inter matrem & filium. 2. inter auum & neptem. 3. inter proauum & pronepotem. 4. inter abauum & abneptem. In transuersa autē, primus inter fratrem & sororem. 2. inter fratrem & fratris vel sororis filiam: inter nepotem & amitam vel materteram : inter neptem & patruum vel auunculum. 3. inter fratrem & fratris vel sororis neptem. inter pronepotem & amitam vel materteram magnam, 4. inter fratrem & fratris vel sororis pronepotem.

7. Rursum, in veteri Testamento prohibiti erant tres gradus affinitatis. In primo non licebat contrahere cum nouerca: cum sorore priuigna: cum filia priuigna; cum vxore fratris: cum vxore filij: cum sorore vxoris. In secundo, cum vxore patrui. In tertio, cum nepte priuigna. At in nouo prohibetur etiam quartus gradus affinitatis. Itaque non licet contrahere cum vxore aui vel pronepotis.

8. Solet disputari, An omnes gradus, qui lege Mosaica erant prohibiti, sint etiam iure naturali prohibiti? Respondeo: Non omnes. Nam Ecclesia in quibusdam potest dispensare, vt definit Concilium Tridentinum sess. 24 Can. 3. Non posset autem dispensare, si omnes iure naturali essent prohibiti. Qui ergo hoc modo prohibiti sunt? Primò certum est. Omnes gradus consanguinitatis lineæ rectę inter ascendentes & descendentes, iure naturali prohibitos esse. An autem primus gradus in linea transuersa, qui est fratris cum sorore prohibitus sit, dubium est. Plerique affirmant. Caietanus negat, quia Cain filius Adami accepit sororem suam in vxorem. Nec peccauit contra ius naturale: Bellarminus cap. 27. componit hanc litem. Ait quidem esse præceptum naturale, non contrahere cum sorore, sicut est præceptum naturale, non accipere alienum;

sed

sed non obligate in extrema necessitate. Sicut ergo licitum est, in extrema necessitate, accipere alienum panem & comedere; sic etiam licere in extrema necessitate, contrahere matrimonium cum sorore. Fuit autem extrema necessitas in principio Mundi. Nam Cain non poterat aliam vxorem habere, nisi sororem suam.

9. Secundò probabile est, primum gradum affinitatis, qui est inter priuignum & nouercam, lege naturali prohibitum esse, vt docet Bellarminus loco citato. Et probat ex eo, quia qui contrahebant matrimonium in gradibus lege naturali prohibitis, puniebantur morte; qui autem contrahebant in gradibus lege tantum Mosaica prohibitis, puniebantur leuiori pœna. Leuit. 20. At contrahentes cum nouerca puniebantur morte. Ergo verisimile est, lege naturali prohibitum esse, contrahere cum nouerca. Ex dictis sequitur, reliquos gradus consanguinitatis & affinitatis, qui lege naturali non sunt prohibiti, prohibitos tantum esse lege humana apud Christianos; quia tametsi apud Iudæos prohibiti fuerint lege diuina Mosaica, tamen illa lex nunc abrogata est, nec Christianos obligat. Secundò sequitur. Pontificem in illis omnibus gradibus qui lege naturali prohibiti non sunt, posse dispensare, sicut in multis dispensatum est.

QVÆSTIO III:

An potuerint accipere vxores alienigenas?

1. VIdetur non potuisse. Primò, quia Deus seuerè id prohibuit in veteri Testamento. Exodi 34. 16. & Deut. 7. v. 3. & 3. Reg. 11. 2. Secundo, quia grauiter puniuit illos, quod contra prohibitionem ipsius accepissent alienigenas, post mortem Iosue (Iudicum 3. versu quinto, & sequentibus.) Tertiò, quia cùm Sampson

Sampson vellet accipere vxorem Philistęam, dixerunt ei parentes; Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt? Iudicum 4. versu 3. Quibus verbis significabant, non licere accipere vxorem Gentilem. Quartò, quia iuxta septimam legem superius assignatam, omnes viri debebant ducere vxores ex sua tribu & cognatione.

2. Sed contra est. Primò, quia lex quinta superius assignata concedebat illis, vt acciperent alienigenas in bello captas. Secundò, quia multi acceperunt alienigenas sine vlla culpa & reprehensione. Sic Iacob accepit filias Laban idololatrę. Genes. 30. versu 25. Ioseph filiam Phutifaris Ægyptiam Gen. 41. versu 45. Moyses, filiam Iethro Æthiopissam. Exodi 2. versu 21. Mahalon & Cheilon, vxores Moabiditas, Ruth 4. Similiter Booz Ruth Moabitidē Ruth. 4. 18. Salmon, Rahab Chananæam Matth. 1. 5. Sampson, Philistęam Iudic. 14. 2. Dauid filiam Regis Gessur. 2. Reg. 3. v. 3. Salomon filiam Pharaonis Regis Ægypti 3. Regum 3. versu 1. Denique Esther nupsit Assuero Regi Persarum, qui erat Gentilis, Esther 2. 17.

3. Respondeo cum distinctione. Ordinariè non licebat Iudæis accipere vxores alienigenas seu Gentiles: extraordinariè licebat in tribus casibus. Prior pars patet, quia erat illis prohibitum, propter periculum subuersione & idololatriæ. Hoc patet ex locis citatis. Exod. 34. versu 16. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos, id est, ne sint illis occasio idololatriç. Et Deut. 7. versu 3. Nec sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis. Et 3. Regum 11. versu

verſu 2. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingrediẽtur ad veſtras; certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum. Quæ teſtimonia intelliguntur potiſſimum de fœminis Chananæis, quarum terram poſſeſſuri erant Iudæi, Et quia poſt mortem Ioſuæ contempſerunt hanc prohibitionem, meritò à Deo puniti ſunt, iuxta illud Iudic. 3. verſu 5. Filij Iſrael habitauerunt in medio Chananæi, & Hetthæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuęi, & Iebuſęi, & duxerunt vxores filias eorum, ipſiq́ue filias ſuas filijs eorum tradiderunt, & ſeruierunt Dijs eorum. Feceruntq́ue malum in conſpectu Domini & obliti ſunt Dei ſui, & ſeruientes Baalim & Aſtaroth. Iratuſq́ue contra Iſrael Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſeruieruntq́ue ei octo annis.

4. Poſterior pars probatur, quia extraordinariè poterant accipere vxores Gentiles, in his tribus caſibus. Primò, ſi vxores relicto gentiliſmo conuerterentur ad cultum veri Dei. Tunc enim ceſſabat periculum ſubuerſionis & idololatriæ. Sic conuerſa fuit Ruth Moabitis: ſic Rahab: ſic aliæ plures, & hoc ſenſu conceſſum fuit accipere alienigenas bello captas. Deut. 21. 11. Non enim fuit conceſſum, niſi prius raſo capite, præſciſis vnguibus, mutata veſte, defleto patre & matre. Nam per huiuſmodi cæremonias ſignificabatur, quod prius deberent eiurare ritus & more patriæ ac præcipuè cultum falſorum Deorum. Vide Serarium in cap. 6. Ioſue quęſt. 50.

5. Secundò, ſi Deus excitaret aliquem Iudæum, vt acciperet vxorem Gentilem, etiam in Gentiliſmo permanentem. Sic excitauit Sampſonem; vt acciperet Philiſtæam; quod parentes illius ignorabant, iuxta illud Iudic. 14. v. 4. Parentes autem eius neſciebãt, quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſtijm.

Sic

Sic excitauit Estheram, vt nuberet Assuero regi Gentili; quia ex tali matrimonio multa bona toti Iudæorum genti erant obuentura.

6. Tertiò, si esset aliqua necessitas vel vrgens causa, cur acciperent vxores alienigenas. Sic excusari poterant Mahalon & Chelion accipiendo vxores Moabitidas. Erant enim iuuenes in feruore ætatis; erant in aliena patria; erant egentes & famelici. Nullum apparebat remedium, vel contra feruorem libidinis, vel contra famem & egestatem, nisi ducerent vxores illius loci, à quibus sustentarentur. Vnde Rupertus lib. 1. in Matthæum: Mahalonem non lex iustificat, sed necessitas excusat, scilicet fames, quæ facta fuerat, & propter quam, vt Scriptura refert, abijt homo de Bethlehem. Et ibidem: Nisi necessitas illos excusaret, nec ipsi vxores ducere debuissent Moabitidas. Quo etiam spectat i lud Valentiani Imperatoris in Nouellis l. 11. Theodosiani codicis: Nihil turpe, nihil vetitum credit esuries, Sola cura est, vt qualicumque sorte viuatur. Vide Serarium in cap 1. Ruth, quæst. 11.

7. Porrò, an omnes illi, quos ante diximus accepisse vxores Gentiles, potuerint excusari vno istorum casuum, non est huius loci disputare. Constat aliquos excusari potuisse vt iam dictum est: Salomonem non potuisse, vt patet 3. Reg. 11. & sequentibus. De reliquis disputant suo loco Interpretes. Quod vltimo loco obijciebatur, viros debuisse ex sua tantum tribu & cognatione accepisse vxores, iam examinandum est.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An Iudæi potuerint accipere vxores, extra suam tribum & cognationem?

1. DIctum est, ordinariè nõ potuisse accipere vxores Gentiles, sed tãtum Hebræas. Nunc quæstio est, an promiscuè potuerint accipere Hebræas ex quacumque tribu? An verò necesse fuerit, vnumquemque accipere ex sua tribu, & non ex alia; Ratio dubitandi sumitur ex illa lege, quam suprà alleganit: Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadẽ tribu maritos accipient, vthæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. (Numerorũ trigesimo sexto, v. septimo.) Quæ lànè lex, si spectemus verba, videtur fuisse generalis; ita vt nulli licuerit contrahere matrimonium extra suam tribum aut cognationem. Et sic sentiunt Liranus & Abulensis in illum locum, & Tornielius in Annalibus, anno mundi 2583. numero. 3. Nisi quod excipiant Lœuitas. Nam illa lex propterea lata est, ne paternæ hæreditates, per matrimonia diuersarum tribuum, de vna tribu in aliam transferrentur, sed singulæ hæreditates manerent in suis tribubus. At Lœuitæ non habebant paternas hæreditates, nec vllius alterius hæreditatis erant capaces; ac proinde non fuissent translatæ hæreditates ex vna tribu in aliam, etiamsi Lœuitæ contraxissent matrimonia cum hominibus aliarum tribuum.

2. Alij probabiliter putant, non fuisse legem generalem, sed tantum obligasse eas fœminas, quæ succedebant in hæreditatem patris, propter defectum masculæ prolis: Et similiter eos tãtum viros, qui tales fœminas ducebant in matrimonium,

nium. Huiusmodi enim viros ac fœminas debuisse esse eiusdem tribus & cognationis. Ita Burgensis, Caietanus, Oleaster, Vatablus, Cornelius, in cap. 36. Num. Ratio sumitur ex occasione illius legis, quæ fuit huiusmodi. Deus dederat duplex præceptum Moysi in deserto. Vnum, vt filij Israel, quando venirent in terram promissionis, sorte eam diuiderent, & vnaquæque tribus ac familia haberet suam certam portionem, ac hæreditatem, excepta tribu Leui. Alterum, vt si aliquis paterfamilias moreretur sine filijs, filiæ essent hæredes (Numerorum 27. 8.) Contigit postea, vt Salphaad, qui erat de tribu Manasse, moreretur sine filijs, & relinqueret tantum filias. Itaque filiæ erant hæredes. Hinc oriebatur quæstio, An istæ filiæ possent nubere maritis aliarum tribuum? Nam si nuberent, hæreditas illarum erat transitura ad alias tribus. Sin minus, non erat ibertas nubendi, quibus vellent. Igitur ad hanc quæstionem respondit Deus per Moysen, vt non nuberent, nisi in sua tribu: ne, si extra suam tribum nuberent, hæreditas ad alias tribus deriuaretur. Hæc autem responsio non erat generalis, sed pertinebat ad eas tantum fœminas, quæ erant hæredes suorum parentum: ad alias minimè.

3. Hæc sententia dupliciter confirmari potest. Primò ex Hebræo textu, qui sic habet. Omnis fœmina hæreditans hæreditatem, nubet vni ex tribu sua. Deinde exemplo eorum, qui, quod isto casu non comprehenderentur, extra suam tribum contraxerunt matrimonia. Sic Dauid, qui fuit de tribu Iuda, duxit Michol, filiam Saulis, de tribu Beniamin. Sic filij Israel iurarunt, quod non vellent filias suas dare Beniamitis. (Iudic. 21. 1.) Ex quo colligimus, solitos id antea facere. Sic denique omnes illi, quos suprà diximus accepisse vxores Gentiles seu alienigenas.

QVÆ

QVÆSTIO V.

Quæ sit differentia inter Matrimonium Veteris ac Noui Testamenti?

1. REspondeo. Vnum differt ab altero, sicut Synagoga ab Ecclesia: Vel, sicut matrimonium Abrahę cum ancilla à matrimonio eiusdem cum libera: vel generatim, sicut vmbra imaginis ab ipsa imagine. Nam sicut Synagoga fuit imperfectior, quàm Ecclesia: Et matrimonium cum ancilla, imperfectius, quàm cum libera; Et vmbra imaginis imperfectior, quàm ipsa imago, Ita matrimonium Mosaicum imperfectius, quàm matrimonium nostrum. Et quidem multis modis.

2. Primo, quia nostrum matrimonium est Sacramentum à Christo institutum, quod confert gratiam, sicut Baptismus & alia Sacramenta (Trid. sess. 24. Can. 1. D. Thomas in Supplemento, quæst. 42. art. 1, & 3. & alij passim) At Mosaicum non fuit Sacramentum. Itaque duo spectanda sunt in nostro matrimonio. 1. contractus ciuilis. 2. Ratio Sacramenti, quæ contractui superuenit. In priori conuenit cum Mosaico; in posteriori differt.

3. Secundo, Mosaicum poterat dissolui per libellum Repudij vt dicam cap. 23. Nostrum non potest hoc modo dissolui. Trident. can. 5. & 7. Sicut Synagoga à Deo repudiata est; Ecclesia nunquam repudiabitur. Et hoc aptè significatur per Abraham, qui repudiauit Agar, quæ erat ancilla; non autem Saram, quę erat libera.

4. Tertio, Mosaicum admittebat Polygamiam; nostrum non admittit. Itaque licebat per legem Mosaicam, habere plures simul vxores. (cap. sequenti.) per Euangelicam non licet (Trid. can. 2.) Sicut Deus in Veteri Testamento non solum

lum habebat filios adoptiuos ex Synagoga, sed etiam ex Gentilitate. At in nouo nullum habet, nisi ex Ecclesia, quam solam agnoscit pro sua sponsa.

5. Quarto, in Mosaico, duo tantum gradus consanguinitatis, & tres affinitatis erant prohibiti, in nostro, plures (*supra quæst. 2. §. 6. & 7.*) Quinto, Mosaicum, vt plurimum, debebat contrahi inter virum & fœminam eiusdem tribus: nostrum non astringitur ad certam Tribum. Sexto, in lege Mosaica, frater debebat accipere vxorem fratris sui defuncti, si mortuus esset sine prole: in Euangelio nulla talis est obligatio.

6. In eo tamen conueniunt, quod sicut iuxta legem Mosaicam non licebat contrahere matrimonia cum infidelibus & idololatris; ita iuxta Euangelicam non licet cum infidelibus & hæreticis, hoc interest quod si Christianus contrahat cum fœmina infideli non baptizata, matrimonium sit irritum: Si cum hæretica, sit quidem illicitum non tamen irritum.

CAPVT XXII.

De Polygamia.

1. Polygamia idem est, quod pluralitas vxorum: Est ergo quæstio, an in Veteri Testamento licuerit vni viro habere simul plures vxores? Ratio dubitandi est, quia nec Adam, nec vllus alius ab initio mundi, vsque ad diluuium habuit simul plures vxores, nisi solus Lamech. (Gen. 4. 19.) Qui idcirco reprehenditur à Nicolao Papa in Epist. ad Lotharium Regem, vbi illum vocat adulterum (cap. an non 24. quæst. 3.) At si licuisset habere pluries, cur Lamech eo nomi-

nomine reprehenderetur? Cur nullus alius, ex tot millibus virorum, qui vixerunt ante diluuium, plures habuit?

2. At contra est, quia multi sancti viri post diluuium, Polygamia vsi sunt; quod non fecissent, si fuisset prohibita. Nam Abraham habuit duas vxores, Saram & Agar. Iacob duas, Liam & Rachelem: Elcana duas, Annam & Phenennam: Dauid plures, Achinoam, Abigail, Maacha, Aggith, Abital, Eglam, Bersabee, Michol. Et sic deinceps.

3. Respondeo 1. Polygamia repugnat primæ institutioni matrimonij, quæ à Deo facta est in Paradiso. 2. Repugnat etiam aliquo modo legi naturæ. 3. Deus tamen concessit, vt post diluuium liceret habere plures vxores, quod ante diluuium non licebat. 4. Hęc concessio, quam alij dispensationem vocant, confirmata est per Legem Mosaicam. 5. Sed reuocata per Euangelium, quia Christus in Euangelio reduxit matrimonium ad primam institutionem, ita vt non amplius liceat habere plures simul vxores. Hæc singula confirmanda sunt per totidem conclusiones.

CONCLVSIO I.

Polygamia repugnat primæ institutioni Matrimonij, quæ à Deo facta est in Paradiso.

SIc docent Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda, Anselm, in cap. 19. Mart. Ambros. in lib. de viduis circa finem, August. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 9. asserentes matrimonium initio institutum esse inter vnum & vnam, & consequenter exclusam Polygamiam. Quod dupliciter probari potest. Primò ex Scriptura, quæ vtitur numero singulari. Genes. 1. 27. Masculum & fœminam

creauit eos. Et cap. 2. 24. 27. Relinquet homò patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Non dixit in plurali, Masculum & duas vel tres fœminas creauit: Nec, adhærebit vxoribus suis: Nec erunt plures in diuersa carne. Secundò, ex ipsa hominis creatione. Nam si Deus voluisset Adamum habere plures vxores, sine dubio creasset illi plures fœminas, quas in vxores ducere potuisset. At vnam tantum creauit. Voluit ergo vna vxore contentum esse. Vnde Innocentius cap Gaudemus, de diuortijs, accommodatè ait, vnam tantum costam in vnam fœminam, non plures in plures fœminas fuisse conuersas.

CONCLVSIO II.

Polygamia repugnat etiam aliquo modo legi naturæ.

5. ITa Innocentius loco citato. D. Thomas quæst. 65. artic. 1. & alij passim Theologi, excepto Durando, & alijs pauculis. Et probatur 1. ex dictis, quia si Polygamia omnino conformis esset naturæ Deus, qui est auctor naturæ, ab initio illam instituisset, præsertim cùm eo tempore fuisset maximè necessaria ad propagandum genus humanum. At Deus non instituit tunc Polygamiam, sed Monogamiam; Ergo Polygamia non est omnino conformis legi naturali. Secundò, quia contra legem naturæ fit, quando res vni tradita, & ab eo legitimè possessa, alteri traditur possidenda; sed maritus in matrimonio tradit corpo is sui potestatem vxori; ergo iure naturæ non potest illam alteri tradere. Tertiò, quidquid repugnat fini matrimonij à natura intento, hoc repugnat legi naturali; At pluralitas vxorum repugnat fini matrimonij à natura intento. Et quidem dupl ci fini. Alter est, mutuum obsequium viri & fœminæ. Alter,

reme-

remedium concupiscentiæ. Vtrique repugnat pluralitas vxorum. Priori quidem, quia nihil magis repugnat mutuę charitati & obsequio coniugum in domestica viuendi ratione, quàm rixæ & contentiones. At si vnus vir haberet plures vxores, facillimè inter eas oriretur contentio, æmulatio, & inuidia; maximè si vna plus, alia minus à viro diligeretur: Vel si vna esset sterilis, altera fœcunda. Exempla sunt in Scripturis. Nam Sara non potuit ferre Agar. (Genesis 21. 9.) Rachel inuidebat Liæ propter fœcunditatem. (Genes. 30. 1.) Phenenna affligebat Annam (1. Reg. 1 6.) Posteriori verò, quia qui plures haberet vxores, non posset omnibus & singulis satisfacere, quoad ipsarum libidinem & concupiscentiam.

6. Dixi in conclusione: Aliquo modo. Non enim absolutè & simpliciter contra naturam est, habere plures vxores, sed tantum ex parte. Quod sic explico. Finis matrimonij triplex est. Primus, procreatio seu propagatio prolis. Secundus, mutuum obsequium coniugum in domestica viuendi ratione. Tertius, remedium concupiscentiæ. Primus est primarius seu principalis: reliqui duo, secundarij. Igitur Polygamia non repugnat fini primario, id est, procreationi & propagationi prolis; quia quo quis habet plures vxores, eo potest plures liberos procreare; sed repugnat finibus secundarijs, vt ostensum est. Vnde sequitur, Polygamiam, ratione finis primarij, conformem esse legi naturæ ratione secundarij, repugnantem. Et hoc probant tria argumenta pro conclusione allata. Sed secundum debet explicari hoc modo. Contra legem naturæ sit, quando res vni tradita ad certum finem, ita traditur alteri, vt ille finis impediatur. Non autem, quando res vni tradita ad certum finem, ita traditur alteri, vt ille finis non impediatur. Si ergo vir daret potestatem sui corporis vni fœminæ, vel ad mu-

tuum obsequium, vel ad remedium concupiscentiæ; faceret contra legem naturę, si eandem traderet alteri fœminæ ad eundem finem, quia tunc finis ille impediretur. Si autem daret vni ad procreationem prolis, & alteri ad eundem finem; non faceret contra legem naturæ, quia per hoc, finis ille non impediretur.

CONCLVSIO III.

Deus concessit post diluuium, vt liceret habere plures vxores, quod antea non licebat.

7. ITa authores citati. Ratio sumitur ex ipso facto. Nam constat, vt initio dixi, quosdam sanctos viros habuisse plures vxores, quas proculdubio non accepissent, nisi fuisset illis à Deo concessum, & quamuis aliqui dubitent de Abrahamo (de quo paulò post) tamen de Iacob, Elcana, Dauide, & quibusdam alijs dubitari non potest. De Iacob constat ex illo Gen. 30. 25. Dixit Iacob socero suo: Da mihi vxores & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam. De Elcana 1. Reg. 1. 2. Elcana habuit duas vxores: nomen vni, Anna: & nomen secundæ, Phinenna. De Dauide 1. Regum 25. 42. Surrexit Abigail, & secuta est nuntios Dauid, & facta est illius vxor. Sed & Achinoam accepit Dauid, & fuit vtraque vxor eius. Et 2. Regum 2. 2. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoa & Abigail.

8. Quæres 1. An hæc concessio Polygamiæ primo omnium facta sit Abrahamo? Resp. Non legimus quemquam post diluuium habuisse plures vxores, ante tempora Abrahami. De Abrahamo quæstio est. Plerique docent, habuisse illum duas vxores Saram & Agar. Alij contra, Saram fuisse legitimam vxorem; Agar non vxorem, sed concubinam. Quod tripliciter probant.

Primò

Primò ex illo Geneſis 25. 5. Dedit Abraham cuncta, quæ poſſederat, Iſaac: filijs autem concubinarum largitus eſt munera. Vbi per concubinas intelliguntur Agar & Cetura. Secundò ex verbis Iudæorum Ioan. 8. 41. Nos ex fornicatione non ſumus nati, id eſt, Non ſumus nati ex Agar concubina Abrahæ, ſed ex Sara legitima eius vxore: Tertiò, quia aliqui Patres ita ſentiunt, vt Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 4. & Auguſtinus libr. 2. contra aduerſarium Legis & Prophetarum cap. 9. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 30. & lib 16 de Ciuitate Dei cap. 25. Ambo enim excuſant Abrahamum, quod viuente legitima vxore quæſiuerit filium ex ancilla, aſſerentes eum id feciſſe, non ex libidine, ſed ex amore poſteritatis. Quod ſi putaſſent Agar fuiſſe legitimam eius vxorem, non opus erat tali excuſatione.

9. Hæc tamen ſententia non placet. Primò, quia magnam iniuriam facit Abrahamo, quaſi ſciens commiſerit adulterium; quod abſit à tanto Patriarcha. Secundò, quia repugnat Apoſtolo ad Galat. 4. 22. Vbi ait Abrahamum habuiſſe duos filios, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et per hoc fuiſſe ſignificatum, quod DEVS habiturus eſſet duos populos. Vnum ex Synagoga; alterum ex Eccleſia. Ergo ex ſententia Apoſtoli Abraham fuit figura Dei. Duo filij Abrahæ, Iſmael & Iſaac, fuerunt figura duorum populorum, nempe populi Iudaici, & populi Chriſtiani: Agar, mater Iſmaelis, fuit figura Synagogæ; & Sara, mater Iſaac, figura Eccleſiæ: At ſicut Eccleſia eſt legitima, non autem adulterina mater Chriſtianorum, ita Synagoga fuit legitima, non autem adulterina mater Iudæorum. Ergo ſimiliter, ſicut Sara fuit legitima mater Iſaac, ita Agar, legitima mater Iſmaelis. Et conſequenter, vtraque legitima vxor Abrahæ.

10. Ad argumenta contraria ſic reſpondeo.

Ad 1. Nomen concubinarum sæpè sumitur pro veris vxoribus, sed secundarijs & ignobilioribus. Nam inter plures vnius viri vxores, solebat vna esse primaria, quæ erat domina & gubernatrix familiæ, cui reliquæ deferebant. Sic Sara erat domina; Agar, ancilla. Vtraque tamen vxor. Tametsi igitur Agar & Cetura, loco citato, vocentur concubinæ Abraham, erant tamen vxores. Et alibi sic vocantur. Agar quidem Gen. 16. 3. Cetura vero Gen. 24. 1. Vide Pererium & Cornelium in cap. 25. Gen. vers. 5. & Bellarminum de matrimonio capit. 11. Nota Abraham habuit tres vxores: vnam primariam, quæ erat Sara: duas secundarias, quę erant Agar & Cetura. Non tamen habuit tres simul. sed tantum duas, Saram & Agar. Nam post mortem Saræ, duxit Ceturam (Genesis vigesimo quinto, versu 1.)

11. Ad 2. Iudæi non loquuntur de fornicatione carnali, sed de spirituali, id est, de idololatria. Itaque sensus illorum non est hic: Nos non sumus nati ex Agar, concubina Abrahę; sed hi potius: Nos non sumus idololatræ, sed cultores veri Dei. Hoc patet ex illis ipsorum verbis: Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. Quæ posteriora verba non cohærerent cum prioribus, si esset sermo de fornicatione carnali. Non enim esset bona connexio, si dixissent: Nos non sumus nati ex cõcubina Abrahæ, sed vnum patrem habemus Deum. Hęc autem est bona connexio: Nos non sumus cultores idolorum, sed vnius veri Dei. Vel, Nos non descendimus ex Gentilibus idololatris, sed ex Patriarchis vnius Dei cultoribus. Vide Augustinum & Maldonatum in illum locum, & Bellarmin. de matrimonio cap. 11.

12. Ad 3. Ambrosius & Augustinus non dissentiunt à nobis. Nam Ambrosius tripliciter excusat Abrahamum. Primò, quod eo tempore non-

ondum esset prohibitum adulterium per legem
criptam. Secundò, quod amore posteritatis, non
rdore libidinis, id fecerit, vxore consentiente:
t tandem pœnitentiam egerit. Tertiò, quod
on peccauerit, sed futurum mysterium signifi-
auerit; nempe illud mysterium, quod explicat
Apostolus ad Galatas 4. 22. (de quo suprà §.
3.) Hæc tertia excusatio est vera. Ex qua sequi-
ur, Abrahamum ex instinctu Dei fecisse, quod
ecit; vt suo facto significaret, fore aliquando,
t Deus cõiungat sibi Synagogam & Ecclesiam,
icut ipse coniunxerat sibi Agar & Saram. Por-
ò Augustinus non negat, Agar fuisse vxorem
Abrahami (cùm Scriptura d rtè hoc affirmet,
Genesis 16 3.) sed solum defendit Abrahamum
ontra Manichæos, asserens; illum, viuente ad-
huc Sara vxore, accepisse Agar ancillam, non
ex libidine, vt putabant Manichęi, sed ex amo-
e posteritatis. Et quidem Sara consentiente &
nstigante. Quod est verissimum vt patet Genesis
16. 1. Nota; Sara, cum aduerteret se esse sterilem,
videtur ex diuina inspiratione instigasse Abra-
hamum, vt acciperet Agar ancillam, & ex illa
prolem suscitaret, ad præfigurandum mysterium,
de quo dictum est Sicut etiam Rebecca, ex diui-
no instinctu, instigauit Iacob filium suum, vt
fingeret se esse primogenitum, & hoc prętextu
peeeret à patre suo Isaac benedictionem. Quæ
res etiam non carebat mysterio.

13. Quæres 2. Quare Deus post diluuium
concesserit Polygamiam, quę antea non erat
concessa? Respondeo. Concessit illam duplici
de causa. Primo, ad propagandam prolem qui
est primarius finis matrimonij. Secundo, vt es-
set figura seu typus pluralitatis seu multitudinis
gentium, quæ Christo, tanquam sponso, erat
coniungenda. Augustinus libro de bono con-
iugali capit. 18. Diuus Thomas quæstione 65.
artic. 2. ad quintum. Valentia quęst. prima, de

matrimonio, parte tertia.) Sed quare propter eadem causas, non concessit illam in principio mundi? Respondeo. Hoc pendet ex libera ipsius voluntate. Potest tamen dari ex causa, quia Monogamia, quam instituit in principio mundi, poterat vtrumque præstare. Primò, quia erat sufficiens ad propagandam prolem. Secundò, quia erat typus seu figura coniunctionis Christi cum Ecclesia. Nota. Christus potest conferri vel cum Ecclesia, quę est vna: vel cum multitudine gentium, quæ recipiuntur in Ecclesiam. Priori modo fuit representatus per Monogamiam; posteriori per Polygamiã. Nam sicut ante diluuium, vir coniunctus vni tantum vxori, erat figura coniunctionis Christi cum vna Ecclesia: ita post diluuium, vir coniunctus pluribus vxoribus, erat figura cõiunctionis Christi cum multis populis ac gentibus.

14. Sed cur Deus ad eundem planè finem, nempę ad propagandam prolem, primò ordinauit Monogamiam, deinde Polygamiam; Respondeo. Deus solet pro diuersitate temporum, ordinare diuersa media ad eundem finem. Sic ad dirigendum hominem in suis actionibus, ordinauit primò legem naturalem: deinde legem Mosaicam: postremò legem Euangelicam. Similiter, ad sustentationem hominis, concessit primò carnes animalium, sine vlla restrictione: postea restrinxit hanc concessionem ad carnes eorum tantum animalium, quæ in lege Mosaica habebantur munda: tandem, sublata hac restrictione, redijt ad primam concessionem. Idem dico in proposito. Ad propagationem prolis ordinauit primò monogamiam: deinde concessit polygamiam: demùm, explosa polygamia; reuocauit monogamiam; & simul commendauit cœlibatum ac virginitatem.

15. Dices, Polygamia est vtilior ad propagandam prolem, quàm monogamia. Respon-

deo.

deo. Ita quidem nos putamus. Sed aliter res habet in consilio & prouidentia Dei. Quod patet ex euentu. Nam quando instituit monogamiam in paradiso, dixit Adamo & Euæ: Crescite & multiplicamini. Quibus verbis dedit illis, & posteris eorum benedictionem & fœcunditatem. Itaque monogamia coniuncta cum hac benedictione, erat sufficientissima ad humani generis propagationem. Quando autem, cessante hac benedictione, cœperunt fœminæ esse steriles, tunc concessit polygamiam, vt hac ratione sterilitatem compensaret. Sic contigit Abrahamo. Habebat vxorem sterilem: concessa est illi alia vxor, vt prolem suscitaret, Gene. 16. versu 2. Postea, multæ aliæ steriles fœminæ subsecutæ sunt, vt Rachel, vxor Iacob; Anna, vxor Elcanæ; Michol, vxor Dauid, Et sic deinceps.

16. Dices 2. Polygamia vt suprà ostensum est, repugnat secundario fini matrimonij, qui est mutuum obsequium coniugum, & remedium libidinis. Cur ergo Deus illam concessit? Respondeo. Deus pro sua prouidentia, obtulit sufficiens subsidium, vel ad tollendam illam repugnantiam: vel certe cauendum, ne obesset, sed potius prodesset. Primò, quia fœminas, quæ nubebant vni viro, hortabatur ad conseruandam concordiam. Sic per Angelum hortatus est Agar ancillam Abrahæ, vt se submitteret & accommodaret Saræ, ad cauendas contentiones Gen. 16. 9. Secundò, aliquando permittebat huiusmodi contentiones ad exercitium patientiæ, & postea magno beneficio compensabat. Sic permisit Annam affligi à Phenenna. Et postea consolatus est eam concessione insperatæ prolis. 1. Regum. 1. versu vigesimo, & capit. 2. versu primo. Tertiò, aliquando mitigabat æstum libidinis, vt non opus esset frequenti vsu matrimonij. Sic fecit Sarę filię Raguelis. Quod ipsa fatetur, Tob. 3. versu decimo sexto.

Tu scis Domine, inquit, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Et infrà: Virum cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

CONCLVSIO IV.

Hæc concessio diuina, qua licebat habere plures vxores, confirmata est per legem Mosaicam.

17. HOc tripliciter probari potest. 1. Quia nusquam est reuocata per legem Mosaicam. 2. Quia viri Sancti, qui vixerunt in lege Mosaica, habuerunt plures vxores, vt Elcana, Dauid, & alij. 3. Quia lex Mosaica videtur polygamiam approbare, Deuteronom. vigesimo primo, versu decimo quinto. Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam; & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit que substantiam inter filios suos diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ; sed filium odiosæ agnoscet primogenitum. Vbi sermo est de veris vxoribus 1. quia in textu vocantur vxores. 2. quia filij illarum poterant esse heredes patris, & diuidere substantiam illius; quod non licuisset, si altera fuisset vxor, & altera tantum concubina. Nam Filij concubinæ non potuissent esse hæredes.

CONCLVSIO V.

Hæc concessio reuocata est à Christo, vt iam non liceat habere plures vxores.

18. SIc definitum est in Concilio Tridentino, sess. 24. Canone 2. contra Lutherum & Anabaptistas. Kēnitius & alij Lutherani

rani idem sentiunt contra Lutherum. Et meritò. Nam Christus in Euangelio reducit matrimoniam ad primam institutionem, & reuocat, concessiones, quæ Iudæis erant factæ. Nam duo erant illis concessa ex Indulgentia 1. vt dato libello repudij, possent suas vxores dimittere, & alias ducere 2. vt possent plures simul habere vxores. Vtrumque à Christo reuocatũ est. Matth. 19. v. 3. Prius quidem his verbis: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et infrà: Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: Ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Posterius verò his: Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos: Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.

19. Vbi illa particula, Ab initio non erat, sic manifestè significat, ea quæ Iudæis erant permissa, fuisse contra primam matrimonij institutionem. Et est hic sensus. 1. Ab initio non licebat dimittere vxores. 2. Ab initio fecit Deus masculum & fœminam, id est, vni viro dedit vnam tantum vxorem. Igitur ab initio, nec fuit libellus Repudij, nec Polygamia: sed vtrumque permissum fuit Iudæis ex quadam indulgentia. Nunc permissio illa reuocatur, & reditur ad primæuam institutionem. Sic explicant Interpretes. Eodem sensu loquitur Apostolus Roman. septimo, versu tertio. Mulier, viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Quod est contra concessionem repudij. Et 1. Corinth. 7. versu secundo. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.

Et rursum; Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quod est contra concessionem Polygamiæ.

20. Ex dictis colligo tria argumenta contra Polygamiam. Primum, Christus vult eo modo seruari matrimonium apud Christianos, quo ab initio fuit institutum in Paradiso: sed ab initio fuit institutum inter masculum & vnam fœminam, non inter masculum, & plures fœminas: Ergo Christus vult eo modo seruari apud Christianos. Alterum, Christus dicit eum mœchari, qui dimissa vxore, aliam duxerit: Ergo nec licet priorem dimittere, nec plures simul habere. Nam si non licet nouam accipere, priore viuente; certè pluralitas vxorum prohibita est. Tertium, sicut mulier non habet potestatem sui corporis, ita nec vir: sed mulier, ex eo præcisè, quod non habeat potestatem sui corporis, quam viro tradidit, non potest alterum virum accipere, priore adhuc viuente. Ergo similiter de viro dicendum est Hoc argumentum fundatur in iure Euangelicò, quidquid sit de iure naturali. Nam secundum legem Euangelicam vir & mulier. in hac parte, sunt pari conditione. Sicut ergo secundum legem Euangelicam, non licet mulieri habere duos viros; ita nec viro duas vxores. Quare? Quia sicut vxor dat viro plenam potestatem sui corporis, quoad vsum matrimonij; ita vicissim vir vxori: Ergo sicut illa non potest alteri viro eandem potestatem dare, nisi per iniuriam; ita nec vir potest alteri vxori dare nisi per iniuriam, Vide Augustinum libro primo de adulterinis coniugijs capite octauo & nono. Vbi pulchrè explicat æqualitatem viri & vxoris, de qua hic agimus.

21. Dices; Valentianus Imperator, qui fuit pius & Catholicus, legem promulgauit, vt liceat vnicuique duas vxores habere, teste Socrate libro

libro quarto historiarum, capite vigesimo septimo. Respondeo Valentianus meritò reprehenditur ab omnibus Catholicis. Et quidem duplici titulo. Primò, quod arrogauerit sibi potestatẽ, quam nõ habuit. Non enim licebat illi abrogare legem Euangelicam à Christo latam, & aliam contrariam statuere. Secundò, Quod prætextu huius legis, voluerit suam turpitudinem & libidinem occultare. Nam ipse, cùm haberet legitimam vxorem, nomine Seueram, ex qua susceperat Gratianum; aliam insuper duxit, nomine Iustinam, cuius amore tenebatur. Ne igitur solus esset Polygamus, quæsiuit socios sui sceleris, permittendo omnibus Polygamiam.

22. Iuxta ea; quę hactenus dicta sunt, tria tempora distingui possunt. Primum, ab initio mundi vsque ad Abrahamum. Secundum, ab Abrahamo vsque ad Christum. Tertium, à Christo vsque ad finem mundi. In primo, fuerunt primi parentes cum suis posteris. In secundo Iudæi cum suis progenitoribus, Abrahamo, Isaac, & Iacob. In tertio sunt Christiani. In primo viguit sola monogamia: In secundo concessa est polygamia: In tertio reducta est monogamia, & explosa polygamia. Quid hoc significat? Nihil aliud, quàm quod Deus initio Mundi instituerit matrimonium in perfecto statu. Deinde, ex quadam indulgentia permiserit quædam Iudæis, quæ multum derogabant perfectioni matrimonij. Denique reduxerit matrimonium ad primæuam perfectionem. Hoc in multis alijs solet euenire. Verbi gratia Natura humana ab initio fuit creata in sua perfectione. Paulatim degenerauit per peccatum. Tandem per Christum restaurata est. Omitto similia exempla, quæ nota sunt.

CAPVT.

CAPVT XXIII.

De Zelotypia.

1. ZElotypia, vt hic sumitur, frequens inter coniuges malum est, & in eo consistit, quod alter alterum de adulterio suspectum habeat. De qua lata fuit lex Mosaica. Numeror. 5. 14. Prescribens modum inuestigandi, an mulier, quam vir suspectam habebat de adulterio, verè adultera esset, necne: Adulteria enim solent occultè committi, vt per testes probari non possint. Deus igitur, qui occultorum Iudex est, præscripsit hunc modum explorandi.

2. Primò, Vir suspectam vxorem ducebat ad Sacerdotem coram Tabernaculo. 2. Offerebat ibi oblationem Zelotypiæ, nempe, farinam hordeaceam, sine oleo & thure. 3. Sacerdos accipiebat aquam sanctam in vase fictili, & in eam immittebat paxillum terræ de pauimento Tabernaculi. Et ista aqua, terræ permixta, vocabatur aqua amarissima. 4. Super hanc aquam proferebat maledictiones. 5. Discoopeiebat caput mulieris, & in manibus eius ponebat oblationem Zelotypiæ, id est, farinam hordeaceam. 6. Tum similiter proferebat maledictionem super mulierem dicens: si innocens es, non nocebit tibi aqua ista amarissima, in quàm maledicta congessi: sin rea, subiacebis his maledictionibus: Dominus Deus, in cuius conspectu stas, putrescere faciat femur tuum, & tumens venter tuus dirumpatur. Septimò, Mulier respondebat, Amen, amen. Octauò, Sacerdos has secundas maledictiones scribebat in libro: mox scripturam abluebat aquâ, quam habebat in vase fictili. Nonò,

Fari-

Farinam hordeaceam accipiebat ex manu mesieris: & partem illius adolebat, partem sibi reseruabat Decimò, Aquam maledictam dabat mulieri bibendã. Et si erat rea, statim femore putrescente, & vtero intumescente disrumpebatur, & sic expirabat. Addunt Rabbini, eodem tempore, quo adultera puniebatur, diuinitus punitum fuisse adulterum, etiam absentem, cum quo occultè peccauerat. Quod, an verum sit, non satis constat.

3. Quæres 1. Quare Deus instituerit hunc modum inuestigandi adulterium? Respondeo, Quia volebat ostendere. 1. Se esse præsidem ac vindicem fidei coniugalis. 2. Se esse testem & protectorem innocentiæ, ne scilicet Zelotypia, si nullus esset innocentiæ testis gigneret in matrimonio lites, rixas, homicidia. 3. Se occulta scelera videre, manifestare, punire. 4. adulterium esse grauissimum scelus, publica pœna & confusione plectendum, vt vxores, si non amore castitatis, saltem timore pœnæ & confusionis in officio continerentur.

4. Quæres 2. Quid significauerint illæ cæremoniæ, quę adhibebantur. Respondeo. Erant variæ cæremoniæ. Primò, oblatio farinę hordeaceæ. sine thure & oleo. Quare sine thure? Quia thus symbolum est deuotionis & bonę famæ. At Zelotypia infamiæ plena. Quare sine oleo. Quia oleum est symbolum leuitatis & misericordiæ. At Zelotypia crudelitatis; tum ex parte adulterę; tum ex parte pœnæ, quæ illi imponitur. Secundò Terra, de pauimento sumpta, & in aquam immissa. Vtrumque vile & abiectum. Et declarat adulterã esse vilẽ instar lutosi pulueris, qui pedibus calcatur; iuxta illud Ecclesiastici 9. 10. Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via concũlcabitur. Tertiò, Aqua amarissima. Quorsum? Quia adultera coram Sacerdote & populo afficiebatur magna amaritudine animi, propter

publi-

publicam confusionem. Quartò, aqua maledictionibus Sacerdotis onusta: quæ significabat, adulteras diuinis maledictionibus obnoxias esse. Quintò, caput mulieris discoopertum. Nempe, quia omnia Deo nuda & aperta sunt. Nec adulteria, quia in occulto fiunt, latere eum possunt. Vide Theodoretum q. 10.

5. Quæres 3. An etiam in nouo Testamento sit similis modus explorandi adulteria? Respondeo. Olim inter Christianos fuit hic modus vsitatus, vt mulier, quæ erat suspecta de adulterio, probaret suam innocentiam tangendo ferrum candens. Et si adureretur à ferro candente, habebatur adultera; sin minus, innocens. Verum cùm talis probatio seu purgatio non sit à Deo instituta, meritò à Canonibus damnata est (cap Omnibus, & cap. Consuluisti 2. quęstione 4.) Vide Martinum Delrium libro quarto de Magia, capite quarto.

CAPVT XXIV.

De *Libello Repudij*.

1. CErtum est, permissum fuisse Iudæis, vxores suas dimittere, & dare illis libellum Repudij iuxta illud Deut. 24. 1. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiã ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum Repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum marirũ duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum Repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Hic aliqua examinanda sunt.

1. Quo

1. Quo sensu permissum fuerit Iudæis dimittere seu repudiare suas vxores? An ita, vt dimittendo non peccarent? An verò, vt peccarent quidem, sed lege non punirentur? 2. quibus de causis licuerit vxores dimittere seu repudiare? 3. quæ cæremoniæ adhiberi soleant? & quæ fuerit formula verborum, qua libellus Repudij scribebatur? 4 An sicut viri poterant repudiare vxores, ita vicissim vxores potuerint repudiare viros?

QVÆSTIO I.

Quo sensu permissum fuerit Iudæis vxores dimittere?

1. MVlti putant, non fuisse licitum Iudæis dimittere, seu repudiare suas vxores, sed solum permissum, vt impunè facerent, ad maius malum euitandum. Ita Magister in 4. dist. 33. Bonauentura & Richardus ibidem, ac nonnulli alij. Et iuxta hanc sententiam peccabant Iudæi dimittẽdo suas vxores, nec matrimonij vinculum dissoluebatur ac proinde, si vxores acciperent nouos maritos, non erat nouum matrimonium, sed adulterium.

2. Probatur 1. Quia loco citato (Deut. 24.) dicitur, mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri pollutam & abominabilem coram Deo, quia scilicet nubendo alteri, committit adulterium. Quod etiam repetitur Ierem. 3. 1. his verbis: Vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquit non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Secundò, quia repudium fuit Iudæis permissum propter duritiam cordis eorum. (Matth. 19. 8.)

Ergo

Ergo fuit permissum, tanquam minus malum, ad euitandum maius malum, ne scilicet Iudæi suas vxores occiderent, si non permitterentur eas dimittere. Nam minus malum erat dimittere illas, quàm occidere.

3. Alij rectius docent, permissum fuisse Iudæis dimittere vxores, non solum impunè, sed etiam licitè, ita vt non peccarent dimittendo. Sic D. Thomas Scotus, Durandus, & Paludanus in 4. dist. 33. Bellarminus de matrimonio cap. 17 ad obiect. 14. Maldonatus in cap. 19. Matthæi, Abulensis ibidem quæst. 49. & 50 Et iuxta hanc sententiam, quando quis dato Libello Repudij, dimittebat vxorem, verè dissoluebatur matrimonium, & vterque tam vir quàm fœmina, poterat cum altero contrahere.

4. Probatur 1. Quia si matrimonium non fuisset solutum per libellum Repudij, deteriori conditione fuissent fœminæ, quàm viri. Nam viri poterant alias vxores ducere, cum eo tempore licita esset polygamia, vt suprà dixi. At fœminæ non potuissent alios viros accipere, quia nunquam licuit vni fœminæ habere plures simul viros. Itaque vel debuissent fieri adulteræ, vel perpetuam continentiam seruare. Non est autem verisimile, coactas fuisse ad perpetuam cõtinentiam, cùm id in veteri Testamento esset planè inusitatum.

Secundò: Quando mulier à suo viro repudiata, nubebat alteri viro, poterat impunè cum altero manere vsque ad mortem illius, (Deut. 24. 4.) Ergo manens cum illo, non erat adultera, sed legitima vxor. Si enim fuisset adultera, debuisset secundùm legem Mosaicam lapidari. (Ioan. 8. 4. & Leuit. 20. 10.)

Tertiò. Quando nupserat alteri viro, poterat etiam ipse dare illi libellum repudij, sicut prior maritus, (Deuteronom. 24. 3.) Ergo non minus erat ipsius vxor, quàm antea fuerat prioris mariti. Nam

ſi. Nam libellus repudij non fuit conceſſus viro, ni ſi ratione ſuæ vxoris.

Quarto, lex prohibebat, ne repudiata, poſt mortem ſecundi mariti, rediret ad priorem maritum (Deuter. 24. 4.) At ſi per repudium non fuiſſet ſolutum vinculum matrimonij, non erat prohibendum, ſed potius optandum, vt vxor rediret ad ſuum legitimum maritum.

Quinto, neque Moyſes, neque alij Prophetæ vnquam reprehenderunt matrimonia cum repudiatis: At ſi eiuſmodi matrimonia fuiſſent adulterina, ſine dubio debuiſſent illa palam reprehendere, ſicut reprehendebant alia vitia.

Sexto, lex vetabat Sacerdoti, ne duceret vlla quam, aut repudiatam, aut meretricem, ſed tantum virginem (Leuit. 21. 13.) Ergo alijs, qui non erant Sacerdotes, licebat ducere repudiatas, ſicut licebat ducere viduas & meretrices.

5. Ad contraria argumenta ſic reſpondeo. Ad 1. Mulier repudiata vocabatur polluta & abominabilis coram Deo, non ideò, quod alteri viro nupſiſſet; ſed quia à priori viro publica infamia erat notata, hoc ipſo, quod publicè eſſet repudiata. Ac proinde non decebat, vt ab illo iterum reciperetur (Bellarminus loco citato.) Nec aliud colligi poteſt ex loco Ieremiæ, vbi Deus ſic argumentatur: Si vir non recipit repudiatam, quæ nupſit alteri, multò minus ego deberem te recipere, quæ non nupſiſti alteri, ſed cum multis amatoribus fornicata es.

6. Ad 2. verum eſt, Deum permiſiſſe Iudæis repudium, propter duritiam cordis eorum, ne ſcilicet ſuas vxores, quas repudiare non poſſent, occiderent. Sed inde non ſequitur, eos peccaſſe repudiando ſuas vxores, ex diuina permiſſione. Potuit enim Deus hoc illis permittere, vt non peccarent, quia potuit diſſoluere matrimonium inter ipſos contractum, & dare poteſtatem, vt viri acciperent alias vxores, & repudiatæ nube-

habberent alijs viris. Nec illa permissio carebat mysterio. Nam Deus per illam volebat significare, se repudiaturum Synagogam Iudæorum, & in locum illius desponsaturum sibi Ecclesiam ex gentibus colligendam.

QVAESTIO II.

Quibus de causis licuerit vxores dimittere seu repudiare?

1. REspondeo. Non satis constat. Tametsi enim Scriptura dicat, licuisse eas dimittere propter aliquam fœditatem, disputant tamen Interpretes, quid per illam fœditatem intelligendum sit. Tertullianus libro quarto contra Marcionem capite 34. intelligit solum adulterium seu fornicationem. Quod alij authores refellunt. Primò, quia mulier adultera, secundum legem Mosaicam, non dimittebatur: sed vel lapidabatur, si constaret adulteram esse: vel per aquas Zelotipiæ examinabatur, si suspecta esset de adulterio. Secundò, quia Pharisæi interrogabant Christum, an quacumque ex causa liceret vxorem dimittere, Matth. 19. 3. Ergo supponebant, varias esse causas, sed cupiebant intelligere, an Christus omnes approbaret.

2. Quæ autem fuerint istæ causę in particulari non omnes eodem modo explicant. Liranus putat fuisse quamcunque rem turpem, matrimonio superuenientem, quæ posset bonum prolis impedire: Siue in corpore, vt est sterilitas, lepra, morbus caducus: siue in anima, vt si vxor esset prauis moribus prædita. Consentit Cornelius, qui assignat has causas, lepram, & sterilitatem, veneficium, rixas perpetuas, ebriositatem, & alios prauos mores incorrigibiles. Adulterium videntur excludere. Pro quo notandum est, dimissionem vxoris potuisse fieri dupliciter, vel palam, vel

occultè. Prior dimissio fiebat per libellum Repudij. De posteriori intelligendum est illud Matth. 1. 19. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, nempe Mariam sibi desponsatam eo quod videret illam, antequam conuenirent, grauidam esse. Quomodo occultè id facere voluerit, variæ sunt sententiæ apud Maldonatum, quæ non faciunt ad nostrum propositum Itaque prior dimissio per Libellum Repudij, vel nunquam, vel raro fiebat propter adulterium. Nam tribus modis possumus loqui de muliere adultera. Primò. Si in adulterio esset deprehensa. Sic inbebatur lapidari. Secũdo Si solum esset suspecta de adulterio. Sic debebat examinari per aquas Zelotypiæ Tertiò, Si quidem constaret adulteram esse, sed nec publicè constaret, nec in adulterio esset deprehẽsa, sed maritus aliunde id sciret. Sic forsasse poterat occultè dimitti. Si tamen maritus voluisset illam publicè accusare, & dato Libello Repudij solemniter dimittere, non video, cur id fieri non potuerit.

QVÆSTIO III.

Quæ cæremoniæ fuerint adhibitæ in Repudio, & quibus verbis Libellus Repudij̄ consignatus?

1. CÆremonię, & cautiones quibus Libellus Repudij solebat dari, recitantur decem ab Hebræis, vt notat Maldonatus. Primò, vt vxor non discederet, nisi volente marito. Secundò, Vt libellus in manu vxoris traderetur. Tertiò, Vt scriberentur, vt minimum, nomina duorum testium. Quartò, Vt exprimerentur tres generationes viri, & tres mulieris, vt ex libelli formula intelligetur. Quintò, Vt scriberetur Libellus litteris rotundis, distinctis, atque perspicuis,

cuis, ita vt vna aliam non attingeret, ne aliquod Scripturæ vitium inciperet. Sextò vt si inter scribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, Libellus authoritatem non haberet, sed alius de nouo scriberetur. Septimò, Vt in Libello nullum cæsuræ vestigium appareret, ne possit esse suspectus de vitio. 8. Vt charta longior esset, quàm latior. 9. Vt omnes testes, qui aderant, suum quisque sigillum adhiberent. 10. Vt maritus diceret: Accipe Libellum Repudij, & esto à me abiecta, & cuicumque viro permissa.

2. Formula Libelli Repudij, secundùm Hebræos, erat hæc. Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filij Rabbi Dauid, filij Rabbi Salomonis, die prima mensis secundi, Anno 5296. à creatione mundi, hic & in hac ciuitate, ex animi mei consensu, & sine vlla coactione, Repudiaui Rachel, filiam Rabbi Mosis, filij Rabbi Ioseph, filij Rabbi Iacob: & dedi illi Libellum Repudij in manu, schedam abscissionis, & signaculum diuisionis, vt sit à me abiecta, & abeat quocumque velit, & nemo possit illi prohibere, iuxta constitutiones Moysis & Israël. Ita referunt Vatablus, Oleaster, Cornelius in cap. 24 Deuteronomij, & Maldonatus in cap. 19 Matthæi.

3. Quæres, An Libellus Repudij datus fuerit publice coram Iudice, & in forma iudiciaria? Respondeo. Id verisimile est. 1. Quia data fuit coram testibus, vt ex dictis patet. 2. Quia repudium apud Romanos fiebat coram Iudice, vt patet ex iure ciuili, titulo de diuortijs, vbi etiam describitur hęc formula apud Romanos vsitata: Res tuas curato, res tuas tibi habeto. An etiam alij, præter Iudæos & Romanos, vsi fuerint Repudio? Respondeo. Etiam Medi & Persæ vsi sunt, vt patet exemplo Assueri Regis, qui vxorem suam Vasthi repudiauit.) Esther. 3. 19.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An ſicut viri poterant repudiare uxores, ita vitiſſim uxores potuerint repudiare viros?

1. REſpondeo. Non poterant. Nam ſolis maritis conceſſum fuit ius Repudij Nuſquam in lege Moſaica inuenies, vxoribus conceſſum eſſe. Quod etiam fatetur Ioſephus lib. 15. cap. 11. vbi refert, Salome ſororem Herodis, præter legem Mo aicam feciſſe, quod maritum ſuum Coſtobarum repudiauerit. Lex enim noſtra, inquit, ſolis maritis ius Repudij permittit: mulieribus autem, ne dimiſſis quidem fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu. Quæ poſterior pars non habetur expreſsè in lege Moſaica. Videtur tamen colligi ex formula Libelli Repudij, in qua vir dimittens vxorem, ſic ait: Abeat quocumque velit. Quibus verbis concedit illi poteſtatem nubendi alteri marito. Et clarius ex decima cæremonia ſuperius recenſita, in qua maritus dicit: Eſto à me abiecta, & cuicumque viro permiſſa.

2. An ergo mulieres nullo modo poterant dimittere ſuos viros? Reſpondeo. Aliud eſt repudium, aliud diuortium. Non poterant illos dimittere per repudium; poterant tamen eos deſere per diuortium; vel propter adulterium, vel propter alias legitimas cauſas. Hoc enim & Chriſtianis, & Gentilibus mulieribus, iure naturali permiſſum eſt Nota In diuortio fit tantum ſeparatio cohabitationis & thori, manente vinculo matrimonij. In Repudio, etiam hoc vinculum diſſoluitur, vt patet ex auctoribus quæſtionis prima, §. 3. allegatis.

CAPVT

CAPVT XXV.

De Adulterio & Stupro.

1 IN Lege Mosaica prohibentur & puniuntur hęc potissimũ peccata carnis. Primo, Adulterium. Secundò, Incestus, id est congressus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos. Tertiò, Stuprum, id est, violatio virginis, maximè si per vim fiat. Quarto, Scortatio. Quintò, Sodomia. Sexto, Bestialitas. De singulis dicam aliquid.

2. Primò igitur, de adulterio extant tres leges. Prima moralis, Non mœchaberis. (Exodi 20. 13.) Secunda iudicialis, Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, morte moriantur & mœchus & adultera. (Leuit. 20. 10.) Tertia partim iudicialis, partim cæremonialis, quæ præscribit modum inuestigandi occultum adulterium, de quo suprà dictum est ca. 22. de zelotypia.

3. De incestu extat vna generalis, & plures speciales. Generalis est. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. (Leuit. 18. 6) Speciales sunt hæ. Prima, qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo. (Leuit. 20. 11.) Secunda, Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriatur. (Ibidem v. 12.) Tertia, Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, viuus ardebit cum eis (Ibidem v. 14.) Quarta, Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, occidentur in conspectu populi sui. (Ibidem v. 17.) Quinta, Qui coierit cum matertera, vel amita sua, aut cum vxore patrui aut auunculi, portabunt ambo iniqui-

Iniquitatem ſuam: abſque liberis morientur. (Ibid. v. 19 20.) Sexta, qui duxerit vxorem fratris ſui. abſque liberis erunt. (Ibid. v. 21.)

4. De ſtupro duæ extant. Vna, Si aliquis in ciuitate concubuerit cum puella virgine, quæ alteri deſponſata eſt, & illa non clamauerit; educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur. Si autem in agro id fecerit, ipſe morietur ſolus: puella nihil patietur. Præſumitur enim clamaſſe, ſed quia ſola erat, non potuit audiri & liberari. (Deuter. 22 23.) Altera, qui vim intulerit puellæ non deſponſatæ, ducet illam in vxorem, nec vnquam poterit eam dimittere: & inſuper patri illius dabit quinquaginta ſiclos argenti. (Ibid. v. 28.)

5. De ſcortatione ſimiliter duæ. Vna, Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs Iſraël. (Deuter. 23. verſu 17.) Altera, Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo. (Leuit. 19. 29.)

6. De Sodomia ſic ſtatutum eſt: Cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt. (Leuitici vigeſimo octauo, verſu vigeſimo ſecundo.) Et iterum: Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, morte moriantur. Sit ſanguis eorum ſuper eos. (Leuit. 20. 13.) Solet hoc vocari peccatum contra naturam, de quo Apoſt. Rom. 1. 27. Maſculi eorum relicto naturali vſu fœminę, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem exercentes.

7. De beſtialitate ſic: Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſcebitur ei, quia ſcelus eſt. (Leuitici 18. 23.) Et iterum: Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet iumento, ſimul interficietur cum eo. (Leuitici 20 15.)

8. Hæc de Legibus. Porrò, quæ calamitates ex supradictis peccatis in V. T. securæ sint, notum est. Ego paucis insinuabo. Dauid commisit adulterium cum Bersabee vxore Vriæ Hethæi. Punitus est octo modis. Primò, morte filij ex adulterio nati. 2. Incestu primogeniti filij sui Ammon cum Thamar. 3. Eiusdem primogeniti cæde; quia Absalon frater Thamar, occidit Ammon propter incestum. 4. Rebellione Absalonis. 5. Publica violatione vxorum. 6 Bello contra se illato ab Absalone. 7. Morte Absalonis. 8. Noua seditione à Seba, filio Bochri excitata. (2. Reg. 12. & sequentibus.)

9. Amnon, filius Dauidis, de quo iam dixi, oppressit Thamar sororem Absalonis. (2. Regum 13. 1.) Absalon inuitauit illum ad conuiuium; & cum temulentus esset, curauit illum occidi, (ibidem versu 28.)

10. Quidam ex tribu Beniamin, in Gabaa abusi sunt vxore cuiusdam Leuitę peregrinantis, (Iudic. 19. 25.) Hoc facinus vlti sunt filij Israël, & communi consensu prodientes ad bellum contra Beniamitas, occiderunt ex illis viginti quinque millia armatorum hominum. Iudic 20. 46. Adeò, vt ex toto numero Beniamitarum, remanserint tantum sexcenti viri. Ibidem versu 47.

11. Zambri ex Tribu Simeon, publicè ingressus est in lupanar ad fœminam Madianitidem. Pœna sequitur: Quod cùm vidisset Phinees, arrepto pugione, perfodit ambos simul in locis genitalibus. Et propter hoc factum laudatus est Phinees, tanquam vir zelosus pro honore Dei; Et loco præmij accepit à Deo promissionem sempiterni sacerdotij in sua familia. Num. 25. 6.

12. Sichem, filius Hemor, oppressit Dinam filiam Iacob ex Lia, sororem Simeonis & Leui. Genesis 34. v. 1. Secuta est vltio. Nam Si-

meon

Simeon & Leui, arreptis gladijs, occiderunt non tantum Sichem & Hemor, sed omnes masculos totius ciuitatis ; & ciuitatem deprædati sunt, auferentes eorum oues, armenta, asinos, vxores, paruulos, ibidem v. 24.

13. De Sodomitis, quomodo puniti sint, narratur Gen. 19. 24. Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem de cœlo ; subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ viuentia.

14. Hæc omnia (teste Apostolo 1. Corinth. 10. 11.) scripta sunt ad correptionem nostram, ut caueamus ab adulterijs, & alijs peccatis carnalibus, quæ iam recensita sunt : ne similiter, ac Iudæi, à Deo puniamur. Potest & aliud hinc colligi. Nempe, Legem Mosaicam, vt alibi dixi, multò fuisse imperfectiorem, quàm sit Euangelica. Illa prohibebat peccata externa ; hæc etiam interna. Quo spectat illud Christi in Euangelio : Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matthæi 27.

CAPVT XXVI.

De Seruis & Ancillis, de Mercenarijs, peregrinis, & pauperibus.

DE Seruis & Ancillis multa statuta sunt in lege Mosaica, præsertim Exodi 21. Leuit. 25. & Deuteron. 15. Compendium omnium est hoc. Primò, Hebræi non poterant in suo populo habere seruum vel ancillam per modum mancipij, sed tantum ex Gentilibus.

Itaque soli Gentiles (quod etiam intelligitur de proselytis ad Iudaismum conuersis) poterant esse perpetui & hæreditarij Hebræorum serui. 2. Si aliquis Hebræus fieret seruus Gentilium, debebat redimi ab Hebræis. 3. Si fieret seruus Hebræorum, non tractabatur, vt mancipium, sed vt mercenarius. 4. Nec seruiebat perpetuò, sed ad certum tempus. 5. Si habebat vxorem Hebræam, seruiebat vsque ad annum septimum, seu Sabbaticum. Et tunc ambo liberi exibant. Si autem herus ipsius, qui ipsum emerat, dedisset illi vxorem Gentilem (nam Hebræam dare non poterat) quę verè esset serua seu mancipium, & ex illa haberet liberos; tunc quidem poterat liberari anno septimo, si vellet, sed relicta apud herum vxore & liberis. 7. Si tamen maluisset manere apud herum suum, & apud vxorem & liberos, poterat quidem id facere, sed tantum vsque ad annum Iubilæum. Vxor tamen & liberi manebant in perpetua seruitute: Nisi vel redimerentur à suis Gentilibus: Vel certè, ni herus excussisset illis dentem aut oculum. Tunc enim pro compensatione illius iniuriæ, debebat eos liberos dimittere.

2. Hic tria notanda sunt. Primò, Libertas Hebræorum erat corporalis, & opponebatur seruituti corporali. At libertas Christianorum est spiritualis, & opponitur seruituti spirituali. De quo loquitur Christus Ioan. 8. 34. Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Et paulò post: Si filius liberauit, verè liberi eritis. Et Apostol. Rom. 8. 2. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis, ad Galat. 4. 31. Non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

3. Secundò, sicut Vetus Testamentum fuit figura noui Testamenti; ita libertas Mosaica fuit figura libertatis Euangelicæ. Et sicut Moses eduxit Hebræos ex corporali seruitute Ægyptiorum;

ptiorum ; ita Christus eduxit nos ex spirituali seruitute diaboli & peccati.

4. Tertiò, Tanta est perfectio & prærogatiua libertatis Euangelicę, vt non curet aut timeat seruitutem corporalem. Vnde Apostolus. 1.Corinth. 7. 26. Vnusquisque in qua vocatione (id est, vitę conditione) vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? Non sit tibi curæ: sed, & si potes fieri liber magis vtere: scilicet seruitute, & ob maiorem humilitatem & patientiam.

De Mercenarijs.

5. Mercenarijs sic statutum est : Non morabitur opus mercenarij apud te vsque manè. Leuit. 19. 13. Quod alibi sic explicatur : Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur intra portas tuas: sed eodem die reddes ei pretium laboris sui antequam solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. (Deuteronom. 24. versu 14.) Eodem sensu senior Tobias dixit iuniori : Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.

6. Nota. Nomen mercenarij in nouo Testamento sumitur dupliciter. 1. In sensu iam dicto. Nempe pro famulis, seu operarijs, qui merede conducuntur ad laborandum, vt Marci 1. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum. Et Lucæ decimo octauo, vers. 17. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo. 2. Pro Pastoribus Ecclesiæ qui etiam accipiunt mercedem pro labore prędicandi Euangelium, & Sacramenta administrandi. Hi iterum

terum duplices sunt. Alij boni Pastores, qui nihil aliud accipiunt, quàm necessariam vitæ sustentationem: Neque tam pecuniam subditorum desiderant, quàm salutem. De quibus Apostolus 1. Timoth. 5. 18. Dignus est operarius mercede sua. Et magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Et infrà v. 14. Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Alij mali, qui magis quærunt mercedem & proprium commodum, quam salutem & vtilitatem ouium sibi commissarum. De quibus Christus Ioann. 10. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Et paulò post: Non pertinet ad eum de ouibus. De similibus conqueritur Deus per Propheram Ezech. 34. Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: Gregem autem meum non pascebatis. Tales non pauci hoc tempore.

De peregrinis & pauperibus.

7. De his, sancita sunt hæc. Primò, Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes (Leuitici 19. 9.) Idem facies in manipulo, quem oblitus es in agro; & in frugibus oliuarum. Deuteronom. 24. 19.

8. Secundò, Indigens & mendicus non erit inter vos; vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. Deut. 15. 4. Duplex potest esse sensus. Prior.

Ne

Ne patiaris Hebræum mendicare, sed subueni, vt benedicat tibi Deus. Posterior, Tanta erit bonorum abundantia, si legem Dei serues, vt nemo cogatur mendicare. Vide Emanuelem Sa in notationibus.

9. Tertio, Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. (ibid. v. 7. & 8.) Hęc sententia conformis est priori sensui præcedenti.

10. In lege Euangelica, omnes debent se æstimare peregrinos, iuxta illud 1. Petri 2. 11. Charissimi, obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Et 2. Corinth. 5. 6. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Sicut enim Iudæi quadraginta annis peregrinati sunt in deserto, antequam venirent ad terram promissionis: ita nos, toto tempore huius vitę, peregrinamur in hoc mundo, antequam perueniamus ad patriam nostram cœlestem. Illorum peregrinatio fuit figura nostræ peregrinationis.

11. Paupertas, propter exemplum Christi, desijt esse ærumnosa & pudenda, Lucæ 6. 20. Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Et Iacobi. 2. 5. Audite fratres mei dilectissimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Et 1. Corinth. 1. 28. Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus. Et cap. 4. 11. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Et infrà: Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

CAPVT XXVII.

De Reformatione.

1. RESpublica Hebræorum ab initio fuit bene à Deo constituta, & optimis ac sanctissimis legibus robo ata. Sed quia sæpè defecit à primæua sua perfectione, & in varios abusus degenerauit; necesse fuit sæpè illam reformare, & in pristinum statum restituere. De hac Reformatione aliquid dicendū est. Fuit autem triplex reformatio. Prima circa cultum Dei. Altera circa iustitiam inter Hebræos seruandam. Tertia circa bellum. Incipiam à prima.

Reformatio circa cultum Dei.

2. Igitur Reformatio circa cultum Dei fuit valdè frequens, quia Hebræi sæpè à cultu veri Dei ad idololatriam delapsi sunt. Primò sub Mose, quando vitulum aureum adorarunt. (Exodi 32. 4.) Secundò, post mortē Iosue, quando cœperunt adorare Baal & Astaroth. (Iudic 2. 11. & cap. 3. 7.) Tertiò, post mortem singulorum Iudicum sequentium. Iudic. 2. 19. Et hoc duranit vsque ad initium Samuelis, primo Regum septimo, versu 3. Quartò, tempore Salomonis, quando & ipse, & vxores illius colebant idola. (3. Reg 11 4.)

3. Post Salomonem, facta regni diuisione, cœperunt esse duo regna, alterum Iuda, in quo erant duæ tribus: alterum Israel, in quo erant decem. Et quidem regnum Israel, sub primo suo Rege Ieroboam, defecit à cultu veri Dei, & cœpit vitulos adorare tertio Reg. duodecim, versu vigesimo octauo. In qua defectione, permansit. At

in reg

in regno Iuda, sæpe quidem defectio facta est, sed non durauit. Prima facta est sub Roboam. 2. Paralipomenon 12. 1. Secunda sub Ioram. 2. Paralip. 21. 11. Tertia sub Ioas, mortuo Ioiada Pontifice, ibidem cap. 24. 17. Quarta sub Amasia, cap. 25. 14. Quinta sub Achaz, cap. 28. 2. Sexta sub Manasse, quarto Regum vigesimo primò, versu tertio. Hæ sunt præcipuè defectiones.

4. Reformatio fuit etiam multiplex. Prima à Mose facta per interfectionem viginti trium millium hominum, qui vitulum adorauerunt. Exodi 32. 28. Secunda à Deo, per varias calamitates & oppressiones, tempore Iudicum. Iudic. c. 14. & deinceps. Tertia à Samuele, per paternam monitionem. 1. Reg. 7. 3. Quarta ab Asa, qui purgauit terram à sordibus idolorum. 3 Reg. 15 12. Quinta à Iosaphat, qui perfecit purgationem ab Asa inchoatam, ibid. cap. 22. 47. Sexta à Ioas, viuente adhuc Ioiada Pontifice, per instaurationem templi. 2 Paral 24. 4. Septima ab Ezechia, qui abstulit omnem idololatriam, & verum Dei cultum restituit. 4. Reg. 18. 4. & 2. Paral. 29. 3. Octaua à Iosia, qui iterum abstulit omnia idola, excelsa, lucos; & instaurauit templum Domini; & fecit Phase Domino; & adiurauit subditos, vt promitterent se legem Dei seruaturos. 4. Reg. 22. & 2. Paral. 34. & 35.

5. Hæ reformationes factæ sunt in regno Iuda. Porrò in regno Israel bis aliquid tentatum. Primò ab Elia Propheta, qui tempore Achab & Iezabelis, reduxit populum in duas partes claudicantem ad Deum, miraculo ignis de cœlo missi super sacrificium, & occidit 450. Prophetas Baal. 3. Reg. 18. 21. Secundò à Iehu Rege Israel, qui deleuit totam familiam Achab. & interfecit omnes Prophetas & Sacerdotes Baal, & statuam Baal combussit igne, & ædem Baal

conuertit in latrinam. 4. Reg. 10, 11. Nihilominus non restituit cultum veri Dei. Sic enim habet textus ibidem v, 28. Deleuit itaque Iehu Baal de Israel: veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. Tametsi ergo sustulerit vnam sectam idololatriç, quæ adhærebat Baal; non tamen sustulit, sed promouit aliam sectam idololatriæ, quæ vitulos aureos adorabat.

6. Similis vicissitudo in Ecclesia Christi hactenus seruata est. Multæ factæ sunt defectiones à vera fide: non quidem vniuersales, sed particulares. Prima tempore Apostolorum, per Simonem Magum. Cerinthum, Ebionem, Menandrum, Nicolaum Antiochenum: Aliæ per alios hæreticos subsequentes, vt per Saturnium, Basilidem, Cerdonem, Valentinum, Marcionem, Montanum, Nouatianos, Donatistas, Manichæos, Sabellionos, Arianos, Macedonianos, Priscillianistas, Pelagianos, Nestorianos, Euthycianos, Berengarios. Nouissimè, per Hussitas, Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas.

7. Multæ etiam reformationes adhibitæ. 1. per vigilantiam Apostolorum. 2. Per alios Ecclesiæ Prælatos & Doctores, inter quos excelluerunt Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Optatus Mileuitanus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper. 3. Per Concilia generalia, in quibus hæretici damnati sunt; vt Ariani in Nicæno, Macedoniani in Constantinopolitano, Nestoriani in Ephesino, Eutyches & Dioscorus in Chalcedonensi, & sic deinceps. 4. Per Synodos prouinciales. 5. Per Religiosos. Nam sicut in V. T. multi extraordinarij Iudices à Deo excitabantur ad liberandum populum à seruitute & oppressione: ita in Ecclesia Christi, varij varijs temporibus Religiosi Ordines excitati sunt, qui populum in doctrina & moribus re-

formas

formarent, hæreticos euerterent; sanam fidem restituerent. 6. Per seueras Principum & Imperatorum leges & pœnas in hæreticos constitutas quales multæ sunt in Codice Iustiniani. 7. Per violentam hæreticorum extirpationem. 8. Per disputationes, scriptiones, & similia certamina contra hæreticos suscepta & inita. Denique, quæ optima reformandi ratio est, per seriam Cleri ac Prælatorum emendationem. Quæ si non adest, parum proficitur.

8. Et, vt nihil deesset ad plenam analogiam veteris ac noui Testamenti, sicut in veteri idololatræ idololatras aliquando persequebantur; ita in nouo hæretici hæreticis infesti sunt. In qua re imitantur exemplum Iehu. Nam is quidem, vt iam dixi, erat idololatra, & colebat vitulos aureos; & tamen ex quodam zelo reformationis, interficiebat Prophetas & cultores Baal. Sic faciunt hæretici. Non proferam vetera exempla: noua sufficiunt, Lutherani infesti sunt Caluinistis. Caluinistæ seipsos lacerant, perdunt, execrantur. Nam alij Arminiani sunt, alij Commaristæ. Hi illos acerrimè persequuntur. Illi vicissim hos damnant, & diris omnibus deuouent. Vtrobique zelus prætenditur.

Reformatio circa iustitiam inter Hebræos seruandam.

9. Huius reformationis illustre exemplum habemus in Iosaphat rege Iuda, qui facta prius reformatione circa cultum Dei, voluit etiam externam politiam reformare, & pacis ac iustitiæ conseruandæ normam præscribere. Quo pacto id præstiterit, refertur 2. Paral. 19. 4. his verbis: Habitauit ergo Iosaphat in Ierusalem, rursumque egressus est ad populum de Bersabee vsque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum suorum. Constituitque Iudices

Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda monitis per singula loca, & præcipiens Iudicibus: Videte, ait, quid faciatis: Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis inter cognationem & cognationē, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus, ostendite eis vt non peccent in Dominū, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis.

Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quę ad Regis officium pertinent.

10. Dixi c. 11. q. 1. duplex fuisse Tribunal seu Iudicium apud Iudęos. Vnum maius, quod erat in Ierusalem, ad difficiliores controuersias decidendas: Alterum minus, quod erat in alijs ciuitatibus Iuda, ad communes & quotidianas causas iudicandas. Vtrũque progressu temporis fuerat penè collapsum. Hoc loco Iosaphat vtrumque restituit ac reformat. Et primò generatim monet Iudices, vt cogitent se non hominis, sed Dei iudicium exercere. Et hoc sensu vocari solent dij, id est, Vicarij Dei. Exodi 22. 8 Deinde speciatim, vt abstineant à tribus peccatis, quæ solent esse in corruptis & peruersis Iudicibus. 1.

Ab

Ab iniquitate. 2. A personarum acceptione. 3. Ab acceptione munerum. Huiusmodi peruersi Iudices fuerunt filij Samuelis 1. Reg. 8. 3. Non ambulauerunt filij illius in vijs eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.

Reformatio circa bellum.

11. In hac reformatione duo spectanda sunt 1. Leges belli à Deo præscriptæ, de quibus ca. 17. qu. 2. dictum est. 2. Apparatus belli de quo hic dicendum. Est autem duplex apparatus. Vnus consistit in munitionibus, præsidijs militaribus, armatura, comitatu. Alter in ipsa exercitus dispositione, ductione, & ad certamen itione. De priori agam. Est autem hęc regula seruanda, quod eiusmodi apparatus non debeat fieri in ipso belli initio aut progressu, sed longè ante belli susceptionem, iuxta illud Christi Lucæ 14. 31. Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Quod hic dicitur de apparatu militum, debet etiam intelligi de apparatu armorum munitionum, & aliorum, quæ ad bellum necessaria sunt.

12. Ex hac parte fuit magnus defectus tempore Saulis, quando filij Israel debebant pugnare contra Philistęos. 1. Quia erant tantum sexcenti Israelitæ (reliqui enim præ timore erant dilapsi) contra infinitam Philistæorum multitudinem 2. Quia nullus in toto exercitu Israelitarum habebat gladium aut hastam, nisi solus Saul, & filius eius Ionathas. 1. Reg. 13. 5. Philistijm congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum, & sex millia equitum, &

& reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in lit-
tore maris plurima. Et infrà: Quod cùm vidis-
sent viri Israël, abscondérunt se in spelunc is &
in ab itiis. Et iterum v. 15. Recensuit Saul po-
pulum, qui inuenti fuerant cum eo, quasi sex-
centos viros. Et ibidem v 19. Porrò faber fer-
rarius non inueniebatur in omni terra Israël:
Cauerant enim Philistjim, ne fortè facerent
Hebræi gladium aut lanceam. Et denique v. 22:
Cùmque veniſſet dies prælij, non est inuentus
ensis & lancea in manu totius populi, qui erat
cum Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha
filio eius.

13. Hunc defectum restauranit Azarias, seu
Ozias Rex Iuda, qui & in munitionibus, & in
militibus, & in omni armorum genere, & in cō-
meatu fecit magnum belli apparatum, ita vt
omnibus vicinis hostibus esset terrori. Sic enim
de eo legimus 3. Paralip. 26. 9. Ædificauit O-
zias turres in Ierusalem super portam anguli, &
super portam vallis, & reliquas in eodem muri
latere firmauitque eas. Exstruxit etiam turres
in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo
quod haberet multa pecora, tam in campestri-
bus, quam in eremi vastitate. Vineas quoque ha-
buit, & vinitores in montibus, & in carmelo:
erat quippe homo agriculturę deditus. Fuit au-
tem exercitus bellatorum eius, qui procedebant
ad prælia sub manu Iehiel scribæ, Maasiæque
Doctoris, & sub manu Hananiæ, qui erat de
Ducibus Regis. Omnisque numerus Principum
per familias, virorum fortium, duorum millium
sexcentorum. Et sub eis vniuersus exercitus tre-
centorum & septem millium quingentorum,
qui erant apti ad bella, & pro Rege contra ad-
uersarios dimicabant. Præparauit quoque eis
Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, & ha-
stas, & galeas, & loricas, arcusque & fundas ad
iaciendos lapides. Et fecit in Ierusalem diuersi

generis

generis machinas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent ſagittas & ſaxa grandia. Egreſſumque eſt nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet illum.

14. Et hoc Oziæ exemplo diſcant Reges & Principes, duo potiſſimum eſſe neceſſaria ad apparatum bellicum. 1. Vt ſint coniuncti cum Deo. Hoc enim ſignificatur vltimis illis verbis? Eo quod auxiliaretur ei Dominus. 2. Vt etiam adhibeant humana præſidia. Cuiuſmodi ſunt hæc. 1. Munitiones. Ædificauit Ozias turres in Ieruſalem. 2. Exercitus. Vniuerſus exercitus trecentorum & ſeptem millium quingentorum. 3. Armatura. Præparauit cuncto exercitui clypeos, & haſtas, & galeas. 4. Commeatus, Eo quod haberet multa pecora, & vineas.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM HVIVS LIBRI.

Nota: Prior numerus Paginam: posterior Paragraphum denotat.

A.

Aron primus fuit Pontifex à Deo constituus, & à Mose consecratus, cum iure successionis pagina 98. §. 1

Abaris apud Hyperboreos habuit domum Prophetiæ. pagina 162. §

Abraham fuit figura Dei: eius filij figura duorum pópulorum. 423. 9

Abraham habuit duas legitimas vxores. ibidem.

Abraham non fuit iustificatus per solam fidem. 161.

Abſtinentia à ſanguine & adipe. 281.12
Abuſus iuramenti Chriſtianis prohibitus. 301. 63.
Abuſus iuramenti in quo conſiſtat. ibid.
Acetabula V.T. 227.29.
Achitophel conſiliarius Dauidis qualis? 370. 2.
Actus fidei eſt voluntarius & liber, non autem neceſſarius, 24.7
Adamus primus credidit in Chriſtum, fuit primus homo & primus vates. 32.1
Adulterium grauiſſimè in Vet. Teſt. punitum: 442.1
Affinitas quid? 408.3.4.11.9
Agar ancilla, figura Synagogæ. 423.9.
Agnus Paſchalis figura Chriſti. pag. 13. 5. 247. 23.
Agnus Paſchalis qualis debuerit eſſe? 242. 16. quo tempore immolandus fuerit? 243. 18. quo loco. 245. 20. quo ritu coquendus? quinam potuerint comedere de Agno Paſchali? 246.23
Alexander Magnus Ieddoam ſeu Iaddum Pontificem adorauit. 102.9
Altare Thymiamatis. 224.22
Altare Holocauſti. 225.26
Amaſias Rex. 333.23
Ammon filius Manaſſis Rex impius. 338.32
Analogia Prophetarum N. T. cum Prophetis V. T. 169.7
Angelorum Hierarchiæ tres. 288.
Animalia quæ munda quæ immunda? 277. 1. & ſeq
Anni Sabbathici quando primùm cœperint? 310.81
Annus ſeptimus ſeu ſabbaticus quatuor habuit priuilegia. 307.75
Annus Iubilæus, & eius priuilegia. 311. 84. & 85

Apo-

Apoſtoli vſi ſunt Græca tranſlatione Scripturæ ſacræ. 8.2
Aqua luſtrationis dicta in Vet. Teſtam. cui cineres vaccæ ruffæ infuſæ erant. 105.2, 276.III.
Arca Domini erepta ex incendio per Ieremiam Prophetam. 7.2
Arca fœderis ordinariè manebat in illo loco vbi Pontifex reſidebat. 218.II
Arca figura cœtus Beatorum. ibidem
Arcæ forma & ſtructura. ibidem
Arca, cur ſcabellum pedum Dei? 121.16
Arca non eſt à Tito in triumphum ducta, ſed menſa panum propoſitionum. 120.15
Aruſpicium. 167.8
Aſa Rex bonus. 330.17
Aſſiſtentia diuina quomodo, & quando Iudæis ſubtracta. 92.10
Aſyla Chriſtianorum pro Homicidis ſunt omnes Eccleſiæ, Cœnobia, Domus Religioſæ & Eccleſiaſticæ. 401.9
Athalia, mater Ochoziæ Regis, impijſſima. 332.21.
Atrium Tabernaculi quale? fuit quaſi templum Laicorum. pag. 216. 6. 217. 9. 228. 32.
Authores Phariſæorum, an Schamai & Hillel fuerint? 187.2
Author Moſaicæ & Euangelicæ Legis Deus. 70.2
Author Idololatriæ in Iſrael, Rex Ieroboam. 341.35

B.

BAlaam, an Propheta Dei, vel diaboli fuerit. 161. 5. amicus Iob non fuit. 162.6.

Dauid propter adulterium punitus est octo modis. 444.8
Decimę Decimarum datine fuerint soli Pontifici? 127.7
Decimarum tria genera apud Hebræos. ibidem.9
Deus in V. T. non vocabatur Pater, sed Dominus. 48.3
Deus triplici titulo appellatur Pater. 49.6
Deus, cur in V.T. vocatus Deus Deorum. ibid.7
Diabolus quomodo per Pythonicos & Pythonissas respondeat. 166 7
Differentia inter legem Mosaicam & Euangelicam. 69.2.3
Differentia inter esse sub lege, & esse in lege. 85.12
Differentia inter tria genera primitiarum V. T. 129.14
Differentia inter Iudices & Reges V T. 316 2
Differentia inter Reges Iuda & Israël. 322.2
Differentia inter asyla Christianorum & Iudæorum. 401.9
Diligere Deum ex toto corde. 60.1
Diligere proximum sicut seipsum quid sit. 64.2
Discretio ciborum mundorum ab immundis in V. T. significabat discretionem Iudęorum & Gentilium, 279.8
Discrimen verorum Prophetarum à falsis. 163.1
Discrimen Prophetarum V. & N. T. 170.8
Discrimen inter maius & minus Cõcilium apud Iudæos. 197.6
Discrimen duplex inter Sacramenta Mosaica & nostra. 264.2
Discrimen inter abstinentiam à sanguine, & ab adipe. 282 15
Discrimen inter vnctionem Regum & Pontificum, 350.2
Diuinatio duplex: vna per explicitam, altera per impliciram dæmonis inuocationem. pag. 166.6
Diuitiarum abusus prohibetur Regibus. 369.1

Doctrina Sadducęorum. 190.4

E.

ECclesia mater omnium fidelium, extra quam nemo saluari potest. 95 1
Ecclesia corpus Christi. 96.2
Elymas magus falsus Propheta 171 9
Ephod, seu superhumerale duplex. 120 6
Equorum excessus & abusus Regi prohibitus. 307.4
Esdrę liber quartus apocryphus. 7.2
Esdras redegit Scripturam sacram in formam voluminis post captiuitatem Babylonicam. 20 1 0
Esseni vnde dicti? 164. 1
Essenorum dogmata & instituta viginti duo. ibidem 2
Esus sanguinis tribus vicibus prohibitus. 281.13
Excelsa, quid significent in Scriptura. 325 6
Ezechias, filius Achaz fuit Rex optimus. 336.27
Ezechiel in Chaldęa occisus. 158.1

F.

FAlsi Prophetæ erant duplices apud Iudæos. 159. 1
Falsi Prophetæ contradicunt veris Prophetis. 160 3.4
Fœminalia linea Pontificis V. T. qualia fuerint. 118.2
Fertilitas Terrę sanctæ non fuit purè naturalis. 308.76
Festa apud Iudæos erant duplicia: alia instituta à Deo, alia ab ipsis Iudæis. 304.67
Festum tubarum, Expiationis, Tabernaculorum Cœtus atque Collectæ. ibidem 68
Fides donum Dei. 22.1
Fidei actus est assentiri vel credere. 22.4
Fides in Christum fuit necessaria ad salutem in V.T, 34.1

Fides ſine operibus mortua. 37.3
Fides V. T. eſſentialiter fuit tam perfecta, quàm eſt Fides Euangelica, non tamen accidentaliter. 38.1
Figura deficit in duobus à re figurata. 270.11
Filia Iephte, figura Chriſti, quoad promptam moriendi voluntatem. 292.41
Fiſcum debent habere Reges, 369.2
Formula iurandi in V.T. 302.64
Formula orandi Deum in V.T. 47.8
Formula Libelli Repudij. 440.2
Formulæ iurandi ab Apoſtolo Paulo vſurpatæ. 303.64
Fur, cur pro vno boue debuerit quinque boues reſtituere. 395.9
Futurorum prædictio duplex vna ſit ex inſtinctu Dei, altera dæmonis. 165.5

G.

GAlilæa à Ieruſalem trium dierum itinere diſtabat. 158.3
Gamaliel Præceptor Pauli Apoſtoli, 220.14
Gladij duo, duplicem poteſtatem Pontificis ſignificant, ſpiritualem & temporalem. 14.11
Gradus conſanguinitatis & affinitatis. 407.8

H.

HÆretici ſunt falſi Prophetæ. 170.9. & 171.10
Hæretici fingunt Deum tyrannum, cum dicũt Decalogi præcepta eſſe impoſſibilia. 178.13
Hebraica lingua dupliciter ſumitur. 5.1
Helias ieiunauit 40. diebus. 285.31
Hircus pro negligentia Principis offerebatur in V. T. 241.12
Hœdus victima pro peccatis. 248.13

Holocaustum sacrificium perfectissimum. 238.6
Homicidium. 397.1
Homicidarum refugium. 399.3
Hostia pacifica. 239 8

I.

Idololatræ fuerunt omnes Reges Israel. 322.2
Ieiunia Iudæorum duplicia. 283.16
Ieiunium tribus modis Christus commendauit. 285 23
Iephte Iudex. 319.5
Iephte vouendo, & votum implendo non peccauit. 290.7
Immolationes quid fuerint. 237 8
Immolatio Agni Paschalis, figura Christi in Cruce immolandi. 247.23
Implorare auxilium infidelium in bello iusto ex natura rei licitum est. 389.3
Immundi, secundùm legem Mosaicam, erant duplices alij in se, alij ex contactu rei immundæ. 272.2
Immundi in V.T. arcebantur ab ingressu templi, & à sacris oblationibus. 275.9
Immunditia legalis nõ sẽper fuit peccatũ. 275 20
Inaugurationis, Regum Iudęorũ, varij ritus. 348.1
Incestus quid. 442.3
Inobedientia Saulis. 327.9
Institutum Nazaræorum durauit ab initio legis Mosaicę vsque ad tempora Apostolorum. 174 6
Instrumenta diuini cultus fuerunt in V.T. magni momenti apud Deum & homines. 235.46
Inuocatio dæmonis explicita, & implicita. 166.6
Inuocatio sanctorum Angelorum in V.T. vsitata fuit, non tamen sanctorum hominum. 50.1
Ioannes Baptista quomodo fuerit Propheta, & quomodo non fuerit. 156 1
Ioannes Euangelista fuit Propheta. 168.3
Iosaphat Rex Iuda indixit ieiunium. 284.21
Ioseph Patriarcha cur dicatur Nazaræus. 174.6

Iubilæum cur à Deo instituum. 111.8
Iubilæum Iudæorum fuit typus Iubilæi Christianorum. ibidem
Iudas Machabęus curauit offerri sacrificium pro mortuis. 543
Iudæi ante captiuitatem Babylonicam vsi sunt lingua purè Hebraica. 5.1
Iudæi in V.T. poterant saluari per fidem venturi Christi 404
Iudæi fuerunt in statu seruorum, nos in statu filiorum. 48.2
Iudæorum formula iurandi, Iuro per Iod, He, Vau & Iod. 100 1
Iudæi putant se non obligari vllo iuramento; nisi iurent manu imposita super librum legis Mosaicæ. ibidem
Iudę in festo expiationis à Rabbinis suis absoluuntur ab omnibus votis & iuramętis, quę maliciosè facta sunt. ibid.
Iudæi cur in extremitate vestium debuerint gestare fimbrias. 315.94
Iudæi an potuerint bellum gerere contra Iudæos. 317.1
Iudæi solebant Variis modis super mortuo contaminari. 1134
Iudæis prohibitum fuit inire fœdus cum infidelibus. 390.4
Iudices V.T. cur dicti saluatores. 316.2
Iudices Hebræorum qui, & quot fuerint. 318.1
Iuge sacrificium figura sacrificij Missæ. 241.13
Iurare quid sit. 299.57
Ius regni octo titulis adipisci potest. 343.1
Ius successionis. 99.4
Ius Repudij solis maritis concessum fuit. 441.1
Iustificatio duplex: quid prima, quid secúda. 384

L.

LAbrum æneum quale vas? 227.28
Legis nomine intelligitur V.T. 9.3
Leges belli à Deo prescriptæ in V.T. 381.1
Leges 16. circa furtum. 393.1

Leges de valore & irritatione voti erãt quatuor. 286.25
Leges de redemptione voti erãt quinque in V.T. 287.19
Leges à Deo Iudæis datæ de iuramento. 299.59
Legislator Mosaicę legis Deus, 66.2
Leprosorum expiatio. 273.4
Leuitarum purificatio, 105.1
Leuitæ non habebant sacrum ornatum, sed soli Sacerdotes & Pontifex. 118.1
Leuitæ acceperunt decimas ab alijs tribubus Filiorum Israel. 126.5
Lex Mosaica per mortẽ Christi est abrogata. 91.6
Lex Mosaica non fuit tyrannica, sed seruilis 66.3
Lex Mosaica non fuit perfecta, neque sufficiens per se ad salutem. 68.1
Lex Mosaica quomodo obliget Christianos. 75.1
Lex Mosaica strictissimè obligauit Iudæos. 71.1
Lex Dei non est impossibilis obseruatu. 78.4
Lex Mosaica nũc est abrogata quoad præcepta cęremonialia, & iudicialia, non tamen quoad moralia. 79.1
Lex Mosaica quomodo dicatur æterna. 79.3
Lex Euangelica continet præcepta moralia, Sacramentalia, & Fidei. 81.2
Libamenta. 237.2
Libellus Repudij apud Iudęos datus, verè dissoluit matrimonium. 436.3
Libellus Repudij an publicè datus fuerit. 440.8
Libellũ Repudij cur Deus Iudęis permiserit. 437.4
Libertas Christiana in quo consistat. 85.12
Libri V. T. lingua parè Hebraica scripti. 5.2
Lumen triplex in intellectu hominis, naturale, fidei, gloriæ. 22.3
Luminaria duo magna, Pontifex & Imper. 14.11
Lutheri Prophetia falsa. 171.10
Lutheranorum doctrina. 101.1.2.3
Lutherani & Caluinistę in quo conueniant. 192.1

M.

MAchabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. 53.2
Maledictiones Iudæorum. 78.3
Manasses Rex pessimus. 337.31
Matrimonium Adami & Euæ fuit, figura coniunctionis Christi cum Ecclesia. 426.13
Matrimoniũ, an in V.T. fuerit præceptum. 403.2
Matrimonium Christianorum, sex modis perfectius est Matrimonio V.T. 417.2
Matrimoniũ Christianorũ est Sacramentum ibid.
Mensa panum Propositionis. 223.20
Mercenarij nomen dupliciter sumitur. 447.6
Michol cur fuerit sterilis. 406.7
Ministri Synagogæ Ordinarij, Leuitæ, Sacerdotes, Pontifex. 96.1
Ministri Synagogę extraordinarij, Prophetę 144.1
Modus consulendi Deum per Pontificem, & accipiendi ab eo responsum cessauit, ad initium captiuitatis Babylonicæ. 124.17
Modus explorandi adulteria in V.T. 432.2
Mores Pharisæorum. 185.2
Mores Lutheranorum, & Caluinistarum. 291.1.7
Moyses in 12. rebus, Figura Christi. 94.3
Moyses fuit summus Pontifex, sed extraordinarius & sine iure successionis. 98.5
Moyses, quo sẽsu fuerit præcipuus Propher. 155.2
Moyses ieiunauit 40. diebus. 285.12
Munditia castrorum maxima in Vet. Test. 392.1
Mysterium Sanctissimæ Trinitatis in V.T. obscurè fuit reuelatum. 25.1
Mysteria Fidei in N. Testam. sunt clarius explicata quàm in Vet. Testam. 40.3
Mysteria Fidei nobis reuelata sunt, vel per Scripturam, vel per traditionem. 21.2

N.

NAbuchodonosor Rex, quando Iudæos duxerit in captiuitatem. 339.35
Nabùzardan Princeps exercitus quid in Ierusalem patrauerit. 340.37

Nazaræi erant duplices. 172.8
Nazaræi Iudæorum, fuerunt figura religiosorum. 175.7
Nazarçorum statuta. 172.8
Nechao Rex Ægypti. 339.39
Neomenię festum, pro beneficio diuinæ gubernationis institutum fuit. 304 68
Nobilitas vnde apud Iudęos çstimata fuerit. 181.8
Nomina Christi in V.T. viginti duo, in N. T. triginta quatuor. 50.11

O.

OBiectum fidei diuinæ, materiale, sunt res à Deo reuelatę. formale, authoritas Dei reuelantis. 22.5
Oblata erant triplicia in V T. 130.16
Obligatio militum Christianorum. 384.10
Obseruantiæ legales V. T. 277.8
Officia Prophetarum erant tria in V T primariũ. docere, instruere, & reformare populũ in cultu veri Dei. Alterum, prædicere futura. Tertium secreta seu occulta cognoscere, 147.1.168.3.4
Officium Regum V.T. quale 357.1
Oleum Symbolũ lenitatis & misericordiæ. 438 4
Oleum duplex in V.T. vsitatum. 355.7
Oleo simplici cur reges V.T. inuncti fuerint. 51.4
Oliuæ duæ super candelabrum aureum, Enoch & Elias. 139
Opera Dei sunt perfecta, quomodo intelligendũ. 71.4
Omnes Prophetæ vsque ad Ioannem, quomodo intelligendum. 156.1
Orationis necessitas. 46.1
Orare pro defunctis vsitatum fuit in V.T. 53.1
Ornamenta Pontificis octo. 118 1
Ornamentorum Pontificis duplex significatio, literalis & mystica. 120.9.10
Ordo in charitate seruandus. 64 1

P.

PAnes propositionis non licebat comedere nisi prçmissa sanctificatione. 223.28

Pascha in memoriam liberationis Iudæorum instituti. 304.62
Pastores boni & mali. 447.6
Paulus Apostolus Propheta N T. 168.4
Paupertas propter exemplum Christi desijt esse ærumnosa. 449.18
Pædagogi vtilitas. 62.1
Peccatum mortale, quoad culpam, non tollitur post hanc vitam. 54.4
Peccatum originale non manet in nobis quamdiu in hac vita sumus. 84.10
Pentecoste. 305.68
Pentateuchum scripsit Moyses. 2.1
Phariſæi cur à Christo reprehensi. 17.13
Phariſæi dicti sunt à Parasch. 179.13
Phariſæorum dogmata quæ fuerint falsa. 182.2
Phariſæi antiquiores Sadducęis. 187.1
Phase dupliciter sumitur. 243.17
Pisces, qui mundi, qui immundi in V T. 278.5
Polygamia quid. 408.1
Polygamiam, matrimonium Christianorum, non admittit. 419.3
Polygamia, repugnat primæ institutioni matrimonij. ibidem
Polygamia repugnat aliquo modo legi naturę ib.
Polygamia post diluuiũ à deo Indęis cõcessa. 412.7
Polygamia à Christo in N. T. est reuocata, pag. 428.18.430.20
Pontificatus seu summum Sacerdotium, secundùm legem ordinariam erat in sola familia Aaronis in V.T. 98.1
Pontificum successio. ibidem
Pontificis officia. 114.2
Pontifex in tribus casibus gestauit Ephod. 122.14
Pontifici interroganti quomodo Deus sit solitus dare responsa. 123.16
Pontifex V.T. quo tempore debuerit seruare continentiam ab vxore. 131.1
Pontificis consecratio durauit per 7. dies in V.T. 103.11

Pontifex N.T. multò excellentior & dignior est, quàm fuerit pontifex V. T. 138.1
Pontifici obediendum. 139.2
Pontifici an liceat vsurpare titulum summi Sacerdotis. 140.3
Pontifex V.T. ditissimus. 141.3
Pontifex V. T. fuit infallibilis Iudex in controuersiis fidei decidendis. 203.2
Pontifex V.T. fuit Iudex controuersiarum. pag. 196.1.201.1
Pontifex N.T. est Iudex controuersiarum. 208.1
Porticus Salomonis distinguitur ab atrio. 218.10
Præcepta Decalogi possunt seruari. 83.8
Præcepta hominum non sunt contemnēda. 178.13
Præceptum fidei obligat omnes mortales, sed non solùm obligat. 85.10
Prædicantes Lutherani & Caluiniani sunt similes Phariſæis & Sadducæis. 191.1
Prædicantes Euangelij mysticè significantur per boues triturantes. 13.6
Primitias & primogenita à filiis Israel solus pontifex & Sacerdotes accipiebant. 128.10
Primitię ter soluebantur in anno 1 in paschate 2. in pentecoste 3. in festo tabernaculorum. ibidem
Primogeniti diuino cultui mancipati in statu naturæ. 96.1
Primogenitorum tria erant genera: alia hominum, alia pecorum mundorum, alia immundorum. 130.15.297.54
Principes Iudæorum quinam dicti. pag. 18.13
Principes Iudæorum qui feliciter bellum gesserint. 391.1
Principes Christiani quales esse debeant. 374.1
Priuilegia Iudæorum. 400.7
Prophetia de Christo multiplex. 91.7
Prophetę V. T. duplices, aliqui veri, aliqui falsi. 144.1
Prophetæ veri quinam fuerint. ibidem
Prophetissæ. 145.3
Prophetę tres vixerunt sub finem V.T. & initium N.T. ibidem.4

Prophetæ dupliciter probabant se à Deo missos esse. Primò per miracula. 149. 2. Secundò per veracem prædictionem eorum, quæ breui erant euentura 150.3
Prophetæ V.T. omnes de Christo vaticinati sunt, vel clarè, vel obscurè. 151.3
Prophetæ num omnes Hierosolymis occisi. 158.2
Prophetæ veri & falsi sunt etiam in N.T. 168.2
Propitiatorium quid. 221.16
Proprietates actus fidei, certitudo & obscuritas. 223.6
Proximi nomine intelliguntur tam inimici quàm amici. 62.5
Purificationes Iudæorum figura Sacramẽti Pœnitentiæ, 68.4
Purificationis varii modi 273 4.5.6.7.8
Pythones dicuntur illi, qui ex instinctu dæmonis diuinant de rebus futuris. 265.4

R.

RAbbinistæ. 190.2
Rasio capitis & barbæ quibus prohibitum. quibusve concessum. 313.89
Rasio pilorum quando adhibita. 105.3
Rechabitæ, Religiosi Iudæorum vnde dicti 175.8
Redditus Pontificis & Sacerdotũ Vet. Test. 125.2
Reformatio circa cultum Dei. 450.2
Reges Hebræorũ qui, & quot fuerint, 321.1, 323.2
Reges Hebræorum qui per electionem diuinam, vel per successionem creati. pag. 344.4.346.9
Reges V.T. cur vncti. 356.12
Reges Hebræorum an potuerint habere plures vxores. 363.1
Regibus, quæ imitanda, quę cauenda. 376.5.6
Regis descriptio. 374.1
Rex quando bonis subditorum vti possit. 362.4
Rhemis, in Gallia conseruatur ampulla cum sacro Chrismate, quę sine vlla diminutione per 100. annos sufficit pro vngendis Regibus. 356.11
Ritu latum de Christo in V.T. quid fuerit. 29.2
Ritus consecrandi Leuitas. 105.1

Ritus consecrandi Pontificem. 206.6
Roboam filius Salomonis fuit malus. 329.15

S.

SAbbathum in memoriam creationis mundi fuit institutum. 304.68
Sacerdotes V.T. quàm diuites fuerint. 131.17
Sacerdotes quo igne in sacrificijs vsi. 254.34
Sacerdotes V. T. quando iure diuino debuerint seruare continentiam ab vxoribus. 133.3
Sacramenta qualia signa. 259.1
Sacramenta V.T. fuerunt duplicia. ibid.
Sacramenta V.T. fuerunt figuræ nostrorum, ibidem
Sacramenta Mosaica non efficiebant gratiam iustificantem quam significabant. 262.3
Sacrificium triplex in consecratione pontificis offerebatur. 107.7
Sacrificia cruenta Iudæorum significarunt mortem Christi. 19.18.36.4
Sacrificia legalia abrogata sunt per mortem Christi. 192.8
Sacrificia Mosaica. 236.1
Sacrificium pro peccato. 238.3
Sacrificium Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, Propitiatorium. 399
Sacrificium Agni Paschalis in duplicem finem institutum. 247.25
Sacrificium duplex in N.T. cruentum vnum, incruentum alterum. 256.40
Sacrificium Melchisedech typus sacrificij Missæ. 240.44
Sadoch Sadducæorum author discipulus fuit Antigni Pharisæi. 189.1
Sadducæi non admittebant Traditiones. 192.4
Sadducæi distinguuntur à Phariſæis. 188.2
Salome soror Herodis maritum suum Costobarum repudiauit. 441.1
Salomon fuit figura Christi. 270.11
Samson natus ex sterili matre. 320.6
Sancti V.T. iustificati sunt ex lege Euãgelica. 70.5

Sanguis Agni paschalis figura sanguinis Christi. 217.43
Sara figura Eccl'esię. 138
Scribæ in V. Test. an fuerint distincti à Phariſæis. 188.1
Scriptura sacra cur non sit Iudex cõtrouersiarum 208.1
Scriptores librorum V. T. 5.2
Secta Phariſęorũ dupliciter spectari potest. 186.5
Septuaginta duo interpretes, spatio 72. dierum transtulerunt scripturam sacram in linguam Græcam. 6.2
Seruorum cõditio difficilior quam filiorum. 66.3
Sex ciuitates refugij. 399.5
Sibyllæ apud Ægyptios habuerunt donum prophetiæ. 162.5
Sodomia 443.6
Solemnitates Iudæorum octo 230.25
Spes duplex, diuina & humana 41.1
Successio legitima Pontificum est in ecclesia Romana. 41.7
Synagoga sumitur tribus modis in scriptura. 87.8
Synagoga fuit visibilis. 94.23
Synagoga tota nunquam defecit à fide, sed partes eius. 89.2
Synagoga tempore Christi expirauit, in eius loco succesſit ecclesia Christi, 50.5
Synagoga & ecclesia cur comparentur Reip. 88.1
Synagoga figura ecclesiæ in quinque rebus. 94.2
Synagogæ in quem vsum ædificatæ. 230.35
Synagogæ quando primum ædificatæ. 232.38
Synagogæ, répore excidij Ierosolymitani, in sola vrbe Ierusalem 480. numeratæ fuerunt. 234.45

T.

TAbernaculũ fuit figura ecclesiæ Christi, quatenus complectitur ecclesiam militantem in terris, & triumphãtem in cœlis, 128.58
Tabernaculi longitudo & latitudo, 415.5
Tabernaculi structura. 216.4.216.6
Templum Salomonis fuit capacius Tabernaculo. 216,7

Testimonia scripturę sacrę tripliciter citari possunt. 11 1.2
Thus symbolum deuotionis & bonæ famæ. 433.6
Traditiones Iudæorum duplices. 14.2
Traditiones Phariſæorum vndecim ex Euangelio collectæ. 14.2
Traditio fuit Iudæis à Deo mandata. 20.20
Traditiones Christianorum præcipuè ſex. 20 21
Traditiones Moſaicæ legis tres. 18.16
Tranſgreſſores feſtorum quomodo puniti in V.T. 306 72
Tres modi conſulendi Deum in rebus dubiis, 223 15
Tribus Leui triâ hominũ genera continebat. 97.2
Trinitas perſonarum diuinarum quatuor modis cognoſci poteſt in hac vita. 27.7
Tubæ filiorum Aaron quales. 381.3
Tunica hyacinthina qualis. 119.5

V.

VAlentinianus Imperator reprehenditur ab omnibus Catholicis propter legẽ de Polygamia promulgatam. 431.28
Vaſa Tabernaculi quæ. 226.27
Vetus Teſtam. figura N.T. 446.3
veſtis linea duplex. 119.3
Victima ſeu hoſtia quid. 237.2
Vita noſtra comparatur Tabernaculo, vita æterna templo Salomonis. 278.11
Vita æterna nõ fuit expreſſè promiſſa in V.T. 441
Vitulus pro ignorantia Sacerdotis offerebatur in V.T. 240.11
Vnctio Regum duplex. 350 1
Vnctionem Sacerdotalem temerè ridẽt hæretici. pag. 111.17.143.9
Vouere nihil aliud eſt, quàm Deo aliquid promittere. 286.24
Vouere Chriſtianis licitum eſt. 293.44
Vouere licet aliquid, quod aliàs ex præcepto teneamur facere. 297.52
Votum quomodo oblatio ſpontanea. 298.55

Vſuram à Chriſtianis an licitè exigere poſſint Iudæi, 396.6
Vxores alienigenas ordinariè non potuerunt Iudæi ducere, 412 3
Vxoris dimiſſio in V. Teſt. dupliciter fieri potuit vel palàm, vel occultè. 438. 2
Vxores, ob quas cauſas potuerint dimitti in V.T. ibidem.

Z.

ZAmolxis apud Getas habuit donum prophetiæ. 162. 5
Zelotypia quale malum. 430.1
Zoroaſtres apud Perſas habuit donum propheticę. 162, 5

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

10405931